BIBLIOTHECA
FF. PRÆDICATORUM
CONVENTUS
CIVIT. BENITIÆ
Lit. Z 26
Pl.

St. Albert's College Library

INTRODUCTIO

IN

SACRAM SCRIPTURAM

AD USUM SCHOLARUM

PONT. SEMINARII ROM. ET COLLEGII URBANI DE PROP. FIDE

AUCTORE

UBALDO UBALDI

PRESBYTERO ROMANO SS. LITER. PROFESSORE

« Sensum autem tuum (Domine) quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum sanctum tuum de Altissimis ? » (Sap. IX. 17.)
« Sint castae deliciae meae Scripturae tuae: nec fallar in eis, nec fallam ex eis. » (Aug. Confess. XI. 2.)

VOL. III.

INTRODUCTIO EXEGETICA, SEU HERMENEUTICA BIBLICA
CUM DUPLICI APPENDICE

ACCEDIT

ADUMBRATIO ARCHAEOLOGIAE BIBLICAE

ROMAE

EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA

S. C. DE PROPAGANDA FIDE

MDCCCLXXXI.

Auctor sibi vindicat ius proprietatis.

PRAEFATIO


Opus Introductionis in S. Scripturam ante aliquot annos institutum, vobisque dicatum, adolescentes charissimi, en tandem ad exitum, Deo opitulante, perducitur. Serius id quidem factum est quam in votis esset cum vestris, tum meis: at rerum copia et difficultas, infirmitas virium, aliorumque negotiorum turba, haud quaquam animi segnities, aut minus propensa erga vos voluntas causae fuerunt cur postremum hocce volumen citius non prodiret. Antequam vero de hoc verba faciam non possum me cohibere quin vobis gratias publice agam, habeamque maximas pro vestra humanitate, ac indulgentia, qua duo priora volumina excepistis; nec vobis modo, sed et reliquis cum nostratibus, tum exteris, qui opus hoc et publice et private probare, et commendare non dubitarunt. Quibus etiam grati animi mei sensus testari debeo pro animadversionibus, et censuris, queis nonnulla in duobus editis voluminibus obvia perstrinxerunt; hinc enim factum est, ut, praeter vitia quorum et ipse

Ae. 70

probe conscius eram, alia plura in scriptis meis agnoscerem emendanda, aut perficienda quae me fugerant: itaque horum quoque ratio habebitur in secunda operis editione, ad quam curas meas quamprimum conferre constitui.

In tertio hoc volumine plura invenietis quam quae generalis operis praefatio pollicebatur. Post absolutam enim Hermeneuticam, geminam appendicem addendam putavi, quarum altera specimen interpretationis delectorum quorumdam S. Scripturae locorum sistit, altera, eaque prolixior, tractat de S. Scripturae vernaculis translationibus, earumque lectione, quam rem gravissimam, et scitu admodum necessariam, nostra hac praesertim aetate, existimamus. Prae ceteris vero in extrema voluminis parte exhibui breve Archaeologiae biblicae compendium; quod enim in praefatione dixeram, me nimirum hanc provinciam penitus omissurum, multis displicuisse comperi: qui aiebant plenas et absolutas S. Scripturae institutiones hac tractatione carere non posse; libros de Archaeologia tractantes aut linguis exterarum gentium conscriptos esse, aut ad manus adolescentium non facile pervenire posse, aut certe in provincialibus Seminariis, ubi minor esse solet librorum copia, desiderari: ad haec aiebant postremis hisce annis plura in lucem prolata fuisse monumenta, plura diligentius explorata, quae praecedentium scriptorum notitiam effugerant. Horum rationibus, ac voluntati libenter acquiescens, quamquam fractis iam poene viribus, novae tractationis opus laboremque suscepi. Invenietis igitur post praedictas Appendices etiam *Adumbrationem quamdam archaeologiae biblicae;* hunc enim titulum ei praefigere maluimus, cum partem hanc biblicae scientiae

nonnisi breviter ac summatim tradere propositum nobis fuerit: tres quoque tabulae geographicae accurate expressae ad calcem voluminis adiectae sunt. Ita spero nihil vobis defuturum ex iis, quae ad studia Sacrarum Scripturarum expedite et utiliter persequenda iure desiderari possint, quod Introductionis in S. Scripturam obiectum ac finis est. Ceterum, ut verbis magni Augustini dicendi finem faciam, « videor mihi debitum huius operis, adiuvante Domino, reddidisse: quibus parum, aut quibus nimium est, mihi ignoscant; quibus autem satis est, non mihi, sed Deo mecum gratias agant ». — Valete in Domino.



Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/introductioninsa0000ubal

Iussu Rmi P. Vincentii Maria Gatti M. S. P. A. legi tertium volumen operis cui titulus: *Introductio in S. Scripturam auctore Ubaldo Ubaldi.* In eo non solum nihil contra fidem et bonos mores reperire est, sed ipsum sic accedere ad perfectionem totius operis arbitror, ut nihil sit sanae doctrinae et solidae eruditionis biblicae, quod in eodem opere aut fuse aut summatim miro ordine digestum non inveniatur.

In quorum fidem etc.

Die 19 Iulii 1881.

VINCENTIUS TUZI
Censor Theologus

IMPRIMATUR
Fr. Raph. Arch. Salini O. P. S. P. A. M. Soc.

IMPRIMATUR
Iulius Lenti Vicesgerens.

INTRODUCTIO EXEGETICA

IN

SACRAM SCRIPTURAM

SEU

HERMENEUTICA BIBLICA

PROLEGOMENA

Quae in duobus praecedentibus voluminibus tradita sunt ad *auctoritatem* seu *valorem Sacrae Scripturae* sive humanum, sive divinum et canonicum vindicandum pertinent, quae ideo *Criticam Introductionem* appellavimus. Verum, ut huius operis initio animadvertimus, ad Biblicam Introductionem praeterea spectat rationem indicare, qua eadem S. Scriptura explicanda et exponenda sit. Cum enim de iis documentis agatur, quae ad universae Ecclesiae, omniumque nostrum *doctrinam scripta sunt*, et quorum intelligentia multis difficultatibus impeditur, parum prodesset eorum auctoritatem perspectam habere nisi etiam nobis praesto esset via, qua ad eorum sensum percipiendum tuto pervenire possimus, et quaedam veluti clavis, quae sacra eorum penetralia nobis aperiat. De hac altera Introductionis parte nunc nobis agendum est, quam *Introductionem Exegeticam* in S. Scripturam appellavimus, vel, ut passim vocari solet, *Hermeneuticam biblicam*. Sed quaedam in antecessum animadvertenda sunt de huius disciplinae accurata definitione, deque eius utilitate, necessitate, historia, nec non de rerum tractandarum divisione, ac de ordine, quem nobis sequendum proposuimus.

I. Hermeneuticae Biblicae definitio, et obiectum.

Hermeneutica, si vis vocis spectetur, *artem interpretandi* significat. Est enim Graeca vox Ἑρμηνευτίκη (subaudi τέχνη, vel ἐπιστήμη) (1) quae a verbo ἑρμηνέυω ducta est, quod significat *interpretari, explicare* imprimis dicta vel scripta alterius (2). Hic monent nonnulli auctores Hermeneuticam distinguendam esse ab Exegetica, quod illa sit ars interpretandi, haec vero sit ipsa interpretatio. Sed hi confundere videntur *Exegeticam* cum *Exegesi.* Exegetica, Ἐξηγετίκη (scil. τεχνη), a Graeco verbo ἐξηγεῖσθαι, quod est *exponere* vel *interpretari* derivatur, ideoque artem exponendi vel interpretandi significat, et, nisi velimus supervacaneae indulgere subtilitati, ab Hermeneutica non differt: *Exegesis* vero (ἐξήγησις), in eo differt ab Exegetica et ab Hermeneutica, quod haec, ut diximus, sit ars interpretandi, illa vero, seu exegesis, sit ipsa interpretatio: differunt ergo inter se sicut theoria, et praxis, vel ut praeceptum, seu regula, ab eius usu. Haec quidem de vocis etymologia et significatione. Si vero accuratiorem definitionem quaesieris Hermeneutica universim accepta definiri potest: « *Disciplina, quae certis criteriis ac regulis mentem dirigit in sensu librorum inveniendo, atque aliis exponendo* ». Diximus *disciplina* potiusquam *ars,* vel *scientia;* hermeneutica enim partim ad artes referenda est, quod scilicet praecepta tradat practica, ex experientia ac sapientum traditione collecta partim vero de scientia participat quatenus summa interpretationis principia investigat, aptisque rationibus demonstrat. Diximus praeterea hermeneuticam certis *principiis ac re-*

(1) Quemadmodum voces *Grammatica, Rhetorica, Pragmatica,* adiectiva graeca sunt, quae tamen substantive accipiuntur pro disciplina, vel arte de his rebus tractante.

(2) Verbum hoc rursum connectitur cum voce Ἑρμῆς, quo nomine Graeci vocabant Mercurium; cum enim hic a Paganis haberetur ut nuncius et interpres Iovis, ab eo derivatum videtur verbum ερμηνευειν cum significatione interpretandi. Hinc etiam Act. XIV narratur Lystrenses Paulum et Barnabam Deos esse existimantes, hunc quidem Iovem illum vero Mercurium (Ερμην) vocasse « *quoniam ipse erat dux verbi* » (ib. v. 11), idest, quia praecipuas in praedicando partes agebat, et tum suam tum Barnabae mentem eloquenter *exponebat.*

gulis mentem dirigere, quo significare voluimus hermeneuticam generatim sumptam quodammodo insitam esse humanae menti, quemadmodum Logicam, et Ethicam, quae tamen naturalia veluti semina per disciplinam hanc excolenda sunt ita ut ipsa mens dirigatur et adiuvetur in eo praestando, et plenius, ac tutius assequendo, ad quod nativam aptitudinem et propensionem habet. Denique diximus: *in sensu librorum inveniendo atque aliis exponendo,* hoc enim proprie est *interpretari,* et ad hoc praecepta omnia artis hermeneuticae collimare debent.

Potest autem Hermeneutica esse vel *generalis,* vel *specialis;* illa est quae ad libros quoscumque interpretandos regulas tradit, haec autem quae alicuius libri, vel specialis librorum classis interpretationem spectat: quae rursum multiplex esse potest cum multiplex sit librorum species, et magna varietas. Non solet tamen nisi duplex specialis hermeneutica a viris doctis tractari, *Legalis* scilicet, et *Biblica.* Hermeneutica legalis ea est quae docet interpretationem legum, et librorum legalium, de qua nonnulla traduntur tum in Iure Canonico tum in Iure Civili (1). *Hermeneutica Biblica* autem, de qua nobis agendum est, docet rationem interpretandi Sacra Biblia, seu Libros S. Scripturae. Potest autem haec definiri « *Disciplina, quae certa criteria ac regulas tradit ad sensum Sacrarum Scripturarum inveniendum, atque aliis rite exponendum* ». Huius igitur disciplinae *materiale,* uti aiunt, *obiectum* est S. Scriptura, seu sacri et canonici utriusque Testamenti Libri, obiectum *formale* sunt ipsa criteria ac regulae interpretationis, in quibus tradendis versatur, finis autem est mentem sacrorum scriptorum intelligere, ac declarare (2). Sunt qui vellent ipsam *Hermeneuticam biblicam* rursum dividere in *generalem,* et *specialem,* ita ut generalis sit quae generalia principia tradit ad universam Scripturam interpretandam, specialis vero quae normas exhibet interpretationis pro uno alterove libro S. Scripturae, vel pro una alterave librorum classe ex. gr. pro libris Propheticis, pro quatuor Evangeliis, pro epistolis Paulinis. Nobis haec divisio superflua omnino videtur praesertim in elementari Hermeneuticae tractatione: siqui-

(1) Extat praeterea pro iure civili Romano opus ipso Hermeneuticae titulo inscriptum auctore Echardo, scilicet: *Hermeneutica Iuris civilis.* Pisis 1770.

dem in ipsa generalium règularum expositione commode potest notari quidquid speciatim observandum est in quorumdam librorum interpretatione.

II. Hermeneuticae Biblicae utilitàs ac necessitas.

Quantum sit Hermeneuticae Biblicae momentum, et quanta necessitas ex eo patet, quod si omnes libri valde antiqui ob adnexam difficultatem, et obscuritatem subsidiis quibusdam ac regulis indigent ut recte intelligantur, id multo magis verum est de Libris Sacrae Scripturae, qui pluribus ex causis obscuriores et difficiliores ceteris antiquis scriptis esse deprehenduntur. Sane sive consideremus *formam,* sive *materiam* Sacrarum Scripturarum difficiles et obscurae apparebunt. Et 1° quidem inspecta earum *forma,* sub quo nomine tum *linguam* tum *stylum* comprehendimus. *Lingua* enim *hebraica*, qua maxima pars Sacrorum Librorum V. T. conscripta est iam pluribus ante Christum saeculis demortua erat, eaque ab indole nostrarum linguarum prorsus aliena est. Libri autem N. T., quamvis Graece exarati, magnam tamen cum Hebraea vel Chaldaea lingua retinent affinitatem. Nec versiones quantumvis probatae, ut imprimis est Vulgata Latina, hanc difficultatem ex lingua ortam penitus removent, siquidem quo magis fideles et authenticae sunt eo magis syntaxim et idiotismos linguae originariae servant; quapropter saepissime obscuritas non minor est in versione, quam in textu. Denique *stylus* est passim involutus, et obscurus, saepe familiaris et abruptus, alias sublimissimus et poëticus, in diversis Libris admodum varius; quae omnia non possunt non augere difficultatem interpretationis. 2° Si vero consideremus *materiam,* seu argumentum sacrorum Librorum, maiores exurgunt difficultates, quae quidem diversae sunt pro diversitate argumenti. Sane *a*) *Historia*, quae magnam Scripturae partem occupat, eo difficilior est quo est antiquior plerumque omnibus historiis certis aliarum gentium (1) a quibus

(1) Herodotus Graecae historiae pater solis quinque saeculis aeram vulgarem antecedit: ad eamdem epocham pertinet Confucius a quo repetendi sunt sacri Sinensium libri: adhuc recentiores sunt Indorum Vedas, et Persarum Zend-Avesta, nec non reliqui historici Graecorum et Romanorum Polybius, Diodorus, Thucydides, Livius, etc. Libri vero historici V. T. saeculo XV ante

proinde nullam, aut valde exiguam lucem mutuare fas est ad biblica facta illustranda; ac praeterea ex eo tempore quo biblici eventus pertinent, in Palaestina omnia susdeque versa sunt, et societatis status, ipsa regionis topographia, tota demum rerum facies immutata est. *b*) *Dogmaticae* Scripturae partes suas habent difficultates, easque gravissimas, tum quia plura doctrinae capita rationis humanae vires excedunt, tum quod nullo ordine logico, aut systemate, sed sparsim et pro data occasione doctrinae exponuntur, quaedam proprio sensu, quaedam sub methaphorico vel symbolico involucro, alicubi leges generales, alias earumdem exceptiones vel limitationes exponuntur, unde passim difficultas oritur in variis locis vel coordinandis, vel inter se componendis: quod quidem tum de theoreticis dogmatibus, tum potissimum de morum doctrina valet. *c*) Demum *Prophetica* loca maxime difficilia sunt tum hoc ipso quod de rebus futuris tractant, tum etiam quia prophetae consuetas loquendi leges et ordinem idearum accurate non servant. 3° Hisce duabus causis intrinsecis merito addi potest tertia extrinseca ex adversariorum praepostera agendi ratione petita: Rationalistae enim, aliique hostes verae religionis, nostra praesertim aetate, tot pravas S. Scripturae interpretationes in medium protulerunt, ipsaque interpretandi principia tot subtilitatibus, totque perversis systematibus permiscere ac pervertere conati sunt, ut maior exinde necessitas orta fuerit Catholico interpreti ac Theologo saniores interpretationis Biblicae regulas cognoscendi, et vindicandi.

III. Hermeneuticae Biblicae brevis historia.

Interpretationi Scripturarum accidit quod in aliis quoque disciplinis factum novimus, ut scilicet homines ipsi rei operam darent antequam eius tractandae praecepta, et regulas collegissent, ac tradidissent: sicut igitur homines loquebantur et scribebant antequam ars grammatica exculta esset, et poetae floruerunt ante artem poeticam, et philosophicae rerum considerationes philosophiae scientiam praecesserunt, ita quoque veteres sive Iudaei sive Christiani inde

aeram vulgarem scribi coeperunt et iam fere omnes extabant immo et vetusti erant antequam Herodotus apud Graecos floreret.

ab initio Sacras Scripturas meditabantur, aliisque exponebant priusquam de methodo quadam concinnanda et de regulis interpretationis tradendis cogitarent. Postea vero, ampliori studio adhibito vel fideles docendi, vel haereticos refellendi causa, coeperunt ex proprio ingenio, et ex maiorum exemplo ac scriptis quaedam animadvertere, quae ad rectam Scripturarum intelligentiam conducerent, quae deinceps paullatim in unum collecta, aucta ac perfecta tandem formam scientificam induerunt, atque ita hermeneutica Biblica a ceteris sacris disciplinis distincta efformata est. Operae pretium erit de hoc progressu hermeneuticae breviter disserere, eamque considerare primum apud Hebraeos, tum vero apud Christianos, sive orthodoxos, sive eterodoxos, usque ad nostram aetatem.

A. Historia interpretationis Biblicae apud Hebraeos.

Cum sciamus Libros Moysi et subinde alios V. T. Sacerdotibus et Levitis custodiendos, ac populo legendos traditos fuisse (Deut. XVII. 18, XXX, 9–13, 24–26), quibus etiam commissum erat officium eosdem Libros exponendi et consultationibus fidelium respondendi (Deut. XVII 8–12 XXI. 5), dubitandum non est rectam Sacrorum Librorum interpretationem usque ab initio apud eos extitisse. Qua vero methodo vel qua arte Scripturam exponerent definiri nequit cum nulla de hac re extet memoria. Ex pluribus tamen indiciis colligi potest eorum interpretationem non tam eruditam fuisse quam practicam, et de rebus ad fidem, moresque pertinentibus, eamque non tam arti vel scientiae cuidam innixam, quam constanti traditioni, vel supernae illustrationi Sacerdotibus et Summo Pontifici pro opportunitate concessae, aut etiam externo Prophetarum testimonio. Haec quidem de antiquissima aetate quae praecessit captivitatem Babilonicam. De aetate vero quae captivitatem subsequuta est paullo plura innotuerunt. Non solum enim scimus Libros Moysi et Prophetarum singulis sabbatis in omnibus Iudaeorum Synagogis perlectos fuisse (Act. XV. 21, XIII. 27 Luc. IV. 16 seqq.) sed etiam declaratos. Imprimis enim hoc suadebat ipsa mutatio linguae, quae in populo facta fuerat; quare post lectionem Hebraici textus, quem non omnes commode intelligebant, subiungenda erat quaedam explicatio lingua vernacula. Huius consuetudinis vestigium occurrit in libro Nehemiae seu 2° Esdrae (VIII 8, 9, 12), nec non in magna illa copia paraphraseon chaldaicarum, quae Targumin

appellantur, ut alias animadvertimus. Praeterea studium interpretandi Scripturam, et quidem subtiliter et docte, testatur etiam multitudo illa doctorum qui sub nomine *Scribarum, Legisperitorum, Doctorum Legis*, (γραμματεῖς, νομικοι, νομοδιδασκαλοι) saepissime commemorantur in posterioribus Scripturae Libris puta 1 Esdr. VII. 6, 12, 2 Esdrae VIII. 1, 2 Machab. VI. 18, et in Evangeliis passim. Attamen cum scientiae Biblicae incremento vitia quoque et abusus irrepserunt in interpretatione Scripturae saltem circa Christi tempora. Alii enim allegoriis et accommodationibus plus aequo indulgebant, ut videre est in Philone hebraeo, et in Cabbalistis; alii ex adverso nimis cortici verborum et propriae verborum significationi adhaerebant, ita ut, quae de Christo venturo Prophetae praedixerant sub symbolorum et imaginum umbra, secundum materialem vocabulorum significationem accipientes falsam omnino Messiae notionem sibi efformarent, quae deinde maximo impedimento fuit ne Christum Iesum agnoscerent; alii denique, imprimis Pharisaei, moralia Legis praecepta falsis et contortis interpretationibus depravabant, suasque traditiones et superstitiones iisdem admiscebant, quod Christus Dominus in eis severe reprehendit (Mar. VII. 9–13).

Post Christi vero aetatem Iudaeorum magistri studium interpretationis S. Scripturae non neglexerunt, quamvis diversam methodum sectati fuerint. *Talmudistae,* et auctores *Medrascim* seu *Rabboth* allegoricas et accommodatas interpretationes adamant, *Cabbalistae* reconditos et incompertos sensus saepe ineptos, et plerumque solido fundamento destitutos expiscantur. Ii vero qui proprie commentarios in sacros Libros scripserunt a saeculo XI usque ad XVI aerae vulgaris meliores interpretes sunt, quamvis et ipsi non raro aberrent a vero Scripturae sensu, et in vaticiniis ad Christum Dominum pertinentibus misere coecutiant: adhuc enim *velamen positum est super cor eorum* (2 Cor. III). Sed de his plura suo loco (1). Ceterum apud Iudaeos nemo artem hermeneuticam ex professo, uti aiunt, exponere aggressus est. Occurrunt tantum nonnullae animadversiones et monita de modo explicandi S. Scripturam apud

(1) Sub finem Hermeneuticae breviter disseremus de praecipuis interpretibus Iudaeorum, eorumque conscriptis commentariis: deinde vero de Christianis interpretibus s. Scripturae. Hic vero tantum in genere et per summa capita historiam Biblicae interpretationis persequimur.

Maimonidem in op. *More Nevuchim* part. I. et apud Aben Ezra in *Praefatione* ad suum comment. in Pentateuchum, ubi quinque diversas methodos exponit in variis scholis Hebraeorum adhiberi solitas de quibus iudicium profert, et, ceteris reiectis, ultimam probat, qua nempe sensus literalis singulorum locorum Scripturae ex accurata verborum interpretatione et contextu exponitur, non excluso tamen sensu spirituali, morali, et mystico in iis locis, ubi eius existentia ex solida aliqua ratione comprobari potest.

B. Historia Hermeneuticae Biblicae apud Christianos.

Dicemus de historia et progressu Hermeneuticae primo in antiqua Ecclesia; secundo in medio aevo; tertio in aevo recentiore.

1° Primi inter veteres Ecclesiae Patres, quos Apostolicos vocant, commentarios in S. Scripturam non scripserunt, sed tantum pro data occasione testimonia ex ea proferebant eorum sensum exponentes quemadmodum ab Apostolorum praedicatione acceperant, vel iuxta obviam verborum significationem, et practicum virtutis et pietatis sensum, praetermissa quacumque docta et erudita locorum interpretatione. Idem dicendum est de Apologistis saeculi II. quorum scopus erat non Scripturam exponere, sed veritatam Christianae religionis adversus Paganos tueri. Fuerunt quidem eodem saeculo II. qui libros Scripturae interpretati sunt, ut scimus Iustinum, Irenaeum, Pantaenum, Clementem Alex. (in *hypotyposibus*) fecisse, sed horum opera exegetica, paucis fragmentis exceptis, deperdita sunt. A saeculo autem III. usque ad VIII plures clarissimi interpretes floruerunt, ut Origenes, Basilius, Iohannes Chrysostomus, Theodoretus, Hieronymus, Augustinus, aliique omnibus noti, quorum opera breviter recensebimus in Parte III. Solent hi generatim in varias scholas distribui pro diversa interpretandi methodo quam sectati sunt. Origenes allegoricae interpretationi summopere indulsit, eamdemque plus minus methodum tenuerunt qui in Ecclesia Alexandrina floruerunt, aut etiam alibi degentes Alexandrinorum methodo delectati sunt, quare hi dicuntur pertinere ad *Scholam Alexandrinam*. Alii vero *Scholae Antiochenae* addicti fuerunt cui solemne erat literali verborum sensui pressius insistere, seposito nimio allegorizandi studio: huius methodi insigne monumentum sunt opera exegetica S Iohannis Chrysostomi, imprimis eius expositio Epistolarum S. Pauli. Suas etiam Scholas easque florentissimas habuerunt

Athenae, Constantinopolis, Edessa in Syria, Caesarea in Palaestina, ex quibus illustres S. Scripturae interpretes prodierunt. Sed de his alias. Hic enim potius agendum nobis est de Hermeneuticae initiis et incrementis, quatenus est ars seu disciplina quae praecepta et regulas interpretationis biblicae tradit. Itaque nonnulli scriptores huius antiquissimae aetatis multa tradiderunt ad rectam viam aperiendam Sacris Libris intelligendis, et exponendis. Ex his praecipuos nominavimus in Prolegomenis generalibus nostrae huius Introductionis. S. Hieronymus plura de hac re sapienter tradit in Epistola ad Pammachium, et sparsim in commentariis, S. Iohannes Chrys. quaedam opportune monuit in Homilia in Ierem. X. 33, et in Homil. XV in Iohannem; Tychonius quidam Donatista septem regulas proposuit *ad investigandam intelligentiam Scripturarum,* quas S. Augustinus expendit in Libro III. De Doctr. Christ. Extant quoque de hoc argnmento Adriani: Εισαγωγη εις τας θειας γραφας, Cassiodori: *Institutiones divinarum literarum* (1), et Iunilii Africani: *De partibus Divinae Legis libri duo;* in quibus nonnulla habentur collecta ad Hermeneuticam spectantia, haud tamen omnia, vel pleraque, nec ordine scientifico proposita. Paulo plenior est expositio regularum et subsidiorum interpretationis in opere paulo ante citato S. Augustini: *De Doctrina Christiana libri IV:* ubi tamen multa quoque desunt, plura etiam redundant, quae scilicet ad Hermeneuticam non pertinent, sed ad Criticam vel Dogmaticam.

II. Aevo medio nullum nostra disciplina incrementum accepit, sed in eo mansit vestigio, in quo fuerat praecedente aetate. Quamvis enim non defuerint sacri interpretes, iique optimi, ut S. Bernardus, S. Thomas, S. Bonaventura, Nicolaus Lyranus, Paulus Burgensis, ii tamen, ex proprio ingenio, et iuxta praecedentium Patrum

(1) In praefatione huius operis Cassiodorus conqueritur quod apud latinos nondum fundatae essent publicae cathedrae sacrarum literarum, ubi scilicet ars scripturas interpretandi traderetur, quemadmodum iam diu factum fuisse affirmat tum Alexandriae in Aegypto tum Nisibi in Syria. De hac schola Nisibena mentionem, facit etiam Iunilius Africanus in epistola ad Primasium praefixa duobus libris *De Partibus Divinae Legis,* ubi commemorat Paulum quemdam Persam genere, qui in laudata schola Scripturarum scientiam edoctus fuerat: *ubi,* inquit, *divina Lex per magistros publicos, sicut apud nos in mundanis studiis grammatica et rhetorica, ordine regulariter discitur.*

interpretationes et Ecclesiae sensum Scripturam exponentes, non cogitarunt de Hermeneutica disciplina seorsim excolenda. Dumtaxat nonnulli praetermittere solebant suis commentariis *Prolegomena* quaedam, in quibus nonnulla tradebant ex Hieronymo, aliisque Patribus excerpta circa varios Scripturae sensus, et modum interpretandi. Inter cetera notatu digna sunt Prolegomena Nicolai Lyrani.

III. Saeculo XVI Biblica studia ardentius coli coeperunt, quibus iam stimulos adiecerant, ante ortam Reformationem, Concilii Viennensis decretum de studio linguarum Orientalium in Universitatibus promovendo, et plurium Graecorum in Occidentem immigratio post captam Constantinopolim, et Polyglotta Complutensis editio, quae fontium originalium collationem faciliorem reddidit, denique reviviscens ubique ardor omnis literaturae excolendae (1). Hinc mirum non est si hac postrema aetate (saec. XVI–XIX) quamplura opera edita fuerint de Biblica Hermeneutica, et haec disciplina ad maiorem perfectionem adducta fuerit. Siquidem 1° eliminatae sunt omnes quaestiones et tractationes, quae ad Criticam, Dogmaticam, Iurisprudentiam aliasque scientias pertinebant, quaeque antea solebant hermeneuticae tractationi immisceri, 2° non aliquae tantum, sed omnes Hermeneuticae partes cum debita diligentia tractatae, et explicatae sunt, 3° denique universa Hermeneutica ad formam magis scientificam redacta est, singula rerum capita suis locis apte disposita, principia subtiliter investigata, accurate definita et certis argumentis firmata sunt, novorum etiam systematum interpretationis ratio habita, et falsae exegeseos fundamenta concussa, et eversa. Operae pretium erit praecipuos quosdam auctores indicare qui hanc provinciam illustrarunt sive apud Catholicos, sive apud Protestantes.

1° Opera Hermeneutica Catholicorum a saec. XVI–XIX.

Santis Pagnini: *Isagoge in Sacras literas*, et *Isagoge ad mysticos S. Scripturae sensus.* Lugduni 1536.

Ambrosii Catharini: *Claves duae ad aperiendas, intelligendasque Sacras Scripturas.* Lugduni Batav. 1548.

Guillelmi Lindani: *De optimo Sacras Scripturas interpretandi genere.* Coloniae 1558.

(1) Haec raptim commemorare voluimus ut appareat quam immerito quidam auctores Protestantes affirmaverint gloriam restauratae Biblicae scientiae deberi Reformatoribus saeculi XVI.

Sixti Senensis: *Ars interpretandi S. Scripturas absolutissima.* Venetiis 1566, eiusdemque *Bibliotheca Sancta* Lib. III et IV qui de Scripturae expositione, et expositoribus tractant. Ambo haec opera (alterum correctum a Milante Neapoli 1742) in magno pretio habita, et saepius recusa sunt.

Ioseph Acosta: *De vera Scripturas interpretandi ratione* in Opere *De Christo Revelato.* Romae 1590.

Hofmeisteri: *Canones ad interpretandas Sacras literas.* Paris 1573.

Petri Ant. Beuter: *Adnotationes decem ad S. Scripturam.* Valentiae 1566.

Hi omnes aliique saeculi XVI Scriptores multa quidem docte et pie de Scripturarum interpretatione docuerunt, longe tamen absunt a plena et perfecta tractatione Hermeneutices Biblicae: multa enim omittunt, quae ad theologicam et eruditam sensus biblici expositionem pertinent, in omnibus vero desideratur apta rerum distributio et scientificus tractationis ordo. Ab his vix differunt auctores saeculi XVII quorum opera praecipua sunt haec:

Martini Antonii Del Rio: *Pharus Sacrae Sapientiae.* Londini 1608.

Henrici Marcelli: *Canones explicandae Scripturae.* Herbiboli 1653.

Antonii a Matre Dei: *Praeludia Isagogica ad SS. Librorum intelligentiam.* Lugduni 1669 iterum Moguntiae 1670.

Iohannis Neercassel: *Tractatus de lectione Sacrarum Scripturarum.* Emmerici 1677 iterum Coloniae 1680.

Iosephi Metzger: *Institutiones Sac. Scripturae, seu, principia, regulae et instructiones de modo recte intelligendi, et interpretandi S. Scripturam.* Salisburgi 1680.

I. B. Du Hamel: *Institutiones Biblicae.* Parisiis 1698.

Demum in sequenti saeculo XVIII, et imprimis saeculo XIX Hermeneutica Biblica ad suam perfectionem adducta est, collectis et meliori ordine digestis quae ab antecessoribus tradita fuerant, superfluis resecatis, aliis vero ab illis neglectis diligentius pervestigatis et evolutis. En praecipuos quosdam huius aetatis Catholicos auctores.

Iohannes Martianay: *Traité methodique, ou manière d'expliquer l'Ecriture par le secours de trois syntaxes, la propre, la figurée, l'harmonique.* Parisiis 1703, eiusdemque: *Methode sacrée pour ap-*

prendre et expliquer l' Ecriture Sainte par l' Ecriture même, ib. 1716.

I. Ioseph Duguet: *Regles pour l'intelligence de l' Ecriture Sainte.* Paris 1716. Opus pium simul ac doctum, in quo tamen mystica Scripturarum intelligentia plus aequo urgeri videtur. Quare eius refutatio scripta est ab altero Gallicano theologo Léonard, qui tamen in extremum oppositum labitur, ut alias videbimus cum de controversia circa mysticos Scripturae sensus agemus.

Iohannes M. De Turre Ord. Praed. *Institutio ad Verbi Dei scripti intelligentiam.* Parmae 1711.

Iohannes I. Monsperger: *Institutiones Hermeneuticae V. T.* Vindobonae 1776 iterum 1781.

Stephanus Hayd: *Introductio hermeneutica in Sacros Novi Testamenti Libros.* Vindob. 1777.

Sebastianus Seemüller: *Institutiones ad interpretationem Sacrae Scripturae.* Augustae Vindel. 1779.

Ad. Viser: *Hermeneutica Sacra N. Testamenti.* Budae 1784–5

Georgius Mayer: *Institutio interpretis Sacri.* Vindobonae 1789.

F. Fr. Azemberger: *Brevis conspectus institut. hermen.* Straubing. 1798.

Imprimis vero nostri saeculi XIX auctoribus ultimum complementum ac perfectio Biblicae Hermeneutices debetur. Ex his satis erit praecipuos commemorare.

Iohannes B. Gerhauser: *Theoria Hermeneuticae Sacrae.* Diling. 1811 et germanice, curante Lerchenmüller, Kemp. 1828.

Iohannes Iahn: *Enchiridion Hermeneuticae generalis tabularum Veteris et Novi Foederis.* Viennae 1812; cui postea adiecit: *Fasciculos II Exercitat. Exegetic.* Viennae 1813–5.

Auctori neganda non est ingenii, et eruditionis laus, accurata methodus, et subtilis rerum indagatio ac definitio; verum intolerabilis est eius opinandi libertas, et Ecclesiasticae traditionis neglectus; ob quam causam praedictum *Enchiridion* merito a Sede Apostolica damnatus est. Iahnium sequitur

Altman Arigler: *Hermeneutica Biblica generalis.* Viennae 1813 et ipse censura notatus: licet enim eruditione, et tractationis amplitudine, ac ordine ipsum magistri opus superaverit, eius tamen vitia imitatus est, imo et in deteriora lapsus, omnem sensum mysticum

ex Scripturis eliminavit, et clarissima vaticinia de Christo Domino tamquam meras accommodationes traduxit. I. Iahnii defensionem infelici exitu suscepit *I. Tumbacher* in suis: *Vindiciae Iohannis Iahn,* Lipsiae 1822: Iahnii methodum sequitur etiam Aloysius Sandbichler: *Darstellung der Regeln einer allgemeinen Auslegungskunst von den Büchern des A. u. N. B. nach Iahn.* Salzburg 1813; sed illius errores utcumque vitare nititur. Melius vero id praestitit Iohannes Nepom. Alber in suo opere: *Institutiones Hermeneuticae S. Scripturae V. T.* Pesthini 1817, et *Institutiones Herm. S. S. N. T. ib. 1818* ubi Catholica interpretationis principia valide propugnat, et Iahnii errores docte refellit. Ita etiam

Gaspar Unterkircher in: *Hermeneutica biblica catholica* Oeniponte 1830 methodum Arigleri sequutus eius tamen vitia corrigit, et ad saniora principia revocat, ideoque merito ab omnibus laudatur; eius editio III curata a I. V. Hofmann Oeniponte 1846 plenior et accuratior est. I. Hermanni Iaussens: *Hermeneutica Sacra* Leodii 1818 et saepe alibi recusa, (optima editio Parisiis 1833, *Gallice,* curante I. T. Pacaud) titulo suo non respondet: de *interpretatione* enim S. Scripturae pauca tantum festinanter tradit in cap. V: cetera ad Criticam Introductionem, et ad Archaeologiam Biblicam pertinent. His addendi sunt.

Georgius Riegler: *Biblische Hermeneutik.* Augsburg 1835 editio II ib. 1847.

Franciscus Xav. Patritius S. I. *De interpretatione Scripturarum Sacrarum libri duo* Romae 1844, et iterum in compendium redacti Ratisbonae 1860. Deinceps vero Liber I qui *didacticus* est seorsim apparuit Romae sub titulo: *Institutio de interpretatione Bibliorum iterum edita* 1876, liber II vero, qui inscribitur *Paradigmaticus* et exhibet doctam interpretationem praecipuorum quorumdam locorum V. T. item seorsim recusus fuit sequenti anno sub hoc titulo: *Biblicarum quaestionum decas.* Romae 1877.

Ioseph Kohlgrüber: *Hermeneutica biblica generalis.* Viennae 1850. opus eruditum, accuratum et undequaque orthodoxum: sed, ut videtur, nimia subtilitate, et excessu analysis lectorem aliquando fatigat.

Iohannes Ranolder (postea Episcopus Weszprimiensis): *Hermeneuticae Biblicae generalis principia rationalia, Christiana, et Catholica selectis exemplis illustrata.* Editio II Budae 1859.

Opus egregium ceteris fortasse anteponendum: praestat enim et apta rerum divisione, et aequa singularum Hermeneuticae partium explicatione: notatu etiam digna est *Appendix* de falsis interpretationis speciebus, quae docte et nervose refutantur, imprimis interpretatio *mythica* (pag. 352–414) a neotericis rationalistis invecta. Displicet tamen in Cl. Auctore nimia quaedam facilitas in haereticorum libris, aliisque minus orthodoxis laudandis, ex. g. Erasmi (pag. 22) Iahnii (pag. 28) Ernesti edit. V. (p. 31). Vide tamen monitum Auctoris pag. 349 seq.

G. I. Güntner: *Hermeneutica Biblica generalis iuxta principia Catholica.* Pragae 1844 editio III. 1863. Opusculum laude dignum, sed, nostro quidem iudicio, paulo inferius altero cl. Auctoris opere alias laudato: *Introductio in SS. N. T. Libros.* In *Introductione T. L. Lamy* to. I. (edit. II Mechliniae 1872) etiam Hermeneutica summatim pertractatur, quemadmodum fit etiam in *Introductione I. B. Glaire* to. I. per modum *Appendicis:* Uberius autem Hermeneutica principia traduntur, et sobria, erudita, planeque orthodoxa ratione evolvuntur a Iosepho Danko in noto opere: *De Sacra Scriptura, eiusque interpretatione commentarius.* Vindobonae 1867 toto capite III pag. 252–343.

2° Opera hermeneutica Acatholicorum. (1)

Inter antiquiorumProtestantium (Saec. XVI–XVII) opera hermeneutica speciatim commemoranda sunt sequentia.

Matthiae Flaccii: *Clavis Scripturae Sacrae.* Basil. 1567 saepius deinceps recusa (optima editio Ienae 1675). Secunda pars, quae didactica est, multa continet subtiliter et accurate notata de usu loquendi S. Scripturae, de subsidiis ad eruendum sensum literalem idoneis; sensum quoque mysticum admittit, et intra debitos limites circumscribit, imo et *analogiam fidei* aliunde acceptae tamquam criterium interpretationis constituit. Verum in applicatione harum

(1) In libris acatholicorum recensendis, quemadmodum et in aliis a S. Sede damnatis, iterum lectores monemus, quod alias monuimus, huiusmodi scripta nonnisi cum magna cautela legenda esse, et debita facultate accepta. Habent enim bona mixta malis, et erroris venenum facile incautorum animis insinuant. Quidam Catholici scriptores non satis hoc attendisse videntur.

regularum saepe in transversum agitur a praeiudiciis quibus imbutus erat, et contra Catholicam doctrinam prolixe et importune invehitur. Hoc opus a veteribus Protestantibus uti classicum habitum est.

Salomonis Glassii: *Philologia Sacra.* Ienae 1623, deinde saepius recusa, et demum ad recentiores scientiae biblicae progressus accommodata a I. A. Dathe Lipsiae 1776 et iterum a G. L. Bauer 1797 magnam in auctore eruditionem praesertim philologiae orientalis evincit, multa quoque continet ad stylum Scripturarum intelligendum aptissima imprimis in locis methaphoricis (Lib. II. ed. Dathii), verum errores quoque Protestanticos passim obtrudit, nec non frequentissimas disceptationes et invectivas contra Catholicos, quae tamen in editione Dathii generatim omissae sunt.

Augustinus Pfeiffer: *Thesaurus hermeneuticus.* Dresdae 1684 deinde auctus, et Praefatione ornatus a Ben. Carpzovio Lipsiae 1690 et 1698. Saeculo XVIII. sequentia opera notanda sunt.

Valentini E. Loescher: *Breviarium Theologiae exegeticae, legitimam Sacrae Scripturae interpretationem et studii biblici rationem tradens.* Wittembergae 1619. Literalem et eruditam Scripturae interpretationem suadet contra Pietistas.

Iohannis Iacobi Rambach: *Institutiones hermeneuticae Sacrae.* Ienae 1723. octava editio cur. F. Budaeo ibid. 1764: impugnat interpretationem mere grammatico-historicam Grotii.

Ioh. Alph. Turretin: *De S. Scripturae interpretatione tractatus bipartitus.* Traiecti 1728, iterum auctus a Teller 1776; valde laudatur a Protestantibus: sed, iudice Iahnio (magno Protestantium admiratore): *laudes immeritas tulit* (Enchir. §. 5).

Sigismundi Iac. Baumgarten: *Unterricht von der Auslegung der heiligen Schrift.* Halle 1742, et: *Ausführlicher Vortrag über die Hermeneutick,* ibid 1769. Fuit hic magister Semleri de quo infra.

Iohannis Aug. Ernesti: *Institutio interpretis N. T.* Lipsiae 1761 et saepius recusa usque ad edit. 5. Lipsiae 1809 curante C. F. Ammon. Hoc opus magnam celebritatem adeptum est ob subtilem et accuratam methodum eruendi sensum grammatico – historicum ope praesertim usus loquendi, seu philologiae: quare Ernesti dicitur auctor *scholae philologicae* interpretationis. Hic auctor inspirationem Scripturae, eiusque infallibilitatem, Christi Divinitatem, eiusque miracula admittit, et interpretem de iis persuasum supponit. Con-

tra vero editio 5° ab Ammon curata rationalisticis commentis scatet tum in notis huc illuc inspersis, tum in longa *Praefatione* editoris rationalismo addicti.

Post medium saeculum XVIII ortus est in castris Protestantium *Rationalismus biblicus,* novaque methodus Scripturam exponendi, quae *nova Exegesis* vocari solet. Huius parens haberi solet Iohannes Sal. Semler, cuius opera hermeneutica sunt: *Apparatus ad Hermeneuticam Theologicam.* Halle 1759–68. *Apparatus ad liberalem N. T. interpretationem,* ibid 1769 et *Apparatus ad liberalem V. T. interpretationem.* ibid 1773. In his operibus fundamenta rationalismi biblici iaciuntur, qui postea sub variis formis propositus fere omnes Protestantium universitates et scholas biblicas infecit. Exinde prodiit longa series operum biblicorum, et tractationum hermeneuticarum, in quibus non solum inspiratio Scripturae excluditur, sed ipsa historica eius veracitas negatur, imo ipse obvius verborum sensus, nedum spiritus et scopus ss. Auctorum, pervertitur, offuscatur et iuxta praeconceptos errores misere torquetur. Auctores, qui hanc methodum pro suo quisque ingenio, et sub diversa scientifica forma sectati sunt, eorumque libros hic recensere nolumus; quaedam de his dicturi sumus in Sect. III. Partis II huius Hermeneuticae, ubi Rationalismi biblici principia et varia systemata ad examen revocabimus. Interim notamus ipsam Rationalistarum audaciam, et exorbitantem licentiam in Scripturis pertractandis eorum causae nocuisse. Hoc enim periculo excitati plures inter ipsos Protestantes adversus novas hasce theorias conclamarunt, et saniora interpretationis principia propugnare aggressi sunt. Ex his alii pietisticum interpretationis genus rationalistico opposuerunt, ut ex. gr. Stier: *Andeutungen fur gläubiges Schriftverständniss* Lipsiae 1824-30, alii philologicam et grammatico-historicam interpretationem defenderunt ut Winer, Fritzsche, Mayer, Lücke, alii potissimum fidei analogiam spectandam esse docuerunt, ut Germar, Klausen et Lutz, alii denique conati sunt haec omnia inter se componere, non excluso aliquo respectu ad sensum sanctorum Ecclesiae Patrum, ut Tholuck, Olshausen, Delitzsch, Langen, Hengstenberg aliique. Verum hi omnes, licet laudandi sint quod Scripturarum dignitatem, et debitam eis reverentiam tueri ac vindicare tentaverint, longe tamen absunt a vera et perfecta Scri-

pturas interpretandi ratione, quae omnino requirit ut ratio habeatur infallibilis magisterii Ecclesiae, *cuius est iudicare de vero sensu ac interpretatione Scripturarum sanctarum*, et quae unice veram fidem docet, cuius analogia interpretem dirigere debet in locis dogmaticis, et obscurioribus intelligendis ac exponendis. Hinc libertas seu licentia rationalistica froenari nullo modo potuit per laudabiles illorum conatus, et adhuc in scholis protestantium longe lateque grassatur. Haec de historia hermeneuticae biblicae.

IV. Hermeneuticae divisio, et tractationis partitio.

Admodum varia est ratio dividendi Hermeneuticam apud diversos auctores. Recentioribus tamen plerisque probatur divisio quam S. Augustinus indicat in principio libri 1. de Doctrina Christiana, ut nempe agatur primum de ratione *inveniendi* Scripturae sensum, deinde vero de ratione sensum aliis *exponendi*. « Duae sunt res, inquit, quibus nititur omnis tractatio Scripturarum: modus inveniendi quae intelligenda sunt, et modus proferendi, quae intellecta sunt. De inveniendo prius, de proferendo postea disseremus. » Haec divisio ex ipsa notione interpretationis, et ex definitione Hermeneuticae superius tradita descendit, ideoque aptissima videtur. Appellarunt nonnulli primam partem quae de sensu *inveniendo* pertractat *Euristicam*, alteram vero quae docet modum *exponendi* sensum vocarunt *Prophoristicam*. Nos speciosa vocum novitate praetermissa, rem ipsam tenebimus, et de utraque parte seorsim agemus: Visum tamen est eis praemittere aliam partem generalem, et veluti isagogicam tractantem de sensibus Scripturae universim sumptis, de quibus sive inveniendis, sive exponendis deinceps agendum est. Erit igitur totius Hermeneuticae Biblicae divisio in tres partes. *I. De sensibus Scripturae generatim sumptis. II. De sensu Scripturae inveniendo. III. De sensu Scripturae aliis proponendo.*

Ad ultimum, ut clericorum utilitati magis magisque consulamus, Hermeneuticae adiiciemus binas *Appendices*, quarum altera exhibebit specimen interpretationis selectorum quorundam locorum S. Scripturae, altera vero dissertationem, superius in Introductione critica promissam, de lectione S. Scripturae in linguis vulgaribus, de varia Ecclesiae in hac re disciplina, et de biblicis, uti vocant, societatibus a Protestantibus institutis.

INTRODUCTIONIS EXEGETICAE

IN

SACRAM SCRIPTURAM

PARS PRIMA

DE VARIIS SACRAE SCRIPTURAE SENSIBUS

Si de libris hominum ageretur haec tractatio praemittenda non esset; cum in huiusmodi libris, quemadmodum in sermone humano, unus semper sit sensus singularum loquutionum, nempe is, quem verba iuxta receptas loquendi leges intellecta praeseferunt. Sed aliter res se habet in libris divinis, ubi praeter verborum sensum, alii etiam occultiores et sublimiores inveniuntur in ipsis rebus per verba expressis latentes, qui nec facile intelligi, nec omnino praeteriri possunt. Hinc non immerito de hac sensuum varietate et multiplicitate in antecessum tractare proposuimus, quemadmodum etiam de aliis quibusdam sensibus qui licet Scripturae ipsi non inhaereant, solent tamen eius verbis affingi.

Sensus alicuius sermonis, vel scripti nihil aliud est nisi *mens auctoris,* seu magis definite « Sensus est ille conceptus, vel summa conceptuum, quos auctor per suum sermonem, vel per singulas sermonis partes exprimere, et in animis lectorum excitare voluit. » Unde apparet *sensum sermonis* non esse confundendum cum *significatione verborum.* Significatio enim inhaeret verbis seorsim sumptis prout in lexicis continentur, sensus vero adnexus est verbis inquantum ab auctore simul unita et composita sunt, et certis conceptibus suae mentis exprimendis accommodata: unde fieri potest, et non raro fit, ut in aliquo loco singularum vocum *significationem*

apprime teneamus, *sensum* vero, seu ideam quam auctor in mente habuit, et exprimere voluit intelligere non possimus. (1).

Qua posita notione dicimus in S. Scripturis duplicem sensus speciem inveniri pro diversa ratione, qua mens Auctoris exprimitur, vel scilicet per verba, vel per res ipsas prius verbis significatas. Ita rem lucide exponit Angelicus Doctor I q. 1. a. 10. c. « Auctor S. Scripturae est Deus, in cuius potestate est, ut non solum voces ad significandum accommodet, quod etiam homo facere potest, sed etiam res ipsas. Et ideo, cum in omnibus scientiis voces significent, hoc habet proprium ista scientia quod ipsae res significatae per voces etiam significant aliquid. Illa ergo prima significatio, qua voces significant res, pertinet ad primum sensum, qui est sensus historicus, vel literalis: illa vero significatio, qua res significatae per voces iterum res alias significant, dicitur sensus spiritualis: propter quod sensus spiritualis super literalem fundatur, et eum supponit. » Ubicumque igitur occurrit sensus mysticus duae res considerandae sunt, altera quae significat, altera quae significatur; et sensus mysticus in ipsa re existit antequam in verbis, et tunc tantum verbis Scripturae subest quando istis res illae mysticam destinationem habentes exprimuntur. Res illa quae assumitur in alterius rei signum vocari solet *figura,* vel *typus,* res autem per illam significata appellatur *figuratum,* vel *antitypus:* licet multi auctores discrimen ponant inter *figuram* et *typum;* appellant enim typos illas tantum res quae in V. T. erant signa Christi eiusque Ecclesiae, ceteras autem quae aliarum rerum vel personarum signa erant vocant simpliciter figuras. Figuratum semper nobilius est sua figura, quemadmodum *corpus* excellentius est *umbra* quae eius formam repraesentat. Ob duplicem hunc sensum alterum obvium in verbis, alterum occultum et sub rebus latentem Hieronymus Scripturam designari putat per librum scriptum intus, et foris qui Ezechieli oblatus est (Ezechiel. 2.) Haec est generalis et fundamentalis divisio sensuum Scripturae, quam omnes Doctores et interpretes admittunt; differunt tamen aliquantulum in vocibus quibus utramque sensus speciem designant. Alii enim

(1) Discrimina inter verborum significationem, et sensum subtiliter persequitur et explicat Ranolder op. cit. Praelimin. cap. II. §. 8, 9.

appellarunt primum illum sensum, qui ex verbis exprimitur *verbalem,* alterum vero per res expressum *realem;* alii primum vocarunt *corporalem* (σωματικον), alterum *spiritualem* (πνευματικον); nonnulli vocant primum sensum *immediatum,* alterum *mediatum,* quia scilicet per verba mediantibus rebus exprimitur; alii appellant primum sensum *historicum* vel *grammatico-historicum,* alterum *symbolicum;* demum plerique auctores alterum ex duobus sensibus appellant *literalem* seu *grammaticum,* alterum *mysticum.* Nos postremas hasce appellationes tenebimus. Aliae enim superius memoratae aut ab usu communi remotae sunt, aut aequivocationi obnoxiae esse possunt. Sensus *literalis* seu grammaticus (1) rursus in duas species dividitur nempe in sensum literalem *proprium,* et *improprium,* seu *metaphoricum* aut figuratum, prout verba vel accipiuntur in sua nativa et ordinaria significatione, vel ad aliud significandum ob analogiam transferuntur, quemadmodum in omnibus linguis fieri solet. Ita cum Christus de se aiebat: *Ego et Pater unum sumus,* sensu literali proprio loquebatur, improprio vero seu metaphorico cum diceret: *Ego sum vitis, vos palmites;* non enim proprie erat vitis, sed altiore sensu illud ipsum praestabat et praestat discipulis suis quod vitis suis palmitibus, scilicet vitam et foecunditatem, et hoc alterum est quod verbis illis designare volebat, non vero primum, quod esset absurdum. Ita S. Thomas loc. cit. a. 10. ad 3^{um} « Per voces significatur aliquid proprie et aliquid figurative. Nec est sensus literalis ipsa figura, sed id quod est figuratum: non enim cum Scriptura nominat Dei brachium est literalis sensus, quod in Deo sit membrum huiusmodi corporale,

(1) Haec non sunt duo nomina diversa, sed idem nomen vel latine, vel Graece prolatum. Quod enim latinis sunt *literae* Graecis sunt γραμματα, unde γραμματικος idem sonat ac *literalis.* Nonnulli recentiores putantes hanc vocem non satis exprimere naturam huius sensus eum appellare malunt sensum *grammatico-historicum,* vel quia plerumque historiam exhibet, vel potius quia verborum sensus determinatur etiam ab adiunctis externis scriptoris vel lectorum, imo etiam aliquando eum vocarunt *grammatico-logico-historicum* quia etiam logicae sermonis leges in verborum sensu determinando partem habent. Verum non oportet ut rerum nomina totam earum naturam adaequate exprimant, quod potius ad definitionem, et ad philosophicam rei expositionem pertinere videtur. Contenti igitur simus communi et usitata appellatione *sensus literalis.*

sed id quod per hoc membrum significatur, scilicet virtus operativa. » Quamvis autem in sensu metaphorico duplex res implicite contineatur, quarum una est alterius signum, sensus tamen iste cum sensu mystico confundi nequit. In hoc enim duae res signans et signata sunt ambae verae, et a sacro scriptore ut verae et reales traduntur, ut ex. gr. cum Exod. XII. describitur agnus Paschalis eiusque ritus, quae omnia vere ac proprie uti leguntur praecepta fuerunt Hebraeis, et quotannis ab eis perficiebantur, sed insuper mystice praefigurabant Christum Dominum, eiusque sacrificium; contra vero in metaphorica loquutione res signans ab auctore non intenditur ut vera et realis, sed tantum menti lectoris obiicitur ut imago sensibilis, sub qua aliquid aliud intelligere debet, ad quod intentio auctoris terminatur. Hoc discrimen admittendum est etiam inter *parabolas,* et sensum *mysticum.* In parabola enim factum quod sub forma historica narratur numquam accidit, nec auctor vult illud accipi ut veram historiam, sed tantum ut imaginem sub qua veritas aliqua adumbratur, quam auctor tradere intendit, et quae sola constituit sensum eius sermonis. Quare sensus parabolarum, vel *parabolicus,* ut vocari solet, non est species sensus mystici, sed sensus literalis improprii seu metaphorici. Similiter accidit in *visionibus* et *symbolis,* quae apud Prophetas adhibentur ad res futuras praedicendas; illa enim nihil aliud erant quam imagines sensibiles oblatae imaginationi Prophetae ad res alias designandas, puta monstruosa illa animalia Ezechieli, Danieli, et Iohanni conspecta ad mysteria divina, vel ad futuras gentium sortes figurandas, minime vero solida ac realia obiecta, ac uti talia a lectoribus habenda, ut fit in locis mysticis. (1) Quare etiam hic sensus quem nonnulli *symbolicum* appellant, ad sensum literalem figuratum, non autem ad sensum mysticum pertinet.

Etiam mysticus sensus in varias species dividi solet. Communis eius divisio, apud veteres Theologos usitatissima, est in tres species, quae vocari solent *allegoria, tropologia,* et *anagogia.* Quae divisio ex diversitate rei significatae desumitur. Si enim haec sit aliquid in Novo Testamento futurum tunc eius significatio adnexa

(1) Hoc etiam discrimen, subtiliter declarat angelicus Doctor in Quodlibeto VII. art. 15 ad 1. et art. 16. c.

typo in V. T. existente dicitur *allegoria* vel *sensus allegoricus;* si res significata sit aliquid documentum morale dicitur *tropologia,* vel *sensus tropologicus,* seu *moralis,* si denique sit patria coelestis dicitur *anagogia* vel *sensus anagogicus.* Hae voces usu potius, quam' vi sua nativa determinatam hanc et arctam significationem praeseferunt, et apud antiquos Patres non ita constanter et accurate inter se distinguuntur. Nam apud quosdam vox anagogia de quolibet sensu mystico vel saltem de eo qui res divinas et a sensibus remotas denotat usurpata invenitur, ut apud auctorem operis de Coelesti Hierarchia capp. 1. 2. apud Originem De Principiis L. IV. §. 21. Chrysostomum in Ps. XLIX §. 1. et alios, considerata nempe vocis significatione *animum ad altiora evehendi:* idem factum est de voce *allegoria,* quae per se nihil aliud significat quam aliud dicere, aliud verbis significare, vel, ut Quinctilianus explicat (Instit. Orator. l. VIII. c. 6) *aliud verbis aliud sensu ostendere:* quare haec vox adhiberi solet in Rhetorica ad designandum sensum literalem metaphoricum, cum paulo longior est, et ad integram narrationem vel sermonem extenditur, ita ut allegoria definiatur *continuata metaphora,* quo sensu etiam Ecclesiastici scriptores eam vocem aliquando accipiunt; sed etiam cum agunt de sensu spirituali seu mystico Sacrae Scripturae aliquando allegoriam vocant generice quemlibet huiusmodi sensum, ut videre est ex. gr. apud Basilium (homil. IX in Hexamer.) et Hieronymum (Comm. in c. 4 Amos). Scholastici tamen doctores hanc vocem specifice usurparunt ad eum tantum sensum mysticum designandum, qui ad Christum, eiusque Ecclesiam refertur (1) id desumentes impri-

(1) Quoniam varietas significationis maxime in voce *allegoria* locum habet, operae pretium duximus omnes eius acceptiones sub uno conspectu hic proponere, ut aequivocationi vel confusioni in posterum aditus praecludatur. Imprimis itaque notandum est *allegoriam* aliud significare apud grammaticos et *rhetores*, aliud vero apud *theologos*. In usu loquendi rhetorico allegoria est species sensus literalis figurati, seu continuata metaphora, ut est ex. gr. illa pulcherrima de navi in tempestate deprehensae qua pericula reipublicae adumbrantur apud Horatium Od. l. 1. ode XII. In usu vero *Theologico* allegoria non est praecise verborum sensus, sed potius rerum, et ex rebus haustus. Rursus autem id accipitur tribus modis: aliquando in sensu *strictiore* pro specie illa sensus mystici qui ad Christum refertur, ut supra diximus, aliquando in sensu *latiore* pro quolibet sensu mystico, aliquando denique in sensu *la-*

mis ex testimonio Pauli, qui Gal. IV, allata in medium historia duarum uxorum, et duorum filiorum Abrahami (Gen. XII. XVI), subdit : « *quae sunt per allegoriam dicta. Haec enim sunt duo testamenta* » quibus declaratis concludit v. 31. « *Itaque, fratres, non sumus ancillae filii, sed liberae: qua libertate Christus nos liberavit* ». Tres istae species mystici sensus, una cum sensu literali duobus hisce versiculis memorialibus comprehendi solent.

Litera gesta docet, quid credas *Allegoria*,
Moralis quid agas, quo tendas *Anagogia*.

Nonnulli etiam antiqui theologi singulis hisce sensibus assignabant unum ex quatuor Doctoribus maximis Ecclesiae latinae, qui in unius vel alterius expositione imprimis excellere videbatur; atque ita sensui literali dabant Hieronymum, allegorico Augustinum, morali seu tropologico Gregorium M. et anagogico Ambrosium; nec difficile esset idem animadvertere de Doctoribus Ecclesiae Graecae. Notari etiam potest tres species sensus mystici pulchre respondere tribus virtutibus theologalibus, ita ut Fidei respondeat allegoria, Spei anagogia, et Charitati tropologia ut ex rei natura patet. Omnes autem hi sensus possunt in uno eodemque loco Scripturae inveniri, cuius rei exemplum afferri solet Ierusalem, vel loca ubi Ierusalem laudes celebrantur ex. gr. Psalm. 47, et Ps. 86, quae quidem in sensu literali et historico de urbe principe Iudaeorum intelligenda sunt, in sensu allegorico de Christi Ecclesia, aut etiam de B. Maria Virgine, in sensu anagogico de patria coelesti, in sensu morali de anima fideli in genere et de mystica eius unione cum Deo. Alia divisio sensus mystici apud recentiores passim recepta est pariter in tres species, quas vocant sensum mysticum *historicum*, seu commemorativum, *moralem*, et *propheticum*. Historicus est qui rem gestam in memoriam revocat, ut erat agnus Paschalis, eiusque ritus institutus ad commemorandam liberationem primogenitorum Iudaeorum in Aegypto commorantium ab universali strage (Ex. XII. 11); moralis qui virtutis documentum insinuat ut ex. gr.

tissimo pro omni sensu qui ex rebus in s. Scriptura relatis quomodocumque erui potest etiam praeter mentem auctoris, seu per meram accomodationem; quo sensu vocari solet interpretatio *allegorica* methodus illa Scripturas exponendi, cui Origenes eiusque asseclae potissimum indulgebant.

circumcisionis ritus resecationem vitiorum significabat (Lev. XXVI. 41 Deut. X. 16 XXX. 6); propheticus vero qui rem futuram adumbrat, quem quidem subdividunt in *simpliciter propheticum*, qui rem intra tempus eiusdem veteris Testamenti futuram portendebat, ut fuerunt mysticae illae actiones quorumdam prophetarum quibus illi saepe tristia vel laeta populo praedicebant ut ex. gr. occurrit Is. XX. 1-4. Oseae I. 2-9, Ier. XXVII. 1-3 Ezech. IV. 1-17 etc. et *stricte propheticum* vel proprie *typicum*, qui ad Christum et Ecclesiam refertur, ut ex. gr. memoratus ritus Agni Paschalis quatenus typus erat sacrificii Christi (Io. XIX. 36).

Et haec quidem de sensus tum literalis tum mystici notione et divisionibus. Nunc de utroque seorsim tractandum est, et variae de iis quaestiones proponendae; quibus in fine addemus nonnulla de sensu quem vocant *accommodatum*, vel accommodatitium, qui licet proprie sensus Scripturae non sit, verbis tamen eius affingi solet, et est magni usus praesertim in theologia ascetica et pastorali.

CAPUT II.

De literali sacrarum Scripturarum sensu

Circa sensum literalem Scripturarum duae generales quaestiones fieri solent 1° an existat et admittendus sit in omnibus et singulis locis 2° utrum in uno eodemque loco aliquando multiplex sit.

Questioni 1ae affirmative prorsus respondendum est. Hinc esto

THESIS I

Sensus literalis sive proprius, sive improprius in omnibus et singulis sacrae Scripturae locis admittendus est.

Haec quaestio videri posset superflua cum Scripturae verba sicut omnis sanae mentis hominum sermo, sensum aliquem necessario praeseferre debeant. Verum ex idearum confusione, et ex male intellectis quibusdam veterum Doctorum sententiis originem habuit haec controversia quae hic breviter solvenda est.

I. Rationes dubitandi.

1° Veteres quidam Ecclesiastici scriptores negarunt in quibusdam Scripturae locis sensum literalem. Ita Origenes Lib. IV. de Principiis §. 16-19 postquam dixisset in libris utriusque Testamenti quasdam historias contineri *minime veras,* et quaedam praecepta *absurda et impossibilia* quae idcirco in sensu tantum spirituali accipienda sunt, ita generatim concludit §. 20. « Sic itaque de universa Scriptura statuimus: sensum ubique haberi spiritualem (πνευματικον) *non autem ubique corporeum* (σωματικον): nam saepe quod corporeum est impossibile invenitur ». Item in Homil. 2 in Genesim §. 6 « Non semper, inquit, in scripturis divinis *historialis consequentia* stare potest, sed nonnumquam deficit, ut, verbi gratia, cum dicitur: Spinae nascentur in manu ebriosi. » Huic sententiae subscribit Nicolaus Lyranus qui in Prolegom. III. ad Postillas scribit: *Alicubi vero non habet* (Scriptura) *sensum literalem proprie loquendo.*

2° Accedunt rationes quaedam internae. Dicunt enim imprimis sensum literalem in quibusdam locis absurdum, ineptum, aut obscoenum fore, ac proinde non potuisse a Spiritu Sancto intendi, ut est ex. gr. illud quod legitur Osee I. 2. « Dixit Dominus ad Osee: Vade sume tibi uxorem fornicationum et fac tibi filios fornicationum », quod a morum honestate abhorret, aut illud Ezech. IV, V, ubi Propheta iubetur certo dierum numero dormire super latus sinistrum, deinceps vero super dexterum, tum novam quamdam panis speciem comedere stercore inquinati et alia similia. Idem nonnulli existimarunt de tota narratione tentationis Hevae per serpentem, quae Gen. III legitur.

Addunt quaedam loca V. T. de Christo explicari ab hagiographis N. T. ac proinde de Christo omnino intelligenda esse, quae tamen si *literaliter* accipiantur nullatenus ad Christum pertinent. Ergo non possunt *literaliter* accipi. Exemplum ponunt ex 2 Reg. VII. 14 « *Ego ero ei in Patrem et ipse erit mihi in Filium* » quae verba in contextu considerata Salomonem respiciunt, et tamen Paulus (Hebr. I.) docet de Christo esse dicta: item afferunt verba Osee XI. 1 « *Ex Aegypto vocavi filium meum* » quae manifeste de populo Hebraeorum ex Aegyptiaca servitute liberato intelligenda sunt secundum literalem sensum, sed ab Evangelista Mat-

thaeo (II. 15) de Christo ex Aegypto revertente scripta esse dicuntur.

II. Verum haec non obstant quominus sensum literalem in omnibus et singulis Scripturae locis existere citra omnem dubitationem credamus. Et re sane vera: recolamus notiones sensus literalis et mystici, quas superius cum S. Thoma exposuimus, ut scilicet literalis dicatur sensus, qui per verba sive proprie sive metaphorice accepta exprimitur, mysticus vero qui per ipsas res verbis expressas designatur. Quibus praesuppositis, ita argumentum institui potest. Testimonia Sacrae Scripturae aut non habent mysticum aliquem sensum, aut habent. Si non habent, evidens profecto est ea sensum literalem habere: cum enim haec loca sensu mystico careant, si neque literalem haberent, essent prorsus sensu vacua, cum praeter duos illos sensus nullus alius aut sit aut fingi possit. Quid autem absurdius dici potest quam Spiritum Sanctum et Scriptores ab eo inspiratos verba sine sensu, aut sine mente sonos protulisse. Tota igitur quaestio ad ea tantum loca pertinet quae sensum mysticum habent. Cum enim haec sensum illum spiritalem et sublimiorem contineant dubitari quodammodo posset num etiam literalem sensum ab auctore intentum necessario habere debeant, an vero hoc uti superfluo vel absurdo aliquando destituta sint. Verum ex ipsa sensus mystici notione dubitatio haec facile solvitur. Cum enim sensus mysticus sit ille, quo res significatae per voces iterum res alias significant, manifestum est sensum mysticum, ut observat Angelicus Doctor, super literalem fundari et eum supponere. Si vero res illa vel factum per voces expressum non esset reale, sed in imaginatione tantum in signum vel figuram alterius rei assumptum, iam non esset amplius quaestio de sensu mystico, sed de sensu literali metaphorico, seu figurato: atque ita neque tunc careret locus ille sensu literali.

Hoc ipsum docent et inculcant Sancti Ecclesiae Patres: ex quibus Hieronymus Comm. in Cap. XII Is. scribit « Spiritualis interpretatio sequi debet ordinem historiae: quod plerique ignorantes lymphatico in Scripturis versantur errore » et Augustinus in Sermone de Tent. Abrahae « Admonemus, inquit, quantum possumus et praecipimus, ut quando auditis exponi sacramentum Scripturae mandantis quae gesta sunt, prius illud factum esse credatis sic

gestum quomodo lectum: ne, *subtracto fundamento* rei gestae, quasi in aere quaeratis aedificare ». Quibus concinit Gregorius M. lib. II in Evang. Hom. 40 scribens « In verbis sacri eloquii, fratres charissimi, prius servanda est veritas historiae, postmodum requirenda spiritualis intelligentia allegoriae. Tunc namque allegoriae fructus suaviter capitur, cum prius per historiam in veritatis radice solidatur ». Demum S. Thomas communem Scholarum doctrinam de Scripturae sensibus exponens in P. I q. I Art. 10 post declaratas notiones sensus literalis et spiritualis seu mystici, concludit: « Propter quod sensus spiritualis super literalem fundatur et eum supponit. » Concludimus igitur sensum literalem omnibus et singulis Scripturae locis subesse.

III. Rationes dubitandi superius adductae facile solvuntur. 1° Ad auctoritatem Origenis, et quorumdam eius sectatorum possemus imprimis respondere eam non esse in re nostra attendendam. Et sane Origenes ab aliis gravissimis Doctoribus de hoc adamussim vitio, idest de neglecto seu excluso sensu literali, reprehensus est. Ita ex. gr: S. Eustathius Antiochenus in libro de Engastrimytho, seu de facto narrato 1 Reg. XXVIII de muliere Pythonissa a Saule consulta, quod Origenes historice non accipiebat, ita acriter Origenem insectatur: « Porro in suis de Iob, qui multa passus est, homiliis, non admiratur (Origenes) tollerantiam, non commendat virtutem, non probat fidem, non fortitudinis animi exempla describit, non tyrones milites magnitudine animi, vigoreque prudentiae ad virtutem hortatur, non armat certatores, ut fortiter pro pietate pugnent. Sed haec omnia praetergressus, sublimi dicendi modo filiarum nominibus exponendis aniliter multa consumpsit. Verum quae de Diei nomine, et Cassiae, sive Cornucopiae nugatus est, hic commemorare difficile est: multiplici namque scatent futilitate. » Item Theophilus, in Epistola paschali I ita in Origenem invehitur: « Quae illum ratio, quis disputationis ordo perduxit, ut allegoriae umbris et cassis imaginibus Scripturarum tolleret veritatem? » Cui consentit Epiphanius Origenem carpens quod « historiae veritatem allegorico depravans mendacio infinita verba multiplicat. » Similia habent Basilius, Hieronymus, aliique. Quare merito possemus cum his gravissimis doctoribus Origenis auctoritatem missam facere. Verum si res accuratius expendatur appare-

bit Origenem eiusque sectatores thesi nostrae proprie non contradicere.

Hoc autem ut recte intelligatur duae quaestiones distinguendae sunt. 1° An Origenes in aliquo loco S. Scripturae negaverit existere quemcumque sensum literalem. 2° An in quibusdam locis negaverit sensum literalem *proprium* ut ei substitueret *translatum*, quae tamen loca in proprio verborum sensu explicari debuissent. Iamvero ad primam quaestionem quod attinet (de qua nunc tantum loquimur), dicimus Origenem numquam negasse in aliquo loco Scripturae omnem prorsus literalem sensum, quamvis id verbis negare videatur. Tota autem ratio aequivocationis est in varia acceptione nominis illius *sensus corporeus, sensus literalis.* Nos enim his vocibus designamus omnem sensum qui per verba exprimitur sive *proprie*, sive *metaphorice* accepta, contra vero Origenes cum nonnullis aliis ex veteribus eo nomine designant solum sensum, qui ex verbis *proprie* acceptis exurgit, translatum autem seu metaphoricum verborum sensum, quem nos dicimus speciem sensus literalis, illi inter species sensus spiritualis enumerant. Hoc autem modo verissime dicunt in pluribus Scripturae locis, sensum corporeum vel literalem, utpote absurdum vel vanum, admitti non posse, quia verissimum est multa legi in Scripturis, quae iuxta propriam verborum significationem absurda essent, et ideo sunt metaphorice intelligenda, ut cum dicitur Deus habere oculos, aures, manus, vel cum Christus dicitur Leo, Agnus, Vitis, Ostium aut alia huiusmodi. Hanc fuisse Origenis mentem probant, praeter alia, ipsa eius verba in Lib. IV De Princ. unde obiectio deprompta erat: ibi enim n. 8° incipiens tradere regulas interpretationis S. Scripturae scribit: « Duri enim corde et idiotae, qui de circumcisione sunt, prophetiarum quae de Christo loquuntur dictionem sequi se existimantes in Salvatorem Nostrum non crediderunt: cum enim sensibiliter non cernerent, ipsum praedicasse captivis redemptionem, neque aedificasse, quam vere credunt, civitatem Dei, neque exterminasse currus Ephraim, et equum de Ierusalem, neque butyrum et mel comedisse.... rati insuper esse prophetatum fore ut lupus animal quadrupes cum agno pasceretur, pardus cum haedo stabularetur..... nihil horum in eius, quem Christum credimus, adventu sensibiliter cernentes factum, Domi-

num Nostrum Iesum Christum nedum susceperint, eum tamquam sese contra ius Christum faceret crucifixerunt . . . . . Iis autem omnibus (concludit n. 9°) nulla falsarum opinionum, nulla impietatis et stolidorum de Deo sermonum causa esse alia videtur, quam Scriptura non secundum *spiritualem sensum* intellecta, sed secundum *literalem* accepta. » In quo testimonio evidens est nomen *literalis sensus* stare pro sensu literali *proprio,* quem in illis vaticiniis Origenes merito excludit, sensum vero spiritualem significare sensum literalem metaphoricum, quem ibi agnoscendum esse merito docet. Eodem igitur modo Origenes intelligendus est cum in n. 20 eiusdem libri ait *corporeum sensum non ubique inveniri* in SS. Scripturis, aut cum in homilia 2ª in Genesim affirmat *historialem consequentiam non semper stare posse;* quod etiam patet ex exemplo, quod in hoc altero loco adducit, ut vidimus, ex Prov. XXVI. 9, ubi metaphoricum literalem sensum contineri (iuxta graecam versionem) manifestum est. Eadem valet responsio pro Nicholao Lyrano: eum scilicet nomine sensus literalis solum sensum proprium verborum intellexisse, ut apparet ex lectione integri loci obiecti, ubi inter alia adducit Apologum Ioathami, Iud. IX. 8-15, tamquam exemplum sensus spiritualis seu mystici, cum tamen non sit iuxta nostram loquendi rationem nisi literalis sensus improprius seu translatus. Quamquam Lyranus in eodem loco fateatur parabolas, adeoque omnem sensum translatum posse adnumerari speciebus sensus literalis, atque ita a se factum interdum dicat. Et haec quidem de prima quaestione, quae ad rem nostram proprie pertinet.

Si vero fiat altera quaestio, an Origenes aliquando nimis facile negaverit sensum proprium verborum S. Scripturae, ut metaphoricum et allegoricum induceret, respondemus Origenem revera a pluribus huius vitii accusatum fuisse; huc enim pertinent testimonia superius citata Eustathii, Epiphanii aliorumque antiquorum, quibus passim subscribunt recentiores cum de Origenis commentariis eiusque methodo interpretandi loquuntur. Non defuerunt tamen qui Origenem ab huiusmodi etiam accusatione defenderent, inter quos olim Illmus Huetius, nuper vero cl. Prof. Vincenzi in sua Origenis apologia (1), ubi copiosissima et eruditissima disputatione

(1) Vide Aloysii Vincenzi: *In S. Gregorii Nysseni et Origenis*

demonstrare contendit, Origenem sensum literalem proprium seu historicum ubique in Scriptura admisisse tamquam eius *corpus*, a quo distinguebat sensum moralem et mysticum tamquam Scripturae *animam*, et *spiritum* (1): eumdemque sensum historicum non penitus neglexisse etiam in iis libris, qui maxime a laudatis Doctoribus reprehenduntur, quales sunt eius commentarii in libros Moysi, et in librum Iob. Ita in hom. 2 in Genesim de Arca Noe eiusque historia et adiunctis secundum literam fuse disserit, et narrationis veritatem adversus Apellem Marcionitam defendit: et in homil. 10 in Leviticum n. 1 in genere affirmat tenendam esse literam in libris Moysi, licet in iis ritibus, legibus etc. agnoscendam esse doceat figuram Christi eiusque Ecclesiae. In Tractatu in Iob autem, quantum ex eius fragmentis quae supersunt iudicari potest, non omisit historiam exponere, et exempla fortitudinis, patientiae, pietatis in sua luce collocare, imo haec vehementer inculcat, ita ut immerito de hac omissione reprehendatur ab Eustathio in loco citato. Fatetur tamen laudatus auctor Origenem in homiliis ad populum, praetermisso saepe (non reiecto) sensu literali historico, libentius sequutum fuisse figuratum, allegoricum, et accommodatum sensum, eo quod Christianae plebis aedificationi eum utiliorem putaret (2) : in operibus vero dogmaticis et polemicis pressius inhaesisse sensui historico et grammatico. Si vero aliquando veras historias V. T. fabulas (μυθους) appellat, nomen hoc non pro ficta narratione, ut faciunt recentiores Rationalistae, sed pro nota et vulgata historia accipit, ut pluribus adductis testimoniis ostendit laudatus Vincenzi loco citato cap. XXVI. Utrum haec ad Origenis defensionem sufficiant iudicet lector. Et haec satis de obiectionibus externis.

2° Internae vero obiectiones seu rationes dubitandi facilius

scripta et doctrinam nova recensio. Vol. II. Capp. XXV–XXIX Romae 1864.

(1) Ita ex: gr: Hom. VIII in Lev. n. 5. « Triplicem namque, ait, in Scripturis divinis inveniri saepe diximus modum, *historicum*, *moralem* et *mysticum:* unde et *corpus* inesse ei, et *animam*, et *spiritum* intelleximus ».

(2) « Non enim (inquit in homil. 7 in Levit. n. 1) nunc exponendi Scripturas, sed *aedificandi Ecclesias* ministerium gerimus: quamvis (adiungit) et ex his, quae a nobis antea tractata sunt prudens quisque auditor evidentes ad intelligendum possit semitas invenire ».

solvi possunt. Dicebant enim primo quasdam historias, et quaedam praecepta absurda aut inhonesta fore si literaliter acciperentur. Verum distinguamus ea quae revera huiusmodi sunt si accipiantur iuxta obvium verborum sensum, quaeque, ut superius diximus, intelligenda sunt metaphorico sensu, qui etiam literalis est; haec, inquam, distinguamus ab iis narrationibus, vel praeceptis, quae apparenter tantum absurditatem praeseferunt, intimius tamen inspecta nihil huiusmodi continent: quae proinde in sensu literali etiam proprio, seu vere historico et possunt et debent intelligi. Porro ad hanc alteram classem referenda sunt exempla ab adversariis allata. Duo enim priora exempla singulares illas prophetarum actiones referunt quas saepe a Domino praeceptas in Scripturis legimus ad aliquid aliud mystice praenunciandum; haec autem mystica significatio rationem sufficientem earum constituit, quae secluso hoc fine ineptae aut irrationales merito dicerentur. In his igitur et similibus locis et ipsae prophetarum actiones ut historice verae accipiendae sunt, in quo est sensus literalis, et insuper mystica earum significatio est agnoscenda, quae plerumque ab ipso propheta postea reseratur, ut in duobus citatis locis factum est. Quod autem dicebant adversarii actiones illas Osee et Ezechielis ita absurdas aut inhonestas esse ut nullatenus possint historice intelligi falsum est (1). Siquidem ad Oseam quod pertinet, aliud est peccare cum muliere, aliud vero mulierem peccatricem in legitimum matrimonium sibi coniungere, in quo nihil inhonestum reperitur: porro non primum sed alterum facere Oseas iubetur. Ezechielis vero actus a Deo praecepti, quamvis difficiles et ad prophetae obedientiam probandam aptissimi non tamen aut turpes aut absurdi dici possunt, supposita semper mystica earum et prophetica significatione. Accedit duos illos difficiliores actus benigniorem explicationem admittere vel ab ipso Deo commutatos fuisse: non enim existimandum est prophetam iussum esse super latus sive sinistrum sive dexterum tam diuturno tempore iacere sine interruptione, sed noctu tantum cum cubitum recederet; neque

(1) Hieronymus quidem factum Osee non historice, sed allegorice, seu in sensu improprio accipit in Comm. in Os. 1. Verum totus contextus ita certum praesefert historicum characterem ut haec interpretatio probabilis non videatur quemadmodum etiam reliqui Patres et interpretes iudicarunt.

desunt qui cum Hieronymo existimant haec non realiter sed per somnium et in visione contigisse. Stercus autem humanum, rogante propheta, cum fimo boum a Deo commutatum est, et insuper non hic comedendus praecipitur cum pane, sed dumtaxat panis in eo coquendus, quod nihil absurdi continet, imo et usu receptum est apud quasdam gentes quae lignorum aliorumque combustibilium inopia laborant, ut ex: gr: in Arabia Petrea et in quibusdam locis Mesopotamiae ubi id adhuc fieri notum est.

Demum narratio tentationis Hevae Gen. III relata, quae a Caietano allegorice exponitur, ab omnibus tamen tum Patribus, tum interpretibus biblicis in sensu vere historico intelligitur, quemadmodum et contextus, et loquendi modus, et alia Scripturae loca evidenter ostendunt; nulla autem absurditas in eadem historia reperietur si tantum recte intelligatur, ita nempe ut diabolus quidem principalis agens fuerit, serpens vero eius instrumentum.

Ad illud quod postremo addebant de locis V. T. quae ad Christum referuntur ab Hagiographis N. T. quum tamen literaliter nullatenus de Christo loquantur, responsio in promptu est: haec scilicet loca duplicem habere sensum, alterum literalem de re illa vel persona quae in contextu exprimitur, alterum mysticum de Christo, qui licet ex verbis non appareat, aliunde tamen innotescit, et praecipue ex testimonio hagiographorum N. T. ac propterea loca ista sensu literali non carent. Ita verba 2 Reg. VII. 14 revera de Salomone dicta sunt, ut ex contextu evidenter apparet, quoniam vero Salomon Christi figura ac typus erat, eadem verba in sensu altiore ac mystico ad Christum dirigebantur, et hoc est quod Paulus respicit Hebr. I. 5. Item verba Osee XI. 1. revera ad populum Hebraeorum ex servitute Aegyptiorum liberatum pertinent iuxta verborum sensum, rursum vero, quoniam Hebraeorum populus Christum praefigurabat, eadem verba in mystico sensu de Christo puero ex Aegypto redeunte mystice intelligenda esse Matthaeus (II. 15) docet.

Quaestio secunda. De sensus literalis unitate vel multiplicitate.

Admissa in singulis Scripturae locis existentia alicuius sensus literalis, ulterius inquirere solent Theologi utrum aliquando in uno

eodemque loco plures sint literales sensus. Haec quaestio in scholis serio tractari coepit saeculo XVI. Antiquiores Theologiae tractatores et Scripturae interpretes (Saec. XVI–XVIII) plerumque in affirmativam sententiam concesserunt, existimantes scilicet quosdam Scripturae locos multiplicem habere literalem sensum: ita Alphonsus Salmeron, Vasquez, Serarius, Bellarminus aliique non pauci eiusdem aetatis, quibus maiori numero accesserunt auctores saeculi XVII et XVIII ut Cornelius a Lapide, Franciscus Sylvius, Bonfrerius Bannesius, Gonetus, Billuartius, Laurentius Veith, H. Goldhagen, Io. Nep. Schaefer aliique plurimi, (1) quamvis nonnulli opinionem istam ut probabilem tantum, non ut certam defendant ut ex. gr. Bellarminus. Verum saeculo nostro praevaluit contraria sententia de unico literali sensu, quam etiam ex antiquioribus defenderant gravissimi theologi Guill. Estius et Hieronymus Pradus: praecipui recentiores theologi pro hac sententia citari possunt Bern. De Rossi, Henrich, Monsperger, Iahnius, Arigler, Wiest, Glaire, Olivieri, Patrizi, Ranolder aliique, quamvis non desint etiam inter recentiores qui adhuc defendant multiplicitatem literalis sensus ut ex. gr. Liebermann et, ut videtur, etiam Perrone.

Licet haec quaestio libera sit, operae tamen pretium erit utriusque opinionis fundamenta diligenter expendere, cum unam vel alteram ex iis recipere res magni momenti sit, et practice in Scripturae interpretationem plus influat quam prima fronte appareat. Omnibus perpensis, altera sententia praeferenda nobis videtur: quod ut ostendamus ad examen revocabimus rationes, quae adduci solent pro multiplici literali sensu, easque demonstrabimus ita solidas non esse ut rem conficiant, quo facto unitas literalis sensus sufficienter probata censenda est: est enim haec quaestio huiusmodi ut ex defectu argumentorum pro contraria sententia veritas alterius inferri possit, cum multiplicitas sensuum literalium tam nova et insolita res sit, ut nisi certis rationibus probetur admitti non debeat.

(1) Horum catalogum diligenter pertexuit Illmus Beelen in opere infra citando, ubi etiam corrigit assertionem quorumdam auctorum qui nonnullos Theologos illius aetatis veluti contrarios huic sententiae citare solent, cum tamen illi multiplicitatem sensus literalis nusquam impugnaverint, ut ex: gr: Mich. Medina, et Fr. Ribera.

THESIS II

Sensum literalem in quibusdam S. Scripturae locis multiplicem esse certo demonstrari nequit.

Primum exponemus argumenta fautorum multiplicis sensus literalis, deinde vero, praemissis nonnullis ad statum quaestionis accuratius determinandum, rationum illarum valorem expendemus (1).

I Argumenta pro sensu multiplici literali ad haec revocantur. 1° Afferunt rationes quasdam *internas* et veluti a priori. Aiunt enim imprimis sensum Scripturae literalem a Dei intellectu pendere, qui est principalis Scripturae auctor. Cum autem divinus intellectus omnia simul comprehendat, et omnes possibiles verborum sensus, dicendum videtur hos omnes, vel saltem plures, simul intendisse, seu verbis exprimere voluisse. Addunt scopo sacrae Scripturae id maxime convenire: cum enim Scriptura ad omnium utilitatem exarata fuerit, cumque hominum ingenium, conditio, dispositiones, necessitates admodum variae sint, maxime convenit ut unusquisque in Scriptura illud inveniat quod ei utilius ac aptius esse possit.

2° Afferunt plura exempla, seu testimonia Scripturae, in quibus contendunt reipsa constare multos subesse literales sensus: quorum praecipua haec sunt: 1) Verba Gen. I, 1, *In principio creavit Deus caelum et terram*, quae tribus saltem modis explicari possunt, vel scilicet in principio temporis, vel in principio rerum, vel in Verbo Dei seu in Filio, de quo scriptum est Io. I. 2: *omnia per ipsum facta sunt*, et qui de se ipso dicit Io. VIII *Principium, qui et loquor vobis:* quos

(1) Tota haec quaestio copiosissime pertractata fuit a duobus recentioribus scriptoribus qui ambo pro unitate sensus literalis pugnant; sunt autem F. X. Patritius in op. *De Interpretatione Scripturarum Sacrarum* Lib. 1. Cap. III, Quaest. II, et Illmus I. Th. Beelen in egregio opusculo cui titulus: *Dissertatio Theologica, qua sententiam vulgo receptam, esse Sacrae Scripturae multiplicem interdum sensum literalem, nullo fundamento satis firmo niti demonstrare conatur I. T. B.* etc. Lovanii 1845. Hos duces potissimum sequemur in hac nostra disputatione.

omnes sensus Patres et Doctores probant. 2) Verba Gen. XLVII. 31 in Vulgata nostra leguntur: *adoravit Israel* (Iacob) *Deum conversus ad lectuli caput,* in veteri autem versione latina, et in graeca LXX legebantur: adoravit Israel *fastigium virgae*, το ακρον της ραβδου: Hebraicus textus autem utramque versionem patitur, nam postremum vocabulum si cum hodiernis punctis legatur (הַמִּטָּה) *lectulum* significat, aliis vero punctis, seu *patach et tsere,* appositis (הַמַּטֶּה) est *virga*. Ecclesia vero utrumque sensum probavit, et adhuc probat per usum et solemnem confirmationem utriusque Vulgatae. 3) Verba Deut. XXV. 4 *Non alligabis os bovi triturauti,* a Paulo intelliguntur de ministris Evangelii a fidelibus sustentandis 1 Cor. IX: neque hic alter dici potest sensus mysticus eorum verborum; quis enim dixerit boves triturantes fuisse typos vel figuras apostolorum? est ergo duplex in eo loco literalis sensus. 4) Ps. II. 7. Verba: *Ego hodie genui te,* tres sensus literales continent, et quidem omnes ab apostolo Paulo diserte explicatos: nam haec verba Hebr. I. 5. explicat de aeterna Christi generatione, et iterum Hebr. V. 5. de aeterno Christi sacerdotio, demum Act. XIII. 32 seqq. de gloriosa Christi resurrectione, quae veluti nova Christi generatio fuit. 5) Isaiae LIII. 4: *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit,* in contextu significat Christum Dominum peccata nostra, sive eorum poenas in se suscepturum, atque ita ea verba explicantur etiam a Petro Epist. 1. c. II, v. 24 et a Paulo 1 Cor. XV. 3. Verum Matthaeus cap. VIII, 16 in alio prorsus sensu ea intelligit, nempe de morbis corporalibus a Christo sanatis, ait enim: *Et eiiciebat spiritus verbo, et omnes male habentes curavit, ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam dicentem: ipse infirmitates nostras accepit et aegrotationes nostras portavit:* 6°) ibid. v. 8 quod legitur: *generationem eius quis enarrabit?* intelligendum est tum de aeterna Verbi generatione, tum de temporali ex matre Virgine, utraque enim ineffabilis est: vel etiam de generatione hominum, seu multitudine hominum qui Christi aetate erant victuri, quorum perversitatem, coecitatem, obstinationem merito ineffabilem vocaret Propheta. Omnes hi sensus a clarissimis Doctoribus et interpretibus sententiae illi tribuuntur. 7°) Verba Habacuc III. 2 iuxta variam vocum hebraicarum punctationem admodum diverse redduntur: a Hieronymo, scilicet ita: *in*

medio annorum notum facies, a LXX autem et veteri Vulgata latina reddita sunt: *in medio duorum animalium cognosceris.* Ecclesia vero utramque lectionem probavit, et adhuc recipit, nam prior in Vulgata hodierna extat, altera legitur in officio Divino in festo Circumcisionis Domini, et in Epiphania. 8°) denique urgent verba Caiphae Io. XI, 50: *Expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat,* quae manifestissime duos literales continent sensus alterum a Caipha intellectum ex falsa politica ratione et animi malignitate profectum, alterum propheticum a Spiritu sancto expressum, quem subinde declarat Evangelista v. 51.

3°) Innituntur auctoritati veterum Doctorum et Theologorum. 1°) Ad Patres quod attinet afferunt imprimis generales quasdam locutiones de mira foecunditate verborum S. Scripturae, quae multiplicitatem eius sensus literalis indicare videntur. Ita S. Basilius a Salmerone citatus ubi ait: Prodeat Basilius, qui in Prooemio operis de Spiritu sancto expendendos esse docet *ipsos literarum apices, ipsas literas et syllabas,* nedum voces et orationes. Accedit *S. Iohannes Chrysostomus* qui in hom. 21 in Genesim, ait Scripturam eo quod dictata sit a Spiritu S. multas sensuum habere divitias ita ut in singulis eius syllabis et literis ingentes thesauri lateant; item *S. Hieronymus* in ep. ad Paulinum ait: *in singulis verbis multiplices latent intelligentiae;* et in Comm. in Ephes. III, 6: *singuli sermones, syllabae, apices, puncta in divinis Scripturis plena sunt sensibus.* Hisce addunt alios Patres qui diserte affirmare videntur quasdam scripturae sententias plures simul sensus literales continere. Hi sunt S. Leo M., S. Augustinus, S. Gregorius M., S. Bernardus et Patres Concilii Lateranensis IV., S. Leo M. ait: « In Christo Iesu Filio Dei non solum ad divinam essentiam, sed etiam ad humanam spectat naturam, quod dictum est: generationem eius quis enarrabit? » S. Augustinus (quo potissimum gloriantur laudati auctores) in lib. XII. Confess. c. 31 loquens de variis modis quibus exponuntur ab interpretibus prima Moysi verba: In principio creavit Deus coelum et terram, scribit: « Ita cum alius dixerit: hoc sensit (Moyses) quod ego, et alius: imo illud quod ego, religiosius me arbitror dicere: cur non *utrumque* potius si utrumque verum est? et si quid *tertium,* et si quid *quartum,* et si quid *omnino aliud* verum quisquam in his verbis

videt, cur non *illa omnia vidisse credatur,* per quem unus Deus sacras literas vera et diversa visuris multorum sensibus temperavit? » Et iterum in Lib. III de Doctr. Christ. cap. 27. « Quid, inquit, in divinis eloquiis largius et uberius potuit divinitus provideri, quam ut eadem verba pluribus intelligantur modis? » Et in eodem sensu S. Gregorius M. Lib I Hom. 10 in Ezech. aiebat « Plerumque in sacro eloquio ideo aliquid obscure dicitur, ut dispensante mirabiliter Deo multipliciter exponatur. » Et S. Bernardus hom. 51 in Cant. » Unus, inquit, quilibet divinus Sermo non erit abs re, si diversos pariat intellectus. « Quibus accedit gravissima auctoritas Patrum Concilii Lateranensis IV Cap. *Firmiter* De Summa Trinitate, ubi de creatione mundi sermo est, nam, inquit Cornelius a Lapide: « Concilium ex illo Gen. I, In principio creavit Deus caelum et terram, *iuxta duos sensus literales* duas concludit veritates, scilicet quod mundus inceperit, quasi το in principio significet principium temporis, et quod nihil ante mundum sit productum, quasi το in principio idem sit quod *ante omnia.* »

2) Patribus addunt Scholasticos Doctores imprimis SS. Bonaventuram et Thomam. Ille enim verba Ps. 2. *Ego hodie genui te* in 1. Sent. dist. 9. Dub. IX explicare videtur duplici sensu diverso; quemadmodum etiam triplici sensu explicat prima Geneseos verba in 2 Sent. Dist. 1, Dub. II. Alter autem variis in locis idem affirmat ita ut eius auctoritate maxime glorientur huius opinionis defensores. En S. Thomae testimonia ab iis adducta. In Quodlibeto VII quaest. 6 Art. 15 scribit: « Totum id ad sensum literalem pertinet, quod ex ipsa verborum significatione recte accipitur: » ergo plures sunt aliquando sensus literales si verborum significatio sit multiplex. In Comment. in 2. Sent. dist. 12 Art. II. ad 1 inquit: « Auctoritati Scripturae in nullo derogatur, dum diversimode exponitur, salva tamen fide, quia maiori veritate eam Spiritus Sanctus foecundavit, quam aliquis homo adinvenire possit: » ergo diversi sensus qui verbis Scripturae affingi possunt sunt intenti a Spiritu Sancto: et clarius quaest. IV de Potentia Art. 1: « Omnis veritas, quae, salva litterae circumstantia, potest divinae Scripturae aptari est eius sensus ». Denique in Summa Theologica Part. I quaest. I Art. 10 c. postquam distinxisset sensum lite-

ralem a spirituali seu mystico, huiusque tres species enumerasset concludit: « Quia vero sensus literalis est quem auctor intendit, auctor autem S. Scripturae Deus est, qui omnia simul suo intellectu comprehendit, non est inconveniens, ut dicit Augustinus in XII Confess., si etiam secundum literalem sensum in una litera Sacrae Scripturae plures sint sensus. »

Haec sunt quae pro multiplici sensu literali S. Scripturae afferri solent.

II. Antequam praedicta argumenta ad examen revocemus oportet quaedam praemittere de vero quaestionis statu ac sensu: ut enim in huiusmodi quaestionibus fieri solet, multa saepe confusa et commixta in hac re fuerunt, quae omnino separanda sunt, et ad rem non pertinent. Itaque hoc est quod quaeritur: utrum in quibusdam Scripturae locis reperiatur *sensus literalis multiplex*. Expendamus singula verba huius formulae. Dicitur imprimis *sensus*. Sensus autem est mens auctoris, seu illud quod auctor in mente habebat et in animo lectorum excitare volebat. Igitur hoc ipso removendae sunt ab hac quaestione omnes illae interpretationes, quae non repraesentant auctoris mentem, sed aliquid aliud ab interprete excogitatum et verbis Scripturae affictum, quamtumvis verum atque utile sit, seu omnes quos vocant *accommodatos* sensus. Dicitur deinde *literalis:* non igitur hic quaeritur utrum aliquis locus Scripturae plures simul sensus in genere habere possit; hoc enim libenter omnes admittunt, potest enim aliquis locus sensum literalem habere, ac praeterea sensum mysticum, non solum unicum, sed et duplicem et triplicem iuxta varias eius species, quemadmodum alias diximus probabilius affirmari posse de Ps. 84 de laudibus Ierosolymae. Verum in hac quaestione quaeritur utrum plures sint sensus vere literales. Denique dicitur *multiplex:* multiplicitas autem constituitur ex iis, quae vere ab invicem distincta sunt. Ut igitur aliquis locus diceretur habere multiplicem sensum literalem, oporteret unam eamdemque sententiam, seu ipsa eademque verba iuxta grammaticam significationem simul, et ex intentione auctoris multas res distinctas, et invicem independentes significare. Hinc apparet non esse confundendum sensum literalem multiplicem, cum sensu *ambiguo:* cum enim locus ambiguus est, potest quidem duos vel tres diversos sensus recipere, sed isti disiunctive accipiendi sunt,

idest aut iste aut ille, et dubium relinquitur quemnam ex istis auctor intenderit; contra vero si locus haberet multiplicem literalem sensum, omnes isti sensus simultanee admitti deberent ut veri, seu ab auctore expressi. Apparet etiam distinguendum esse sensum vere multiplicem a sensu tantum *foecundo* vel *implicito:* si enim textus aliquis Scripturae sensum literalem habeat, in quo tamen implicite alii sensus contineantur qui ex eo deduci possint, nemo dixerit locum illum plures proprie sensus literales praeseferre; hoc enim in omni humano sermone fieri potest et solet, ubi tamen unicum semper esse literalem sensum adversarii fatentur: dicunt enim multiplicem sensum literalem esse proprium unius S. Scripturae ut a Deo inspiratae. Porro sensus illi impliciti duplici praesertim ratione in aliquo sensu literali contineri possunt, nempe vel ut partes in toto, et tunc per simplicem enumerationem erui possunt, vel ut conclusiones in suis praemissis, et tunc per ratiocinium, seu argumentando ex Scripturae sensu derivantur. Ita ex. gr. cum Petrus ait Epist. 1 cap. 1 v. 10 « Fratres, magis satagite, ut *per bona opera* certam vestram vocationem, et electionem faciatis » posset quis ita ea amplificare, et fideles tamquam ex persona Apostoli hortari: vigiliis et orationibus diligentius instate, eleemosynis pauperum inopiam levate, pupillis et viduis subvenite, consolamini afflictos etc. quae quidem omnia, licet inter se diversa, vere quidem in verbis Petri continentur ut partes in toto, vel species in genere, sed quis dixerit propter hoc non unum sed plures sensus diversos locum illum habere? Ita etiam cum legimus in Evangelio Simonis Petri lapsum quisque prudens lector exinde colliget cavendas nobis esse peccandi occasiones, nec nostris viribus fidendum, sed num propterea dicendum erit duos sensus in illa narratione contineri? Hisce animadversis, vix non soluta sunt omnia praedicta argumenta pro existentia multiplicis sensus literalis allata; non enim id reipsa evincunt, sed unum aut alterum ex iis, quae modo diximus ab hac quaestione discernenda esse. Sed singula breviter expendamus.

1° Rationes *internae*, et veluti *a priori* primo loco adductae non probant adversariorum sententiam. Ut enim vim aliquam eis concederemus, nil aliud ostenderent quam rei possibilitatem, vel fortasse convenientiam. Atqui hic non agimus de eo, quod fieri

potuit, sed de eo, qnod factum est, atque hoc est, quod certis argumentis demonstrandum fuisset. Quot enim sunt res, quas Deus facere potuisset, aut quae nobis maxime convenientes apparent, quae tamen factae non sunt? Accedit, convenientiam illam apparentem magis esse quam realem; si enim res intimius inspiciatur potius videbitur non convenire Scripturis id quod a communi hominum loquendi ratione, cui se Spiritus Sanctus accommodavit, tam alienum est, ut scilicet una eademque voce vel sententia plura ac diversa significentur.

2° Ad testimonia Scripturarum in exemplum adducta.

1) Prima Geneseos verba frustra pro laudata sententia afferuntur. Tertius enim ille sensus, ut nempe accipiatur *principium* pro Verbo Dei a S. Hilario propositus fuit comment. in Ps. II: cui tamen respondet S. Hieronymus Lib. Quaest. Hebr. in Gen. non posse hebraicam vocem *Berescith* hoc sensu intelligi nempe *in Filio* vel *in Verbo,* quod etiam et reliqui Patres existimarunt, non exclusis Augustino et Ambrosio, quos tamen ut huius interpretationis auctores citant Bukentop et alii (1). Neque magis convenit hebraicae voci altera significatio: *primo omnium,* seu *ante omnia,* quod si Moyses significare voluisset potius vocem adhibuisset *Barisciona* בָּרִאשׁוֹנָה quae id significat et in eo sensu accipitur in Scripturis (ex. gr. Deut. XIII. 10, Ios. VIII. 33). Remanet ergo sola obvia et communis illius sententiae interpretatio quae est: in principio, seu initio temporis Deum creasse coelum et terram. Verum demus tres illas expositiones omnes aeque probabiles esse: nihil aliud ex hoc sequeretur, quam locum ex ambiguitate vocis ambiguum esse, nec a nobis certo definiri posse quid ex tribus illis auctor indicare voluerit, numquam autem auctorem omnia haec *simul* in mente habuisse, quod nullo argumento demonstrari potest.

2) Eadem valet responsio ad alterum locum Gen. XLVII. 31. Quid enim si hebraicum vocabulum pro variis punctis diversa significare potest, vel scilicet *lectulum,* vel *virgam?* id enim ex linguae hebraicae imperfectione ortum est, vel potius ex conditione nostra qui verbum legimus, non autem e Iacobi ore excepimus, qui certe uno vel altero modo illud enuncians eius ambiguam significationem determinavit. At enim, inquiunt, Ecclesia utramque

(1) Viee Beelen Op. cit: pag. 51 seqq.

significationem recepit alteram in versione graeca et in antiqua Itala, alteram vero in vulgata Hieronymiana. Verum alias demonstravimus laudatas versiones non ita ab Ecclesia probari aut authenticas haberi ac si in minimis quibuscumque rebus infallibiles sint, sed in rerum tantum substantia, ac praecipue in iis quae ad fidem moresque pertinent.

3) Locus Deuteronomii XXV. 4: *Non alligabis os bovi triturranti:* qui certe de bobus literaliter a Moyse intellectus est, a Paulo 1 Cor. IX transfertur ad officium sustentandi ministros Ecclesiae qui in area Domini laborant, non quia de his verba illa loquantur, sed quia alter hic sensus ex priori argumentando deduci potest: si enim Deus voluit ut animalia bruta libere possent comedere de frumento, cui in hominum usum parando insudabant, multo magis, seu, uti aiunt, *a fortiori* vult ut Evangelii praeconibus ea quae ad vitam necessaria sunt a fidelibus non denegentur. Est igitur ibi sensus foecundus iuxta superius dicta, non autem vere multiplex.

4) Locus Ps. II. 7 « *Ego hodie genui te* » maiorem habet difficultatem et veluti Achilles contrariae sententiae haberi solet: verum, re maturius considerata, deprehenditur omni vi destitui ad eamdem sententiam probandam. Falsum est enim Apostolum tres distinctos sensus verbis illis tribuisse. Sane cum dicit Hebr. V « Christus non semetipsum clarificavit uti Pontifex fieret, sed *qui loquutus est ad eum;* Filius meus es tu, ego hodie genui te » nequaquam affirmare vult Christum *verbis illis,* seu vi eorum verborum sacerdotem factum esse, sed potius ei sacerdotium fuisse collatum ab eo, qui verba illa dixerat, idest a Patre : est ergo tantum periphrasis nominis *Pater,* qua Apostolus utitur in hoc loco, non autem verborum illorum explicatio diversa a sensu quem unice continent, scilicet de aeterna Christi generatione, ac filiatione. Alter autem locus Apostoli Act. XIII. 32 seqq non novum eorumdem verborum sensum aperit de Christo ab inferis resurgente, sed hunc sensum ex primo illo et unico argumentando deducit. Ait enim: « Et nos vobis annuntiamus eam, quae ad Patres nostros repromissio facta est, quoniam hanc Deus adimplevit filiis nostris, resuscitans Iesum, *sicut et in psalmo secundo scriptum est: filius meus es tu ego hodie genui te.* » Porro citationes locorum Scripturae apud Hagio-

graphos, et praesertim Paulum, non semper ita intelligendae sunt ac si citatus locus in suo proprio et immediato sensu ad rem pertineat, sed satis est ut ad rem probandam saltem indirecte referri possit: quoniam igitur causa potissima cur Christus ad vitam revocatus est fuit certissime eius dignitas Filii Dei, hanc assignat Apostolus dicens Patrem resuscitasse Iesum secundum id quod in Ps. II, 7 scriptum erat, seu, aliis verbis, eo quod Iesus esset eius naturalis Filius, nec decebat eum diutius mortis imperio subesse. In verbis igitur citatis Ps. II. restat unus dumtaxat literalis sensus quem superius indicavimus, de aeterna Verbi a Patre generatione (1).

5) Sententia Isaiae LIII. 4. « *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit* » communiter quidem intelligitur de peccatis seu morbis spiritualibus a Christo sublatis, quemadmodum LXX interpretes expresse reddiderant: Οὗτος τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν φέρει, καὶ περὶ ἡμῶν ὀδυνᾶται, hoc est: *ipse peccata nostra portat, et pro nobis dolet,* quemadmodum adhuc legit Ecclesia in officio Feriae V Maioris Hebdomadae (Ad 1 Noct. Resp. 3) sequens veterem latinam vulgatam seu Italam, quae ex graeca

(1) Plura de laudatis Pauli testimoniis dabit Beelen op: cit: pag. 61–77 ubi tamen paulo diversam alterius loci expositionem praebet, et ex graeco Actorum textu subtiliter probare contendit, testimonium Ps. 2, et alia ibidem ab Apostolo citari ad finem demonstrandi Christum esse Messiam Patribus promissum, non autem speciatim pro Eius resurrectione. Quod autem ibidem (pag. 71 seq.) dicit verba de quibus loquimur tum in suo originario loco Ps. 2. 7 tum in Hebr. 1. non esse referenda ad aeternam Verbi generationem, sed ad eius manifestationem in tempore quae quasi externa ipsius productio et nativitas fuit, id, inquam, nullatenus admittimus; est enim contra communem Patrum et Theologorum interpretationem illius loci. Nec ratio a Cl. Auctore adducta quidquam probat adversus hanc loci expositionem. Ait enim ex contextu Ps. 2, et Hebr. 1 apparere, in utroque loco sermonem esse de Christo ut homine, seu de Messia. Sed hoc non excludit quod de eo praedicari possit etiam *aeterna generatio* tamquam praecipua praerogativa, et ceterarum fundamentum. Nam iuxta sanam Theologiam de Christo homine in concreto praedicari possunt divina, sicut viceversa de Christo Deo seu de Verbo praedicantur ea quae humana sunt, ut passio, et mors propter hypostaticam utriusque naturae unionem, et personae unitatem, unde oritur haec loquendi ratio, quam Theologi vocant *communicationem idiomatum.*

των LXX derivata est, cui etiam concinit interpretatio S. Petri in 1 Epist. II. 24. Verum licet hic primarius sit verborum Isaiae sensus, nihil impedit quominus etiam de morbis corporalibus intelligantur, ut Matthaeus intellexit VIII. 17. Verba enim illa generalia sunt: *languores, dolores,* nec addit propheta sive *spirituales,* sive *corporales;* possunt igitur de utrisque simul intelligi, quamvis de illis primario, de his autem secundario, praesertim cum corporales dolores peccati effectus ac poenae sint, semper quidem originalis peccati, saepe etiam peccatorum actualium. P. Patrizi op. cit. pag. 17 paulo aliter respondet: nempe totum Isaiae locum de malis corporalibus intelligendum esse, sed quatenus poenae sunt peccati, haec autem mala dici primo a Christo *auferenda* seu curanda, et ad hoc referri primum hemistichium: *languores nostros ipse tulit,* idest abstulit, iuxta usum hebraicae vocis, נָשָׂא secundo vero eadem a Christo *portanda* esse, seu in se suscipienda, ac toleranda, et ad hoc refert alterum hemistichium: *dolores nostros ipse portavit* (סָבַל gr. ἐβάστασεν Mat. VIII. 17) Porro Matthaeus primum sensum prae oculis habuisset directe, alterum indirecte. Haec responsio non arridet laudato Beelen (op. cit. pag. 80 seq.) qui putat verba Isaiae intelligenda tantum de corporalibus morbis a Messia auferendis prodigialiter, ut Matthaeus docet, quod tamen nobis subtilius videtur, quam verum, cum et contextus, et communis Patrum interpretatio contrarium suadeat.

6) Altera Isaiae sententia ib. vers. 8: *Generationem eius quis enarrabit?* quae veluti alterum palmare argumentum habetur a patronis adversae opinionis variis modis explicari potest; aut enim dicendum est locum esse ambiguum, seu certo non apparere de qua generatione loquatur propheta, aut cum Patritio dicendum est utramque generationem, aeternam scilicet ac temporalem, ibidem designari utramque profecto ineffabilem, nec tamen inde sequi duplicem esse illorum verborum sensum, sed potius unum genericum sensum, sub quo duo comprehenduntur: vel denique, cum Forerio, Sasbout, et Beelen, Isaiae verba nec de aeterno nec de temporali Christi ortu intelligemus, sed potius de hominum collectione idest, sive de coaevis Christi, quorum perversitatem merito inenarrabilem et incredibilem diceret propheta, sive de

posteritate ,seu innumerabili hominum multitudine qui Christi passione salvandi erunt, et Christi fidem suscepturi. Huic postremae interpretationi favet tum hebraica vox דוֹר et graeca γενεα, quae de hominibus collective sumptis in sensu praedicto, potius quam de generatione seu nativitate vel ortu alicuius intelligi potest, tum etiam contextus sermonis (vv. 10–12); nec obstat Patrum interpretatio, quia in hoc loco exponendo minime consentiunt. Quaecumque ex hisce responsionibus adhibeatur difficultas removetur, nunquam enim demonstrabitur citata Isaiae verba duos vel tres simul literales sensus vere distinctos continere.

7) Locus cantici Habacuc III. 2 revera ambiguus est ob hebraicarum vocum diversam pronunciationem, et scriptionem, ut alias animadvertimus: quare haec difficultas eamdem admittit responsionem quam dedimus ad verba Iacobi Gen. XLVII. Ecclesia vero utramque interpretationem recipiens in graeca et latina vulgata nequaquam intendit utramque simul probare ita ut ambae necessario verae sint. Laudatus Beelen existimat ipsa hebraica vocabula olim diversa fuisse ab hodiernis, ideoque totum discrimen versionum ex codicum varietate repetendum esse (1).

8) Denique ad verba Caiphae quod attinet Io. XI. 50 seq. concedimus duplicem ea sensum literalem continere. Verum locus causam adversariorum non iuvat. Hos enim agimus de multiplici sensu ipsius Scripturae, seu ab auctore Scripturae saltem primario intento; iamvero in obiecto loco alter quidem sensus a Spiritu Sancto intendebatur, quod nempe Christi mors hominum salutem paritura esset, alterum vero erat contra Spiritus Sancti intentionem, et uni Caiphae proprius: Spiritus Sanctus autem in hoc casu usus est linguae eius instrumento, ut aliquid veri praeter eius intentionem ediceret, quemadmodum saepe ex hominum perversorum machinationibus, ac ipsis delictis suos fines sapientissimos assequitur. Et haec de testimoniis Scripturarum.

3° Ad Patrum et Doctorum Scholasticorum auctoritatem generalis responsio est: duobus, vel tribus exceptis, eos pro sententia multiplicis sensus literalis perperam adduci: illos vero paucos tum ex eo quod pauci sunt, tum ob rationem, qua suam opinionem proponunt, rem prorsus non evincere. Sed pauca de prae-

(1) Vide Beelen op: cit: pag. 90 seqq.

cipuis adductis testimoniis in specie dicenda sunt. Et primum de Patribus.

1) Testimonium *Basilii* a Salmerone citatus ad rem non pertinet; non enim ibi loquitur de sensibus Scripturae, sed de varia acceptione quarumdam particularum in formulis theologicis, ac praecise in doxologia SSmae Trinitatis, quam alii, et ipse Basilius in variis sermonibus aliquando enunciabant ita: « Gloria Deo, ac Patri, *cum* Filio una *cum* Sancto Spiritu » aliquando autem: « Gloria Deo ac Patri *per* Filium *in* Sancto Spiritu; » de qua differentia S. Doctor interrogatus fuerat ab Amphilochio Iconiensi Episcopo, cui respondet per hunc librum de Spiritu Sancto, in cuius prooemio occurrit testimonium pro adversa sententia citatum, et quod ex dictis ad aliam prorsus quaestionem pertinet: idque ex ipsis eius verbis si integra legantur evidenter innotescit (1). Chrysostomi verba in hom. XXI in Gen. nihil aliud significant nisi omnia in Scripturis sapienter scripta esse, et nihil inutiliter vel temere dictum, minime vero plures simul sensus literales in eodem loco contineri. Quod quidem S. Doctor hyperbolicis illis locutionibus exprimit dicens magnos thesauros sensuum, multasque latentes divitias in singulis apicibus ac litteris contineri. Scilicet in hac homilia explicaturus erat Cap. V Geneseos in quo Adami genealogia pertexitur; quapropter veritus ne auditores ariditatem argumenti persentientes languescerent, vel attentionem negarent, op-

(1) Ita enim alloquitur Amphilochium: « Collaudavi in moribus tuis discendi et laborandi studium; ac supra modum delectatus sum attentione atque vigilantia elucente in tua illa sententia, qua *vocem nullam ex iis quae in omni sermonis usu de Deo proferuntur*, citra examen relinquendam putas, o caput carum, mihique maxime omnium pretiose, frater Amphilochi » et paulo post (n. 3) « Nuper precanti mihi cum populo, et utroque modo glorificationem absolventi Deo ac Patri, interdum *cum* Filio *una cum* Sancto Spiritu, interdum *per Filium in* Sancto Spiritu; quidam ex iis qui aderant, crimen intenderunt dicentes nos non modo novis ac peregrinis vocibus uti, verum etiam inter se pugnantibus. Tu porro maxime horum utilitati consulens ... postulasti quampiam dilucidam doctrinam *de vi harum syllabarum*, evulgari. Iam igitur nobis breviter dicendum est etc. » et de his particulis earumque theologico usu deinceps subtiliter pertractat praesertim in capp. II–IX.

portune in principio orationis, rhetorico usus artificio, multa praefatur de occultis, et profundis Scripturae sensibus etiam in iis locis quae levia vel ieiuna prima fronte videntur. Utrum vero hi sensus plures aliquando sint in una sententia ne verbo quidem indicat: nisi forte id intelligatur de pluribus sensibus non literalibus sed mysticis, aut etiam per ratiocinium aut per meram accommodationem derivatis, quales certe sunt nonnulli, quos in hac homilia proponit, et explicat. Ad Hieronymum quod attinet eadem plus minus valet responsio: primus enim locus ex Epist. ad Paulinum, praeterquamquod evidenter hyperbolicus est ad profunditatem Apocalypseos exaggerandam, nullo iure transferri potest ad confirmandam sententiam de qua loquimur; ait enim in singulis verbis *multiplices latere intelligentias,* nec tamen dicit *literales.* Est igitur generalis quaedam et hyperbolica expressio, quemadmodum alia similis, qua utitur loquens de eadem Apocalypsi in lib. I adv. Iovinian: « Vidit, inquit, Iohannes in Pathmos insula apocalypsim *infinita futurorum mysteria* continentem. » Alter vero locus a Salmerone adductus (ex comment. in Eph. III. 6.) aliter omnino intelligendus est: ibi enim agit S. Doctor de vocibus a Paulo usurpatis *cohaeredes, concorporales, comparticipes,* quas licet minus elegantes, retinendas nihilominus docet: « Sed quia, inquit, ita habetur in Graeco, et *singuli sermones, syllabae, apices, puncta in divinis Scripturis plena sunt sensibus,* propterea magis volumus in compositione, structuraque verborum, quam intelligentia periclitari. » Non igitur de multiplicitate sensuum, sed de singularum vocum apta significatione loquitur. Haec autem confirmantur ex ipsa Hieronymi agendi ratione: siquidem nullam novimus sive Apocalypseos sive alterius Scripturae libri sententiam, in qua S. Doctor duos simul literales sensus admiserit, sed ubique vel unam profert interpretationem, vel plures adducit, iudicium lectori relinquens, ut eam seligat, quae probabilior videtur.

Et haec quidem de iis testimoniis quae generatim affirmare videbantur multiplicitatem literalis sensus. Ad specialia testimonia quod attinet, obiiciebant imprimis verba sancti Leonis, ubi locum Isaiae LIII. 4 de utraque Christi generatione intelligenda esse docet. Verum hic S. Doctor oratorio modo loquitur, non autem Scripturae interpretem agit, ac praeterea sensum illius loci non directe expen-

dit, sed quasi indirecte et obiter tangit inquiens: « quia Domini Salvatorisque nostri nativitas non solum secundum Deitatem de Patre, sed etiam secundum carnem de matre, ita facultatem humani excedit eloquii, ut merito de utraque dictum sit: Generationem eius quis enarrabit etc. » Denique nihil prohibet quominus supponamus S. Leonem ita verba Isaiae intellexisse ut non quidem duplicem habeant sensum sed unum genericum, sub quo duo speciales comprehenduntur, ut superius notavimus.

De auctoritate S. Augustini paulo plura dicenda sunt, et primum de eius verbis ex lib. XII Confess. desumptis. Nonnulli auctores negant hunc Augustini locum favere multiplicitati sensus literalis: Cl. Beelen concedit quidem de multiplici sensu literali eum loqui, sed contendit nonnisi eius possibilitatem admisisse, minime autem affirmasse ita rem se habere in Scripturis. Nobis omnino videtur Augustinus hoc adfirmasse, simul tamen contendimus nullum validum argumentum exinde peti posse pro sententia quam impugnamus. Quod multiplicitatem literalis sensus ibi admiserit Augustinus nimis clare ex eius verbis innotescit: non solum enim ait Moysem *utrumque* sensum quem interpretes tribuere solent eius verbis Gen. I. 1. in mente sua habuisse, sed etiam *omnino sensisse,* cum ea scriberet, et duos illos sensus, et alios qui iisdem verbis subesse possunt. Verum ex alia parte multa sunt quae vim eius testimonii imminuunt. Ac primo quidem manifestum est S. Doctorem non Ecclesiae sententiam, nec etiam communem Doctorum opinionem proponere, sed suam, et quidem ut novam et ab aliorum sententia et consuetudine alienam: deinde ipsam suam opinionem non uti certam nec asseveranter proferre, sed timide et potius ad charitatem et concordiam practice fovendam, quam ad quaestionem theologicam dirimendam, ut ex toto loci contextu evidenter apparet. Cum enim dixisset unumquemque interpretem pro sua sententia pugnare et contendere certo quodam modo Moysem sensisse, veluti se interponit inter contendentes inquiens: « religiosius me arbitror dicere: cur non utrumque potius (Moyses sensit) si utrumque verum est? » Accedit ipse titulus Cap. XXXI ubi hanc quaestionem de Moysi verbis incipit tractare; non enim titulus est: de uno vel multiplici literali sensu, sed iste: *Tractatores Scripturae diversa sentientes concordent invicem charitate*: quod ostendit scopum Augustini in iis

scribendis mere practicum fuisse: tum vero incipit idem caput: « In hac diversitate sententiarum verarum, concordiam pariat ipsa veritas, et Deus noster misereatur nostri, ut legitime lege utamur praecepti fine pura charitate. Ac per hoc si quis quaerit ex me quid horum Moyses ille tuus famulus *senserit*, non sunt hi sermones confessionum mearum. » Quod ostendit eum quaestionem dirimere noluisse: postea vero ad pacem fovendam temperamentum illud insinuat quasi diceret: quid oportet de hoc vel de illo sensu litigare? Dicamus potius omnes hosce sensus simul Moysem intendisse, et omnis controversia cessabit. Accedit etiam Augustinum in hac opinione proponenda modum excessisse: non enim contentus est uno vel altero sensu, sed addit: « et si quid tertium et si quid quartum, et si quid omnino aliud verum quisquam in his verbis videt, cur non illa omnia vidisse credatur (Moyses?)» Quinimo ulterius progressus postea inquit: « Sensit ille omnino in his verbis, ac cogitavit cum ea scriberet quidquid hic veri potuimus invenire, et quidquid nos non potuimus, aut nondum possumus et tamen in eis inveniri potest. » Sed hoc nec adversarii admittere vellent. Denique in aliis locis ubi quaestionem istam veluti theoretice pertractat sanctus Doctor contrarium affirmare videtur, aut saltem supponere, unum scilicet dumtaxat esse literalem sensum: ita ex. gr. in lib. I de Doctr. Christ. Cap. 36. « Quisquis, inquit, in Scripturis aliud sentit quam ille qui scripsit, illis non mentientibus, fallitur; sed tamen.... si ea sententia fallitur quae aedificet charitatem, quae finis praecepti est, ita fallitur ac si quisquam errore deserens viam, eo tamen per agrum pergat, quo etiam via illa perducit. Corrigendus est tamen, et quam sit utilius viam non deserere demonstrandum est, ne consuetudine deviandi, etiam in transversum, aut perversum ire cogatur. » Ubi manifeste inculcat posse aliquam interpretationem esse veram intrinsece, quin tamen hermeneutice vera sit, seu mentem auctoris repraesentet. Item postea lib. III° Cap. 2. expresse docet in locis Scripturae ambiguis non utrumque sensum accipiendum esse, sed diligenter adhibendas esse regulas quas ibi tradit ut ex duobus vel pluribus quinam verus loci sensus sit dignoscatur: « ut videamus, inquit, cuinam sententiae de pluribus, quae ostendunt se, ferat suffragium (contextus sermonis), eamque sibi contexi patiatur. » Et iterum in libro 1° De Gen.

ad lit. « Cum divinos libros legimus, in tanta multitudine verorum intellectuum (obiective si spectentur) qui de paucis verbis eruuntur, et sanitate catholicae fidei muniuntur, *id potissimum deligamus, quod certum apparuerit eum sensisse quem legimus:* si autem hoc latet, id certe quod circumstantia Scripturae non impedit, et cum sana fide concordat: si autem e Scripturae circumstantia pertractari ac discuti non potest, saltem id solum quod fides sana praescribit. Aliud est enim *quid potissimum auctor senserit* non dignoscere, aliud autem a regula pietatis aberrare. » Hisce omnibus consideratis, merito concludimus testimonium Augustini ad hanc quaestionem dirimendam urgeri non posse. Nec magis valet alter locus obiectus ex Lib. III° de Doctr. Christ. Cap. 27, ubi affirmat ex divina providentia factum esse ut eadem verba Scripturae *pluribus intelligantur modis;* per hoc enim affirmare non vult ea loca plures simul literales habere sensus, sed tantum plures interpretationes pati, quae quidem omnes verae sint veritate obiectiva atque ideo Deo tribuendae sint, a quo omnis veritas procedit, non tamen omnes sint Scripturae ipsius sensus, atque ideo interpreti laborandum esse ut *perveniat ad voluntatem* sacri Scriptoris, scilicet ad unum illum sensum quem auctor intendit. Hanc esse Augustini mentem docet integer contextus huius capitis et sequentium, nec non alia testimonia libri 1[i] ut supra vidimus.

Testimonia S. Gregorii M. non de multiplici sensu literali sermonem faciunt, sed de sensus ambiguitate, quemadmodum ex contextu apparet: ibi enim agit de obscuris verbis Ezechielis III, 13 quorum sensum fatetur se certo definire non posse, utrum nempe mystica illa animalia dicantur mutuo se alis percutere, an potius unumquodque seipsum.

Verba S. Bernardi ex hom. 51 in Cant. eadem ratione intelligenda sunt: aut, si placet, de variis Scripturae sensibus non veris, seu ab Hagiographis perspectis, sed potius derivatis, et accommodatis, quibus S. Doctor maxime indulgere solebat. In obiecto enim loco tractans de diversa explicatione a se proposita verborum Cant. II. 5. ait: « Non sane a prudente de diversitate sensuum iudicabor, dummodo veritas (intrinsece et in se) utrobique nobis patrocinetur, et charitas, cui Scripturas servire oportet, eo aedificet plures, quo plures ex eis in opus suum veros eruerit intel-

lectus. » Et quadam similitudine proposita, concludit: « Ita unus quilibet divinus sermo non erit abs re si diversos pariat intellectus, diversis animarum necessitatibus et usibus *accommodandos.* » Denique auctoritas Concilii Lateranen. IV in cap. *Firmiter* perperam omnino in quaestione nostra allegatur. Nam nulla ibi Scripturae verba citantur, et etiamsi concederemus Patres Lateranenses in mente habuisse prima verba Geneseos, non tamen inde sequeretur duos sensus illis tribuisse. Nam nec certo apparet duas veritates eos definire voluisse; aiunt enim « Creator omnium invisibilium, spiritualium et corporalium, sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam et mundanam » ubi illud *simul* non est necessario accipiendum quasi Angeli dicantur eodem momento creati ac mundus materialis, sed aliter intelligi potest pro *similiter, pariter,* quemadmodum ex. gr. in Ps. 13, dicitur « Omnes declinaverunt, *simul* inutiles facti sunt » idest pariter, similiter, eodem modo, quo sensu etiam apud classicos scriptores aliquando accipitur. Deinde, etiam admissa hypothesi quod Concilium duas veritates definierit, dici posset nequaquam ambas ex iisdem verbis *in principio* illas deduxisse, sed alteram, scilicet: nihil ante mundum extitisse, ex verbis *in principio,* alteram vero, seu: mundum non esse aeternum, ex sequenti verbo *creavit,* ut subtiliter observat Patritius (op. cit. pag. 21.).

2) Quod pertinet ad Scholasticorum doctorum sententiam ex. gr. Henrici Gandavensis, Alberti M., Alexandri Alensis, Nicholai Lirani, Alphonsi Tostati, Pauli Burgensis, hi omnes frustra advocantur pro sententia multiplicis sensus literalis; non enim de hoc loquuntur, sed potius de pluralitate sensus in universum accepti, scilicet vel literalis vel spiritualis et mystici, aut etiam accommodati (1). Commentatores vero Summae Theologicae S. Thomae dum interpretantur Par. I quaest. I Art. 10 in diversam abeunt sententiam ut postea exponemus, ita ut nihil ex eorum auctoritate concludi possit. Dicendum tamen est aliquid de Sanctis Bonaventura, et Thoma. Et ad primum quod attinet facili negotio res expeditur. Nam S. Bonaventura nec verba Gen. I. 1. nec alia Ps. 2. 7. affirmat duplicem simul sensum continere, sed tantummodo ea posse

(1) Plura de his vide apud Beelen op. cit. pag. 101–112.

variis modis exponi, ut ex contextu sermonis S. Doctoris evidens est: ait enim verba *in principio* tripliciter *posse* accipi, idemque verbum *posse* pro singulis repetit in utroque obiecto testimonio: si vero in primo testimonio addit omnes istas expositiones *veras esse et catholicas*, id intelligendum est eo sensu quod *in se* verae sint, et a fide catholica non damnentur. Denique S. Bonaventura in 4 Sentent. Dist. XXI Par. I Dub. 1. unitatem literalis sensus satis clare docet cum ait: « Respondendum est ad hoc, quod una Scriptura multis modis potest exponi: *unus quidem est principalis et literalis intellectus*, plures tamen esse possunt per *adaptationem* ».

Nunc de sententia S. Thomae inquirendum est. Quatuor testimonia Angelici Doctoris citantur pro adversa sententia quorum tamen unum dumtaxat vel alterum difficultatem praesefert, alia autem non faciunt ad rem. Sane 1° in Quodlib. VII quaest. 6 non solum non affirmat multiplicem literalem sensum, sed prorsus negat. Imprimis enim verba illa quibus adversarii innituntur: *unde totum id ad sensum literalem pertinet, quod ex ipsa verborum acceptione recte accipitur,* nihil aliud significant, quam integrum conceptum qui verbis exprimitur esse sensum literalem, non autem multos simul sensus literales esse in iisdem verbis: hinc, ut recte observat Beelen, non dicit *omne id,* quod posset praefato modo intelligi, sed *totum id,* quod ad multiplicem sensum trahi nullo modo potest. Quin imo hoc prorsus excludit S. Doctor; nam ibidem (art. 14) respondens propositae obiectioni quod pluralitas sensuum (literalis nempe et mystici) aequivocationem inducat ita loquitur: « Ad obiectum ergo dicendum, quod varietas sensuum, quorum unus ab alio non procedit, facit multiplicitatem (aequivocationem) locutionis; sed sensus spiritualis semper fundatur *super literalem, et procedit ex eo,* unde ex hoc quod S. Scriptura exponitur literaliter, et spiritualiter, non est in ipsa aliqua multiplicitas » quod nostram sententiam omnino confirmat. 2° Alter locus in 2 Sent. dist. 12. Art. 2 ad 7 ubi S. Thomas affirmat Scripturam diversimode exponi posse, *quia maiori veritate eam Spiritus Sanctus foecundavit* etc. nihil aliud spectat nisi Scripturae obscuritatem, et ambiguitatem. Agebat enim S. Doctor de quaestione utrum mundus totus simul creatus fuerit, an spatio sex dierum, et ob-

servat narrationem Gen. I. a Patribus utroque modo intellectam fuisse, quae expositiones licet tam diversae, ambae tamen defendi possunt. Non ergo de pluribus simul sensibus loquitur, cum impossibile sit ex rei natura utrumque illum sensum *simul* verum esse, nempe omnes res mundanas et uno momento creatas esse, ut Augustinus explicabat, et spatio sex dierum, ut intellexit Ambrosius. Quod autem addit *maiori veritate* Scripturam foecundatam fuisse a Spiritu S. *quam aliquis homo adinvenire possit,* referendum videtur ad profunditatem ipsius Scripturae, quamvis non ita clara sint S. Thomae verba; numquam tamen detorqueri poterunt ad significandam multiplicitatem sensus literalis. 3° Tertius locus desumitur ex lib. de Pot. q. IV. a. 1. ubi sanctus Doctor affirmat *omnem veritatem,* quae *salva literae circumstantia* potest divinae Scripturae aptari esse eius *sensum.* Huic testimonio diversae dari solent responsiones. Nonnulli enim, inter quos P. Patritius, reponunt hic nullatenus affirmari multiplicitatem literalis sensus, alii vero concedunt de hoc loquutum esse S. Thomam, sed tamen non omnino affirmasse id de facto in S. Scriptura locum habere, aut omnino tenendum esse, sed tantum non esse incredibile: ita laudatus Beelen. Sed ut de hac re iudicium ferri possit necesse omnino est contextum huius loci in medium afferre. Quaestio, quam Thomas pertractat haec est: *utrum creatio materiae informis praecesserit duratione creationem rerum?* Ad quam solvendam observat verba Gen. I. 2.: *Terra autem erat inanis et vacua,* diverso modo intelligi posse, et a diversis intelligi: ab aliis scilicet de materia *absolute informi,* seu omni prorsus forma destituta, ab aliis autem de *relativa* informitate, seu quod materia licet aliquam haberet formam, nondum tamen accepisset suum ultimum complementum, et decorem: « Neutrum, inquit, a virtute fidei discordat, et utrumque sensum *circumstantia literae patitur.* » Hic clarum est non recipi utrumque *simul* sensum, nam ambo simul veri esse non possunt, sed *disiunctive* tantum propter loci obscuritatem, et ambiguitatem. Verum gravior exurgit difficultas ex iis quae in corpore articuli fusius traduntur: proposita enim quaestione de sensu illorum verborum ita disputat Angelicus Doctor: « Dicendum, quod, sicut dicit Augustinus lib. XII Confess., circa hanc quaestionem potest esse duplex disceptatio; una de ipsarum rerum veritate,

alia de sensu literae, qua Moyses divinitus inspiratus principium mundi nobis exponit. Circa primam disceptationem duo sunt vitanda, quorum unum est, ne in hac quaestione aliquid falsum asseratur, praecipue quod veritati fidei contradicat; aliud est ne quidquid verum aliquis esse crediderit, statim velit asserere ad veritatem fidei pertinere. Circa secundam disceptationem duo etiam sunt vitanda: quorum primum est, ne aliquis id quod patet esse falsum, dicat in verbis Scripturae, quae creationem rerum docet, debere intelligi; aliud est, ne aliquis ita Scripturam *ad unum sensum cogere velit, ut alii sensus, qui in se veritatem continent, et possint, salva circumstantia literae, Scripturae aptari, penitus excludantur.* » Hucusque nihil occurrit quod faveat multiplicitati sensus literalis: in praefatis enim verbis id tantum traditur, non esse ita tenaciter adhaerendum uni interpretationi, *ut penitus excludantur* aliae diversae; quando scilicet nulla interpretatio certa omnino ac indubia sit, ut recte observat Patritius. Verum difficultas oritur ex sequentibus verbis. Ita enim prosequitur S. Doctor: « Hoc enim ad dignitatem divinae Scripturae pertinet, ut sub una litera multos sensus contineat, ut sic et diversis intellectibus hominum conveniat, et unusquisque miretur se in divina Scriptura posse invenire veritatem quam mente conceperit; et per hoc etiam contra infideles facilius defendatur dum si aliquid, quod quisque ex Sacra Scriptura velit intelligere, falsum apparuerit, ad alium eius sensum possit haberi recursus. Unde *non est incredibile* Moysi et aliis S. Scripturae auctoribus hoc divinitus esse concessum, ut diversa vera quae homines possunt intelligere, ipsi cognoscerent, et ea sub una serie literae designarent; ut sic quilibet eorum sit sensus auctoris. Unde si etiam aliqua vera ab expositoribus S. Scripturae literae aptentur quae auctor non intelligit, non est dubium quin Spiritus Sanctus intellexerit, qui est principalis auctor divinae Scripturae. Unde omnis veritas, quae salva litterae circumstantia potest divinae Scripturae aptari, est eius sensus. » Quid ad haec respondebimus? Cl. Beelen non sine aliquo fundamento suspicatur totum hunc locum interpolatum esse, et ab aliquo commentatore per modum glossae additum praecedentibus Thomae verbis: parum enim cohaeret scopo huius quaestionis, nec consueta Angelico Doctori claritate ac styli brevitate pollet. Verum, admisso etiam testimonio,

responderi potest hanc opinionem ut mere probabilem hic proponi, ait enim *non esse incredibile* rem ita se habuisse: quare nec audet in ea opinione insistere: secus non dixisset alios sensus, qui, salva circumstantia literae, Scripturae aptari possunt *non esse penitus excludendos*, sed absolute adfirmasset recipiendos esse. Denique in sententiis S. Thomae explicandis est principium apud Theologos receptum eius mentem desumendam esse ex iis quae docet in *Summa Theologica,* etiamsi paulo diversa tradiderit in aliis praecedentibus scriptis. Restat igitur ut expendamus 4° Verba obiecta ex P. I Summae q. I art. 10 ubi ait *etiam secundum sensum literalem in una litera Scripturae plures esse sensus*. Nonnulli auctores respondent S. Thomam hic non loqui de sensu literali quatenus distinguitur a sensu mystico, sed potius de sensu Scripturae in genere, quem multiplicem esse dicit et probat. Nec desunt rationes ad hanc interpretationem suadendam opportunae ; nam ibi ait: « Quia vero *sensus literalis est quem auctor intendit,* auctor autem S. Scripturae est Deus, qui omnia simul suo intellectu comprehendit, non est inconveniens, ut dicit Augustinus, si etiam *secundum literalem sensum* in una litera Scripturae plures sint sensus. » Iamvero *sensus, quem auctor intendit* non est solum literalis, sed etiam mysticus, ut ipse S. Doctor paulo ante affirmaverat. Praeterea in hoc ipso articulo in resp. ad 1^m^ expresse tradit sensum literalem *unum* esse: « Ad primum ergo dicendum quod multiplicitas horum sensuum (literalis, allegorici, tropologici et anagogici) non facit aequivocationem, aut aliam speciem multiplicitatis; quia, sicut iam supra dictum est, sensus isti non multiplicantur propter hoc *quod una vox multa significet,* sed quia res significatae per voces, aliarum rerum possunt esse signa. Et ita nulla confusio sequitur in S. Scriptura, cum *omnes sensus fundentur super unum, scilicet literalem,* ex quo solo potest trahi argumentum etc. » Denique titulus articuli est: *Utrum Sacra Scriptura sub una litera habeat plures sensus,* cui quaestioni respondet affirmative, adducens verba Gregorii M. in 20 Moral. ubi ait Scripturam uno eodemque sermone *dum narrat gestum, prodere mysterium*, quod manifestum est referri ad sensus tum literales tum mysticos, seu ad sensum mysticum literali superadditum; et ita a S. Thoma intelligitur, qui statim explicat quinam sint illi *plures*

sensus sub una litera, scilicet literalis, quo voces significant res, et spiritualis quo res significatae per voces iterum res alias significant, quem sensum deinde trifariam dividit iuxta morem: non est igitur quaestio de pluribus sensibus *literalibus* in eodem loco Scripturae. Attamen, quantumvis solida haec argumenta videantur, negari non potest de multiplici sensu literali in una eademque Scripturae sententia loqui S. Thomam non quidem in toto articulo, et quasi ex professo, sed tamen incidenter in fine corporis articuli in verbis ab adversariis obiectis. Sane licet haec verba difficultatem ingerant, et fere contradictionem inducere videantur in totum contextum articuli, non possunt tamen aliter intelligi. Nam imprimis haec verba ponuntur post traditam divisionem inter sensum literalem et spiritualem; quare necessario accipienda sunt pro *subdivisione,* uti aiunt, unius ex illis sensibus, idest literalis, praesertim cum apponatur particula *etiam,* quae hunc sensum omnino efficit: Sacra Scriptura plures quandoque sensus habet non solum secundum generalem acceptionem sensus, sed *etiam* in specie *secundum literalem sensum*. Accedit etiam auctoritatem Augustini a Thoma invocatam evidenter ostendere hic de eius peculiari opinione mentionem fieri circa multiplicitatem literalis sensus: quod enim Scriptura plures habeat sensus, literalem scilicet, et mysticos non Augustinus tantum, sed omnes uno ore fatentur. Non est denique omittenda conclusio huius articuli quae in pluribus Summae editionibus legitur atque ita se habet: « Conclusio – Cum Sacrae Scripturae auctor Deus sit qui omnia simul suo intellectu comprehendit ea ipsa doctrina sub una litera plures sensus habet, *literalem multiplicem,* spiritualem triplicem, videlicet allegoricum moralem et anagogicum. » Quid ergo respondebimus ad auctoritatem Angelici Doctoris? Idipsum quod ad auctoritatem Augustini respondimus, scilicet S. Thomam nihil de hac re definire voluisse, nec omnino affirmasse multiplicem esse aliquando Scripturae sensum literalem: siquidem, velint nolint contrariae sententiae patroni, nihil aliud dicit S. Doctor nisi hoc: *non est inconveniens,* et etiam hoc aliquatenus temperat addens: *ut dicit Augustinus,* quasi nempe id proferat non ex propria sententia, sed quasi per concessionem, et ut Augustino morem gerat. Hinc etiam est quod neque antea in toto corpore articuli, neque postea in responsione

ad obiectiones in praefata opinione insistat, nec ullam amplius de ea mentionem faciat; quinimo in responsione ad 1^m ut supra vidimus quasi oblitus verborum quae antea protulerat, aut potius suam sententiam nunc libere proferens expresse affirmat *unum* esse *sensum literalem,* et pluralitatem sensuum literalium aequivocationem inducere, quae in Scriptura admittenda non est. Denique omitti non debet argumentum quod ex facto ipso et agendi ratione S. Thomae desumitur, ut recte observat Estius in Orat. Theol. XIX inquiens: « Et vero Thomas nusquam in commentariis, quos multos edidit, uni Scripturae loco plures assignat sensus literales; quod utique fecisset alicubi, si fixa fuisset ei sententia sub una litera plures subinde sensus occultari. » Quare, ut concludamus, fautores multiplicis literalis sensus nullos alios proferre possunt sententiae suae auctores ex Ecclesiae Doctoribus nisi Augustinum et Thomam; qui tamen et ipsi ita modeste et dubitantium more eam proponunt, ut nullum ex eorum auctoritate certum argumentum confici possit.

Commentatores S. Thomae nec ipsi inter se conveniunt in sententia S. Doctoris explicanda, aut in ea sequenda (1) quamvis fatendum sit plerosque in sententiam affirmativam concessisse, et hanc praecipuam fuisse causam cur antiquiores theologi magno numero starent pro multiplicitate literalis sensus in Scripturis: sed, ut vidimus, nunquam defuerunt qui contrariam sententiam defenderent, quae apud recentiores, re maturius perpensa, communis evasit.

CAPUT III.

DE MYSTICO SACRARUM SCRIPTURARUM SENSU

Recolenda hic sunt quae superius diximus de notione sensus mystici eiusque divisionibus. Nunc autem nonnullae quaestiones circa hunc Scripturae sensum, seu circa eius existentiam, et exten-

(1) P. Patritius adducit testimonium Sylvestri De Prierio in *Rosa Aurea* Tract. I. Cap. 6. haec de nostra quaestione scribentis: « De hoc enim viri magni nonnunquam dissentiunt. Et, omissis aliis, etiam eorum qui sequuntur doctrinam S. Thomae quidam tenent partem affirmativam, quidam vero negativam; et secundam tenentes partem moventur ex verbis eiusdem S. Thomae. »

sionem proponendae sunt, quemadmodum superius factum est circa sensum literalem. Ut autem haec clarius intelligantur nonnulla historice praemittimus de variis opinionibus quae circa mysticum sensum prolatae fuerunt ab auctoribus sive orthodoxis sive heterodoxis.

Et primo quidem secernenda est quaestio de Libris V. T. a quaestione de Libris N. T. De his enim libere in scholis etiam Catholicorum disputatur, utrum sensum mysticum contineant: de qua re breviter in fine huius capitis dicemus. De V. T. Libris autem constans semper fuit tum Iudaeorum tum Christianorum sententia eos praeter sensum literalem etiam mysticum multis in locis habere. Nec alia fuit veterum Protestantium opinio usque ad Michaelis qui *typologiam* S. Scripturae strenue defendit post medium saec. XVIII. Verum post hanc epocham substantialis variatio apud Protestantes effecta est: postquam enim Io: W. Rau contra Michaelis typologiam opus conscripsit (Erlangae 1784) ingens Protestantium numerus, ac imprimis illi omnes qui novis rationalismi biblici principiis subscripserunt, antiqua sententia dimissa, omnem prorsus reiecerunt mysticum sensum, aut saltem illum qui allegorico-propheticus, vel stricte *typicus* dicitur, eo dumtaxat admisso qui in moralibus locis extat, vel etiam in iis locis, in quibus symbolicae quaedam prophetarum actiones narrantur, quae mysticam significationem evidenter continent, ab ipsis prophetis plerumque apertis verbis declaratam. Inter istos eminet G. L. Bauer in sua *Hermeneutica Sacra* Part. 1 Sect. I.

Apud Catholicos autem res hucusque nunquam progressae sunt, seu nunquam prorsus negata est existentia mystici sensus in libris V. T. Nihilominus tamen plures in hac re diversae opiniones, quod pertinet ad extensionem et limites illius sensus, hinc inde propositae, atque discussae fuerunt, quarum aliae, ut fieri solet, exaggeratae sunt, aliae per defectum peccant. Sane elapso saeculo in Gallia plures Scriptores in ea sententia fuisse videntur ut crederent sensum mysticum in omnibus vel fere omnibus locis S. Scripturae latere, qui ideo appellati sunt *Figuristae*. Inter istos eminent Duguet et D'Asfeld duo auctores opusculi cui titulus: *Des Règles pour l' intelligence de l' Ecriture Sainte* (1). Cum autem isti

(1) Huius operis italica versio apparuit Patavii 1758 sub titulo: *Regole per intendere la santa Scrittura di G. C. Duguet tirate dal Francese.*

ultra iustos limites extenderent mysticam interpretationem alii ex adverso in arenam descenderunt qui ut illorum excessibus se opponerent in contrarium extremum, ut pronum erat, concesserunt nimis angustos limites praefinientes mysticis Scripturae sensibus: qui proinde *Antifiguristae* dicti sunt: horum agmen ducebat Ab. Leonard in opere: *Réfutation des régles pour l'intelligence de l'Ecriture Sainte d'aprés la doctrine des Péres,* cui accessit Fourmont senior in Regularum refutatione edita sub ficto nomine Rabbi Ismael ben Abraham. Horum sententia est mysticum sensum non esse extendendum ultra loca V. T., quae ab ipsis hagiographis praesertim N. T. mystice explicata fuerunt.

Io. Iahnius ulterius progressus est, et mysticum sensum vix non sustulit de medio in suo *Enchiridio hermeneuticae generalis* §. 15. Postquam enim dixisset se non mediocriter moveri auctoritate et rationibus recentiorum auctorum qui omnem mysticum sensum de Scripturis eliminarunt, sententiam suam ita proponit ut typos quidem historicos et morales admittat, nec non simpliciter propheticos clare et evidenter ab hagiographis explicatos, quod vero spectat ad typos prophetico – allegoricos concedat quidem omnem illum *Mosaicum apparatum portendisse aliquid futurum simile in N. T.,* verum si quaeratur an aliquae res individuae fuerint aliarum rerum typi in N. T. futurarum (in quo proprie versatur tota quaestio) ait: *id esse altioris indaginis, cui hic locus non est;* lectores autem (in nota) remittit ad suam *Archaeologiam biblicam* §§ 18 et 105: qua in re videtur lectoribus illudere voluisse; cum enim citatos locos adieris iterum invenies quaestionem esse altioris indaginis, ab eaque abstinendum. Iahnium sequitur more suo Ariegler.

In tanta errorum et opinionum varietate ut recta via incedamus tractationem dividemus in tres partes, seu tres distinctas quaestiones, 1° de existentia sensus mystici praesertim allegorici in V. T. 2° de limitibus seu extensione sensus mystici in V. T., et de criteriis ad illum detegendum et probandum. 3° De sensu mystico librorum N. T.

Quaestio 1ª instituitur adversus Bauer aliosque rationalistas qui passim omnem sensum mysticum saltem propheticum et ad Chri-

stum eiusque Ecclesiam spectantem eliminare student, eumque inter somnia catholicorum interpretum amandant, contra quos constituitur sequens

THESIS III.

In libris V. T. praeter sensum literalem, etiam sensus mysticus, et quidem prophetico-allegoricus, seu res ac personas in N. T. futuras respiciens, omnino admittendus est, aeque ac literalis a Spiritu Sancto intentus.

Praenotanda. 1° Quaestionem praecipue instituimus, ut in Thesi notavimus, de sensu mystico allegorico ; in hoc enim tota fere controversia cum Protestantibus, et aliquatenus etiam cum Iahnio eiusque sectatoribus, versatur: mystici enim sensus commemorativi, seu morales facile ab adversariis admittuntur, nec omnino possunt negari, cum plerumque ab ipsis hagiographis aperte declarentur ut ex: gr: Moyses Lev. XXVI, 41 et Deut. X, 16, XXX, 6 satis abunde exponit circumcisionem carnalem spiritualis signum fuisse; item. Ex XII expresse docet ritum Agni Paschalis institutum fuisse in memoriam accepti a Deo beneficii cum scilicet primogeniti Hebraeorum in Aegypto ab universali caede incolumes evaserunt. Idem valet etiam de sensu mystico, quem simpliciter propheticum appellari diximus, quo scilicet praedicuntur res futurae in ipso V. T.: hic enim sensus, qui plerumque subest symbolicis nonnullis prophetarum actionibus, ab iisdem prophetis fere semper apertis verbis postea declaratur; ita ex: gr: fit de symbolica actione Oseae Os. I. 23. coll. 4-11, item de facto Ahiae Silonitis cum Ieroboamo 3 Reg. XI, 29-32, de singularibus actionibus Ezechielis XII, 3-7 coll. 10-17, Ieremiae XXVII, 2, 3, Isaiae XIII, 1-11 aliisque similibus quae in libris Prophetarum passim occurrunt. Haec autem sufficiat indicasse ut deinceps demonstrationem nostram ad sensum prophetico-allegoricum coarctare liceat. Addidimus in Thesi verba: *aeque ac literalis a Spiritu Sancto intentus:* ad hoc enim tota quaestio revocatur utrum sensus de quo loquimur sit vere sensus S. Scripturae, seu proprie mens auctoris; quod enim praeter auctoris mentem, et per quamdam accomodationem Scri-

ptura possit ita exponi, nemo unquam negavit. Diximus autem: *a Spiritu Sancto* potius quam *ab hagiographis,* quia necesse non est ut auctores secundarii S. Scripturae semper intellexerint mysticas significationes rerum, de quibus scribebant; sed sufficit ut a primario auctore, seu Spiritu Sancto, intellectae fuerint, ut dici possint Scripturae sensus. 2° Notandum etiam est hic quaestionem non fieri de mystici sensus sive *possibilitate,* sive *convenientia,* quamvis utraque a nonnullis impugnata fuerit. Quod enim possibilis sit sensus mystico-allegoricus, nemo negare potest nisi qui negaverit Deum esse Scripturae auctorem simulque rerum omnium, et maxime quae ad religionem pertinent auctorem et ordinatorem. Hoc enim admisso necessario consequitur quasdam res vel personas *potuisse* a Deo assumi ad res vel personas in N. T. futuras praefigurandas. Nec unquam demonstrabunt adversarii id *inconveniens* fuisse; imo vero, re mature considerata, maxima eius apparet convenientia, et quidem tum ex parte Iudaeorum, quibus immediate libri V. T. traditi fuerunt, tum etiam ex parte nostra, qui eosdem libros eramus aliquando lecturi. Iudaeis enim opportunum inde parabatur medium ad Christum, eiusque ecclesiam facilius suscipiendam, cum nempe viderent nihil fere in ea constitutum esse quod non fuisset adumbratum in Mosaica lege, eiusque ritibus quibus assueti erant, aut in eorum historia, qua maxime gloriabantur: quo sensu pulchre dixerunt Patres legem Mosaicam fuisse paedagogum quae ad Christum ducebat. Nobis autem Christianis maxima inde provenit utilitas, tum quia ex figuris, ac typis, qui praecesserunt argumentum ducimus ad convincendos Iudaeos aliosque Christianae religionis hostes, de eiusdem religionis divina origine, tum quia ipsi in fide roboramur, ac proficimus contemplantes sublime hoc spectaculum totius historiae ac Legis antiquae adumbrantis ac veluti in imagine repraesentantis Legem novam, quo simul utriusque Testamenti ac Legis divinitas ac veritas certissime confirmatur. Hisce igitur breviter indicatis, accedimus ad factum ipsum demonstrandum, seu reipsa in Scripturis V. T. plura inveniri (1) quae ex intentione Spiritus San-

(1) Nonnulli recentiores scriptores, quos inter R. P. Patritius, distincte agunt primo de typologia obiective spectata, seu de rebus ipsis vel personis quae in signum aliarum verum assumptae fuerunt, deinde vero de sensu my-

cti mysticam et allegoricam habent significationem. Quod duplici argumento evincemus.

Arg. I^m^ ex testimonio Hagiographorum N. T.

In libris N. T. plura occurrunt testimonia pro sensu mystico in V. T. existente, quorum alia sunt *explicita,* alia vero *implicita,* explicita vero sive *generalia,* sive *specialia:* de quibus ordine dicendum erit.

I. Testimonia Hagiographorum *explicita.*

1° Testimonia *generalia*, quae scilicet in universum affirmant mysticam significationem rerum quae in V. T. leguntur. Solet hic adduci testimonium Pauli 1 Cor. X 6, 11 ubi de Hebraeis loquens ait: « Haec autem in figura facta sunt nostri. . . haec autem omnia in figura contingebant illis » ubi pro figura graecus textus habet vocem τυποι. Attamen si locus diligenter inspiciatur non est omnino certum ibi sermonem esse de mystico sensu: possent enim verba Apostoli simpliciter explicari de moralibus documentis quae ex historia Iudaeorum peregrinantium in deserto, de qua tantum est sermo, a nobis deduci possunt ac debent, quod a sensu proprie mystico omnino differt: tota enim historia non solum sacra sed etiam profana, ut Tullius aiebat, est *magistra vitae* propter moralia documenta, quae prudens lector ex ea deducere potest, quin typi proprie dicti in ea sint admittendi. Nihil aliud dicere voluisse Apostolum insinuat contextus: narrata enim historia eorum quae acciderunt in deserto, et poenarum quas Deus de protervis Iudaeis sumpserat addit: « Haec autem in figura facta sunt nostri, ut non simus concupiscentes malorum, sicut et illi concupierunt, neque idololatrae efficiamini, sicut quidam ex ipsis. . . . neque fornicemur sicut quidam ex ipsis fornicati sunt et ceciderunt una die viginti tria millia. Neque tentemus Christum sicut quidam eorum

stico et typico Scripturarum, seu illorum locorum sacrae Scripturae ubi de illis rebus fit mentio. Sed non videtur necessaria haec tractationis partitio: sufficit enim semel monere sensum typicum rerum fieri sensum Scripturae quoties res illae in Scripturis describuntur et narrantur, atque ita quidquid de rebus dicitur ad ipsas Scripturas, earumque sensum referendum esse. Ceterum diffusa tractatio de sensu spiritali seu mystico quam laudatus Patritius dat in lib. 1. *De interpretatione Scripturarum ss.* capp. VIII–XVII magni momenti est, et ex ea plura in rem nostram convertimus.

tentaverunt et a serpentibus perierunt etc. » et concludit « haec autem omnia in figura contingebant illis (ταυτα δε παντα τυποι συνεβαινον εκεινοις): scripta sunt autem ad correptionem nostram in quos fines saeculorum devenerunt. Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat ». Dimisso itaque hoc testimonio aliud clarius et certius adducimus ex eodem Apostolo Colos. II, 16 et 17 ubi ait: « Nemo ergo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniae aut sabbatorum, quae sunt umbra futurorum: corpus autem Christi » idest corpus vel solida res per illos ritus adumbrata ad Christum pertinet, seu in Christo invenitur. Hisce verbis contendimus Paulum generatim affirmasse mysticam et allegoricam significationem institutorum et caeremoniarum quae in lege Moysi praecipiuntur. Imprimis enim nativa vis metaphorae hoc indicat: cum enim umbra sit imago corporis cuius umbra est, patet observationes legales hic dici imagines seu typos fuisse mysteriorum Christi et Christianae Ecclesiae, quae per illas praefigurabantur. Crescit argumentum collato altero Apostoli testimonio Hebr. VIII, 5 ubi eadem metaphora utitur, sed aliquid addit quod eius sensum clarius determinat. Loquens enim de ministerio Sacerdotum leviticorum ait: « Qui exemplari et umbrae deserviunt coelestium, » quibus verbis tabernaculum et omnia ad illud pertinentia non solum vocat umbram σκιαν, sed etiam *exemplaria,* seu typum vel imaginem (υποδειγμα) rerum caelestium των επουρανιων, idest rerum nobiliorum et spiritualium quae in Christo et per Christum futurae erant: quod etiam repetit in capite sequenti ubi commemorata historia consecrationis veteris tabernaculi et vasorum ministerii per sanguinem victimarum, subdit vers. 23: « Necesse est ergo *exemplaria* quidem *coelestium* his mundari: ipsa autem coelestia melioribus hostiis quam istis », idest Christi ipsius sanguine.

2° Testimonia explicita et *specialia,* quae scilicet speciales res vel personas et singularia loca V. T. respiciunt, plura sunt praesertim in Epistolis Paulinis. Satis erit praecipua indicare. Gal. IV 22 seqq. in historia Abrahami Gen. XVI, 15 et XXI, 2 seu in duabus eius uxoribus Sara et Agar eorumque filiis Isacco et Ismaele, mystica significatio agnoscitur: « Quae sunt, inquit, *per allegoriam* dicta. Haec enim sunt duo testamenta. Unum quidem in monte Sina

in servitutem generans: quae est Agar. . . . illa autem quae sursum est Ierusalem, libera est, quae est mater nostra. . . . Nos autem fratres secundum Isaac promissionis filii sumus. . . Itaque, fratres, non sumus ancillae filii, sed liberae: qua libertate Christus nos liberavit ». In epistola ad Ephes. V, 31 seq. coniugium Adami, et Hevae, et verba, quibus matrimonii institutio exprimitur Gen. II 24 mystice explicantur nota illa sententia « *Sacramentum hoc* magnum est: ego autem dico *in Christo et in Ecclesia* » uti vox sacramentum (μυστηριον) non theologico sensu accipitur, ubi notum est, sed pro *mysterio,* seu figura, aut imagine alterius rei, quam Paulus docet esse coniunctionem spiritualem inter Christum et Ecclesiam, ut in textu graeco clarius apparet, nam pro ablativo ponitur accusativus: Εγω δε λεγω εις Χριστον, και εις την Εκκλησιαν: In Epistola ad Romanos V, 14 non obscure indicatur Adamum Christi figuram fuisse cum ille dicitur *forma futuri* τυπος του μελλοντος , idest Christi , quem etiam alterum Adamum alibi (1 Cor. XV) Paulus appellat. In 1 Cor. X 4 rupes illa ex qua Moyses aquas eduxit in deserto (Ex. VIII, Num. XX) dicitur Christum praefigurasse « *Petra autem erat Christus* » eaque de causa rupes illa *spiritalis petra,* et aqua inde educta *potus spiritalis* vocatur, scilicet ob istum spiritalem sensum, quem continebat.

II. Testimonia *implicita* vocamus illa in quibus expresse non affirmatur mysticus quorumdam locorum V. T. sensus, sed tamen vel supponitur vel aliqua ratione insinuatur. Quod cum variis modis fiat ab Hagiographis N. T. oportebit in varias classes huiusmodi testimonia tribuere.

1° Hagiographi N. T. implicite revelant mysticum Scripturae sensum cum *demonstrationis causa* producunt testimonia ex V. T., quae litteraliter accepta ad rem de qua agitur nullatenus pertinent. Tunc enim aut dicendum est testimonia illa perperam ac temere allegata fuisse, aut ea praeter literalem sensum alium continere idest mysticum, secundum quem opportune et efficaciter allegari potuerint. Exemplum suppeditat Apostolus, qui Hebr. 15 ad probandam Christi excellentiam super omnes creaturas inter alia testimonia adducit Dei verba 2 Reg. III 14 « *Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in Filium* » quae in contextu literali nonnisi de Salomone intelligi possunt. Aliud exemplum occurrit in

Cap. VII eiusdem Epistolae, ubi Paulus ex historia Melchisedechi narrata Gen. XIV demonstrare contendit Christi Sacerdotium excellentius esse Sacerdotio Aaronico, ex eo scilicet quod Melchisedech appareat excellentioris dignitatis fuisse Abrahamo Hebraeorum patre. Sane consequentia argumenti nulla esset, nisi supponatur Melchisedechum Christum Sacerdotem praefigurasse in historia illic relata. Hoc autem supposito argumentum recte procedit; si enim Melchisedech sacerdos qui erat figura Christi superior fuit sacerdotibus Leviticis, multo magis Christus ipse qui est figuratum illis superior erit: figuratum enim est semper excellentius sua figura. Aliud exemplum suppeditat ipse Dominus Matth. XXI, 42 seqq. ubi demonstraturus se fore novae Ecclesiae in locum Synagogae fundatorem, affert verba Ps. CXVII, 22, quae tamen literaliter de David scripta fuerunt.

2° Alias Hagiographi implicite demonstrant mysticos sensus cum absolute affirmant aliquam rem vel personam N. T. fuisse praedictam in quodam loco V. T. qui tamen locus litteraliter acceptus illam rem vel personam minime respicit. Nisi enim dicere velimus Christum et Apostolos errasse in Scripturis citandis, quod nefas est, tenendum omnino erit in locis illis mystice haec praenunciata fuisse. En quaedam exempla. Christus Dominus in duplici apparitione quam refert Lucas XXIV, 26 seq. et 44-47, diserte affirmat suam passionem et resurrectionem praedictam fuisse *in Lege Moysi, et Prophetis et Psalmis*. Iamvero de Prophetis et Psalmis nulla quaestio esse potest: pleni enim sunt apertissimis ac splendidis vaticiniis de Christi passione, morte ac resurrectione iuxta literalem verborum sensum. Sed in *Lege Moysi* ubi, quaeso, haec leguntur? nec unum enim verbum in Pentateucho occurrit quod ad Christi passionem ac mortem pertineat. Necesse ergo est admittere Moysem secundum mysticum sensum haec praenunciasse. Et revera quae Moyses scribit et praecipit de sacrificiis ac victimis legalibus mystice designant Christi passionem ac mortem, imprimis ritus Agni Paschalis Ex. XII, ut inter coeteros insinuat Iohannes in Evangelio XIX, 36: quibus addi potest narratio de serpente aeneo a Moyse in deserto exaltato Num. XXI, 9, quae Christi crucifixionem eiusque effectus praefigurabat, ut ipse Christus innuit Io: III, 14 seqq. Accedit aliud testimonium Matth. XIII,

34 seq. ubi in Christo impleta dicuntur verba Ps. LXXVII, 2, quae tamen Psalmista de se ipso scripserat. Adde locum alias citatum Matth. II, 15, ubi de Christo ex Aegypto revertente scripta dicuntur verba Oseae XI, 1 quae literaliter de populo Hebraico ex captivitate aegyptiaca liberato intelligenda sunt: item Matth. II, 17 seqq. coll. Ier. XXXI, 15, et Pauli locum Hebr. II, 13 coll. Ps. XVII, 3, Is. VIII, 8, item alia plura in eiusdem Pauli epistolis.

3° Alius modus quo Hagiographi mysticum sensum subindicant, est nominum permutatio: quando scilicet rem vel personam N. T. appellant simpliciter et absolute nomine alterius rei vel personae V. T. aut viceversa, nulla prorsus addita explicatione: quo insinuatur inter utramque rem vel personam intimum existere nexum, et quidem typicum, seu typicae repraesentationis, ita ut unius nomine altera quoque designari possit, quemadmodum fieri solet de imagine comparata cum re vel persona repraesentata; dicimus enim de Caesaris statua: hic est Caesar, quia illum repraesentat. Exempla non pauca suppeditant libri utriusque Testamenti. Ita 1 Cor. V, 7 et Apoc. V, 6 Christus simpliciter et absolute vocatur *Pascha* (idest Agnus Paschalis), et *Agnus* occisus, quia nempe per Agnos sacrificiales, et imprimis Paschales praefigurabatur. Alibi vocatur simpliciter et absolute *David,* ut Os. III, 8: « Post haec revertentur filii Israel, et quaerent Dominum Deum suum , et *David regem suum* »; et Ezech. XXXIV, 23 « Suscitabo super eas pastorem unum qui pascat eas, *servum meum David:* ipse pascet eas, et ipse erit eis in pastorem, » quae de Christo tantum intelligi possunt, cum David rex a multis saeculis mortuus esset, et hic propheta de novissimis diebus, seu de tempore Messiae loquatur: similia habentur Ier. XXV, 29. Item Ecclesia Christi simpliciter vocatur *Ierusalem* (Hebr. XII, 22 seqq. Ier. XXXI, 16 et alibi) vel *Templum* (Zach. VI, 13 Am. IX, 11) vel *Iuda* aut *Israel* , ut fit ex: gr: Ier. XXIII, 6 « In diebus illis salvabitur *Iuda et Israel* habitabit confidenter: et hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus iustus noster ». Similiter hostes Christi eiusque Ecclesiae vocantur nominibus hostium Iudaeorum *Idumaei, Moabitae, Assyrii* etc. (Am. IX, 12 Mich. V, 5 etc.)

4° Denique Hagiographi non obscure insinuant mysticum sensum, cum de una eademque re contradictoria vel incohaerentia

praedicant, aut de una re loquentes ad alteram ex abrupto transcurrunt non monitis lectoribus de nexu inter utramque rem intercedente. Haec enim aliter explicari non possunt quam ex hypothesi mysticae connexionis inter res et personas illas intercedentis, ex qua fit ut quae rei convenire non possunt ex se, ei conveniant propter typicam significationem, seu potius conveniant alteri rei per illam adumbratae: itemque ex eo factum est ut a typo ad eius antitypum propter nexum repraesentationis, qui menti eius obversabatur, nulla facta indicatione, auctor transcurrere posset. Exemplum pro primo modo clarissimum suppeditant ea Scripturae loca quae de efficacia sacrificiorum legalium pertractant: aliquando enim affirmat ea nullam habuisse vim ad peccata auferenda: « Impossibile enim est, inquit Apostolus, sanguine taurorum et hircorum auferri peccata » et iterum: « omnis quidem sacerdos praesto est quotidie ministrans et easdem saepe offerens hostias, quae nunquam possunt auferre peccata (Hebr. X, 4 et 11). Quod respondet testimoniis etiam prophetarum quae ibidem citantur, ut Ps. 39, 7 et 8, quibus etiam concinit Ieremias Dei nomine inquiens: « Numquid carnes sanctae auferent a te malitias tuas? » At contra in aliis locis ex: gr: Lev. IV, 36 vis auferendi peccata sacrificiis illis tribuitur. Dicendum est igitur iisdem sacrificiis ac victimis inditam fuisse significationem ac repraesentationem victimae, et sacrificii divini Christi Domini, et secundum hunc respectum efficaciam habuisse quam per se habere non poterant. Ad alterum autem modum pertinent plura Prophetarum vaticinia ubi abruptus fit transitus ex: gr: a liberatione Iudaeorum per Cyrum ad generalem redemptionem per Messiam adducendam, a templi aedificatione ad fundationem Ecclesiae, a gestis vel praerogativis Davidis et Salomonis ad Christum eiusque gesta ac mysteria.

Omnibus hisce modis Hagiographi insinuant mysticam plurium rerum ac personarum V. T. destinationem, quibus si addantur explicitae affirmationes superius adductae, nullum dubium relinquitur quin Christus et Apostoli aliique legati divini nobis tradiderint, in libris V. T. praeter sensum literalem, etiam mysticum inveniri.

Arg. II^m^ Ex traditione desumptum.

Cum de re agatur, quae ad V. T. pertinet consulenda nobis est non modo Christiana, sed etiam Iudaica traditio. Ex utriusque

autem consensu validissimum argumentum exurget pro mystico sensu Scripturarum V. T.

I. Traditio Iudaeorum pro mystico sensu in libris V. T.

Si ostendi possit Iudaeos perpetua, constanti, ac unanimi sententia agnovisse in libris V. T. mysticum sensum, ita ut eosdem libros ab ea aetate qua scripti sunt semper hac ratione intellexerint atque exposuerint, efficacissimam habebimus rationem concludendi talem sensum revera in iis libris contineri, idque ab ipsis prophetis Synagogae revelatum ac traditum fuisse, quae olim legitima fuit custos Scripturarum ac interpres eloquiorum Dei. Crescit argumenti vis si attendamus 1) traditionem Iudaicam per multas ac varias aetates porrigi, pluresque inter se diversas et saepe contrarias doctorum scholas complecti; 2) Scripturarum interpretationem apud Iudaeos nunquam fuisse privatorum hominum arbitrio permissam, sed Synagogae, sacerdotum, ac prophetarum vigilantiae subiectam, ad quos tum religionis administratio in genere, tum in specie Scripturarum custodia et legitima earum interpretatio ex divina institutione pertinebat.

Hisce praenotatis demonstrandum aggredimur reapse apud Iudaeos extitisse unanimem et constantem traditionem de mystico ac typico Scripturarum sensu (1). Quod ut clarius appareat breviter percurremus varias epochas Hebraeorum sive ante, sive post captivitatem Babilonicam, nec non etiam epocham, quae Christi adventum subsequuta est.

Pro *epocha prima,* seu pro Iudaeis qui ante captivitatem Babylonicam vixerunt, pauca suppetunt testimonia: nullum enim scriptum opus aut monumentum Iudaeorum habemus praeter ipsos Scripturae libros. Attamen praeterquamquod ex subsequenti aetate arguere licet quid in prima illa epocha Iudaei senserint, non desunt huius traditionis vestigia in ipsis sacris libris qui ante captivitatem editi fuerunt, in quibus supponitur in lectoribus persuasio ac sententia de typis et figuris. Ita ex: gr: initio Ps. LXXVII Psalmista (Asaph) ait: « Aperiam *in parabolis* (hebr. בְּמָשָׁל) os meum,

(1) Id tam certum est ut nec adversarii inficientur; ex quibus Bauer Herm. Sacra P. I. §. 29 scribit: « Haec mystica litteras sacras V. T. interpretandi ratio iam ante Christi aetatem usu recepta erat .... deinde ab his (Iudaeis) ad Christianos transiit qui illi diutissime inhaeserunt. »

loquar propositiones (hebr. חִידוֹת) ab initio ». Iamvero in toto hoc Psalmo nullam prorsus parabolam, seu symbolicum et occultum sensum proponit, sed nihil aliud facit quam in mentem revocare iuxta ordinem historiae praecipua facta Hebraeorum a Patriarcha Iacob usque ad Davidis regnum. Quare sacer Scriptor satis clare indicat in illis factis mysticas aliquas significationes latere. Similiter David in Ps. CIX vocans Messiam *Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech* non obscure innuit huius (Gen. XIV) typicam destinationem, qua Christum Sacerdotem praefigurabat: non enim dici poterat Christus Sacerdos secundum ordinem (עַל־דִּבְרָתִי) Melchisedech quasi ei succederet in serie Sacerdotum, cum Melchisedhec nec successores habuerit, nec ad determinatam sacerdotum seriem pertineret quemadmodum sacerdotes Aaronici. (Vide Hebr. VII). Etiam Isaias dum Cap. LIII sub agni imagine Christum patientem describit alludere videtur ad typicam significationem Agni Paschalis atque victimarum antiquae Legis. Huc etiam pertinent saepius commemoratae symbolicae actiones prophetarum quae toties recurrunt in Isaiae, Ieremiae, Ezechielis aliorumque prophetarum libris ante captivitatem conscriptis, quae ostendunt hunc modum futura praedicendi et significandi per res aliquas symbolicas potius quam per verba passim a sacris scriptoribus adhibitum fuisse, eumque populo Iudaeorum admodum familiarem evasisse. Hoc sensu Isaias dicit se suosque filios datos a Deo fuisse *in signum et in portentum Israel* (VIII, 18) et pariter Ezechiel dicitur esse Iudaeis *in portentum* (לְמוֹפֵת) Ezech. XXIV, 24.

Pro *epocha secunda* uberiora documenta supersunt. Sane ut nihil dicamus de testimoniis libri Sapientiae IX, 8, XVI, 21–29, et Eccli. XXIV, 23 seq. in quibus ipse Bauer vestigium allegoricae interpretationis sibi reperisse videtur, clariora testimonia adducere possumus ex profanis scriptoribus quorum alia respiciunt Iudaeos Alexandrinos, alia Palestinenses. Quod pertinet ad Alexandrinos vestigium mysticae interpretationis praebent Scripturae expositiones ab Eleazaro et Aristobulo aetate Ptolomaei Philadelphi propositae quas memorat Eusebius in Demonstr. Evang. Lib. VIII, Cap. 10. Hisce adde testimonium libri Aristeae, qui licet genuinus non videatur, ipso tamen fatente Hody celebri eius impugnatore, ante Christi aetatem ab homine Alexandrino conscriptus est. In hoc enim

libello refertur sermo Eleazari Pontificis, in quo tropologicus sensus quarumdam legum Mosaicarum aperiebatur: « His itaque, aiebat ille, *quasi symbolis quibusdam* legislator voluit ostensum intelligentibus, ut cogitarent se debere esse iustos et nihil per vim agere, neque fiducia potentiae et virium suarum alios opprimere. . . . Quae nobis concedit in omnibus. . . . figurate id ad morum informationem statuit. » Prae caeteris vero ad rem nostram facit testimonium Philonis Iudaei Alexandrini, qui et ipse mysticas interpretationes sequutus est, et de aliorum doctorum, nec non scholarum Iudaicarum sententia nos certiores facit. Itaque Philo in Libro *de Abraham* typum agnoscit in Patriarchis Abraham, Isaac et Iacob (Edit. Turnebii 1691, Pag. 357), et in lib. *De migratione Abrahae* mystice explicat circumcisionem, caeremonias legales, eosque mysticos sensus ita confert cum literali, et historico ut dicat: « Praestat haec (mystica) tamquam animae, illa tamquam corpori similia putare » (Pag. 402); ubi etiam diserte affirmat (Pag. 404) Summum Pontificem figurasse Verbum divinum, quod etiam repetit et exponit in Libro *de Profugis* (Pag. 466). Plura alia huiusmodi Philonis testimonia occurrunt in Libro *Sacrarum Legum Allegoriarum,* et in Libr. *de Mundi opificio.* Philonem autem in hac re maiorum suorum sententiam sequutum fuisse ipse docet in libro *De Vita contemplativa,* ubi de celebri secta *Therapeutarum* scribit: « Versantes enim sacra volumina philosophantur, patria philosophia *allegorice exposita;* putant enim ea quae verba ipsa sonant esse *symbola latentis naturae per figuras manifestatae.* Habent vero et commentarios *priscorum virorum,* qui, sectae auctores cum essent, multa monumenta *de allegoriis* reliquerunt, quibus veluti exemplaribus utentes huius instituti rationem imitantur ». Eamdem sententiam alteri quoque celeberrimae Iudaeorum sectae, *Esseniorum* scilicet, inhaesisse Philo testatur in Lib. *Quod omnis probus sit liber* scribens: « Plura ipsi *symbolorum* ope veteres aemulati philosophantur » (Pag. 877).

De Iudaeis Palestinis, ipsisque Pharisaeis qui literae legis tenacius adhaerebant idem ostendi potest. Nam praeter superius allatum testimonium Eleazari Summi Pontificis Ierosolymitani, quod etiamsi genuinum esse negetur praesumendum tamen est a pseudo-Aristea confictum iuxta rei verisimilitudinem et notam Iudaeo-

rum Palestinensium opinionem, notatu dignum est testimonium Iosephi Flavii, De bello Iudaico lib. II, et Antiquit. Lib. XVII, 3. 4. ubi de Phariseorum sententia circa Scripturarum interpretationem loquitur: imo et ipse licet Pharisaeus allegorica expositione utitur in pluribus locis suorum operum, ut in Prooemio Antiquit. §. IV coll. Lib. III, 6. 4 et 77, et De Bel. Iud. Lib. V, Cap. 6. 4. Denique de Palestinensium Iudaeorum sententia omne dubium removet Christi et Apostolorum agendi ratio, qui cum illis loquentes, vel ad eos scribentes, aut, quod magis est, illorum praeiudicia refutantes passim ad mysticos Scripturae sensus confugiunt, et ex eis argumenta desumunt, quod supponit communem persuasionem non solum Apostolorum, qui et ipsi Palestini erant, sed universim omnium Iudaeorum in illa regione degentium, persuasionem, inquam, de mystico sensu sub Scripturae litera latente.

Ad *tertiam epocham* quod attinet notandum est testimonium Iudaeorum qui post Christum vixerunt non frustra ad nostrae Theseos confirmationem adduci: quamvis enim hi cum vera fide omnem quoque auctoritatem amiserint, tamen ob peculiare illius gentis ingenium antiquitatis et patriae traditionis tenacissimum non immerito adhiberi possunt uti testes antiquioris Iudaeorum fidei in re de qua agimus. Porro hos omnes mysticum et allegoricum sensum in Scripturis admisisse constat 1°) ex testimonio Talmudis, in quo non solum plura mystice explicantur sed etiam expresse affirmatur multa in Pentateucho allegorice intelligenda esse. Ita in Tract. *Berachot* Cap. V circa finem legitur: « Dedit nobis Deus formas tabernaculi, sanctuarii et omnium vasorum eius, candelabri, mensae et altarium in typos rerum *intellectualium* et ad intelligendum ex his veritates supernas. » Quinimo in Tract. *Kidduscim* Fol. 41 col. 1 generatim affirmatur: « Quicumque exponit textum secundum formam suam tantum (idest iuxta sensum literalem) ecce is est mendax ». 2°) Ex auctoribus cabalisticis: siquidem, si praescindamus ab huius systematis abusu et ab infinitis nugis ac ineptiis quibus cabalistarum libri referti sunt, ipsius systematis veluti substantia mysticam Scripturarum significationem supponit et in ea fundatur. Aiunt enim Moysi duas veluti leges in monte Sinai traditas fuisse, seu potius tres, idest legem scriptam, nempe illam quam scripto tradere debebat, et duas orales; quae non scripto

consignandae, sed per traditionem conservandae erant, quarum una legalis dicitur quae a Rabbinis Talmudistis praecipue conservata est, altera vero est mystica quam pauci doctiores agnoverunt qui cabalistae vocantur (1), eaque saltem magna ex parte in mystica et allegorica rerum et personarum biblicarum significatione fundatur. 3°) Denique ex auctoribus Midraschicis aliisque commentatoribus S. Scripturae, etiam iis qui pressius literali sensui inhaerent. Et imprimis de antiquioribus Rabbinis testatur Eusebius Neocesareae in Palestina episcopus eos iunioribus et infirmioribus discipulis Scripturae historias simpliciter et literaliter exposuisse. « Iis vero, inquit, quibus mentis habitus fuerit exercitatione robustior, altius illud doctrinaeque plenum contemplationis genus tractare concedunt, quod illa quam vocant δευτερωσιν, et *illustriore quadam ignotorum vulgo sensorum explicatione* continetur ». Ex posterioribus vero Iudaeorum interpretibus, et doctoribus multa desumi possunt testimonia non solum implicita, ex eo quod in suis libris mysticas interpretationes Legis passim tradant, sed etiam explicita et diserta, ubi hoc et fieri posse docent, et omnino faciendum esse, et quidem ex communi sapientum suorum sensu ac sententia. Ita inter ceteros celeberrimi interpretes David Kimchi, et Salomon Iarchi in comment. in Ps. 2 fatentur hunc psalmum de Messia intelligendum esse iuxta interpretationem antiquiorum doctorum, simul tamen de Davide posse explicari secundum sensum literalem. Plura alia testimonia Rabbinorum qui loca V. T. in sensu mystico interpretati sunt, videri possunt apud Io: de Voisin in *Adnot. in Prooem. Pugionis Fidei* Raimundi Martini. Speciali mentione dignum est testimonium Rabbi Ios. Albo in celebri opere *Sepher Ikkarim* Lib. III Cap. 21 ubi pro re nostra ita diserte scribit: « Reperiuntur in Lege multa, quae sapientes omnes fatentur signa esse rerum inclytarum, sublimium, rerumque spiritualium, qualis est descriptio horti Eden, et quatuor flaviorum et caetera, non tamen negant veram eorum existentiam secundum literalem sensum, verum dicunt res illas quae sic revera extant, signa esse praete-

(1) Vide Opusculum P. Drach – *La Cabale des Hebreux vengée de la fausse imputation de Pantheisme par le simple exposé de sa doctrine d'après les livres cabalistiques qui font autorité*, Rome 1864. Cfr. etiam Bonfrerii *Praeloquia in s. Scripturam* Cap. 21.

rea rerum praestantiorum et superiorum. . . . similiter dicunt Ierusalem inferiorem figuram esse Ierusalem superioris ». Et paucis interiectis ita concludit: « Sic intelligimus esse in lege *res quae sunt signa rerum aliarum praestantiorum* et sublimiorum, quae tamen *revera extant secundum sensum literalem*. . . . Hinc vocatur lex Testimonium, ut diximus, ad significandum illa quae exhibet revera existere secundum literalem sensum, neque figuram illis tribui, qua simplex veraque eorum existentia destruatur. » Aliud quoque testimonium Rabbi Maiemonidis affert Galatinus in *Arcanis Catholicae Veritatis* lib. I Cap. 6 desumptum ex tractatu primo *Morè Nevochim* ubi ait: « Scito quod clavis intelligentiae universorum quae prophetae dixerunt est intelligere parabolas, et metaphoras, et similitudines atque enigmata. » Quod autem nomine *parabolarum* intelligat mysticos et allegoricos sensus ex toto contextu apparet, imprimis ex explicatione quam praebet verborum Prov. XXV, v. 11 *Poma aurea in cancellaturis argenteis,* quae pulchre explicat de duplici sensu Scripturarum inquiens: « Quod verbum dictum secundum *ambas facies suas,* idest secundum *interiorem, et exteriorem* sensum est sicut pomum in retiaculo argenteo. Ac si dicat necessarium esse ut sit sensus exterior pretiosus, et bonus, velut argentum, interior vero multo melior sicut aurum. . . . necesse quoque est ut sit aliquid in exteriori sensu quod ducat ac trahat considerantem ad interiorem. Quemadmodum pomum aureum vestitum retiaculo argenteo cum procul respicitur vel absque multo intuitu totum videtur argenteum, cum vero ob valorem argenti atque decorem, habens visum acutum provocatus accesserit, videbit profecto aureum pomum intus latere. » Ibidem etiam fatetur Maiemonides de Thalmudistis doctoribus eos praeter literalem sensum admisisse spiritualem, et illum quidem candelae comparasse quae parvo pretio emi potest, hunc vero, seu mysticum et allegoricum, margaritae in tenebris talenti, quae tandem ope illius candelae, hoc est per literalem sensum, seu exemplum, a quaerentibus invenitur. Nec alia fuit sententia doctissimi Abarbanelis qui in Comm. in Dan. fol. 86 docet inter caetera egressum Hebraeorum ex Aegypto fuisse « testimonium clarum redemptionis futurae » et in alio loco citato a Frischmuth (in Thes. Theol. philol. Tom. II pag. 365 edit. Amsterdami 1702) expresse affirmat: « In opere

Tabernaculi et caeteris praecipua intentio fuit, ut sint tamquam liber sapientiae altioris, et rei gloriosae, ad quam ipsa dirigantur ». Eadem est sententia caeterorum Rabbinorum, uno excepto Aben Ezra, qui, ut in nonnullis aliis, in hoc etiam a communi suorum traditione et sensu recessit, a caeteris proinde severe reprehensus: quamvis et ipse in nonnullis locis, praesertim Psalmorum abstinere non potuerit a quibusdam mysticis sensibus subindicandis.

II. Traditio Christianorum non minus constans ac certa appareret in re de qua agimus, ipso adversario quem hic praecipue refellimus ultro fatente (1). Desumi vero potest Christianorum sensus ex triplici capite, scilicet ex liturgia Ecclesiae, ex monumentis archeologicis, et ex testimonio et praxi Doctorum et interpretum.

1° Liturgia Ecclesiae tum latina tum graeca plena est mysticis et allegoricis sensibus. Quis enim nescit figuras seu typos Christi in Agno Paschali, aliisque victimis V. T. passim ab Ecclesia commemorari, item figuras Beatae Mariae Virginis in Iudith, Esther aliisque sanctis foeminis agnosci, multa etiam gesta Abrahami, Moysis, Davidis, Salomonis allegorico sensu exponi? Conferantur exgr: Praefatio Missae Paschatis, Benedictio cerei Paschalis in Sabbato Sancto, item oratio quae in canone Missae quotidie recitatur: *Supra quae propitio ac sereno vultu* etc. ubi figurae sacrificii Eucharistici non obscure iudicantur: quae clarius proponuntur in sequentia Missae SSmi Corporis Christi, ubi postquam generatim dictum est: *umbram fugat veritas,* postea magis expresse additur de eodem sacrificio et Sacramento Eucharistico: « *In figuris praesignatur dum Isaac immolatur, Agnus Paschae deputatur, datur manna Patribus.* »

2° Archeologia Christiana plurima offert pro re nostra testimonia de quibus plura diceremus, nisi haec iam quodammodo praeoccupata essent per ea quae diximus in Par. II Introd. Criticae

(1) Sane Bauer in Op. cit. pag. 43 scribit: « Non solum autem Pontificiorum (catholicorum) interpretes, sed et Luteranae et reformatae Ecclesiae addicti hanc per traditionem acceptam allegoricam interpretationem receperunt, receptam excoluerunt. » Et etiam in alio loco sup. cit. fassus fuerat persuasionem de mystico sensu a Iudaeis ad Christianos transiisse, qui, inquit, *illi diutissime inhaeserunt.*

ubi de Canone Scripturarum agebamus. Ibi enim vidimus pleraque Christianae fidei mysteria per typos vel figuras ex veteri imprimis Testamento depromptas expressa fuisse. Ita Moyses praefigurat Petrum Apostolum, Ionas Christi sepulturam et Resurrectionem, Isaac Christi sacrificium, Arca Noe Baptismum et alia plura huiusmodi (1).

3° Denique Patres ac Doctores Ecclesiae unanimi prorsus sententia mysticum sensum in libris V. T. agnoscunt. Imprimis enim in Scriptura exponenda quoties opportunitas sese offert mystice et allegorice explicant Scripturarum loca ita ut potius excessus quam defectus in hac re deprehendi possit. Sufficiat igitur praecipua quaedam testimonia Patrum afferre qui magis expresse et asseveranter de hac re loquuti sunt, eorum praesertim qui ceteroquin sobrie allegorica interpretatione usti fuerunt et literali sensui accuratius adhaeserunt, uti sunt praecipue illi, qui ad scholam Anthiochenam referri solent. Primus occurrit nobis Clemens Romanus qui in Epistola 1. ad Corinthios §. 12 loquens de Rahab quae per rubrum funiculum ex fenestra dimissum servata est ex communi Iericuntinorum strage ait per hoc « manifestum fieri, quod omnibus, qui credunt et sperant in Deum, per Sanguinem Domini redemptio futura sit » et concludit: « Videte, dilecti, non solum fides sed etiam prophetia in muliere fuit. » Hanc allegoriam plures alii Patres recipiunt, imprimis Iustinus dial. cum Tryph. 111 et Irenaeus adv. Haer. IV, 20. Succedit Barnabas, seu quisquis sit auctor epistolae quae eius nomen praesefert, ubi §. 7 allegorice explicat de Christo ritum capri emissarii, et ieiunium Iudaeis praescriptum pariter Christi sacrificium adumbrasse asserit, quod etiam dicitur in sacrificio Isaac expressum fuisse: « ut et impleretur, inquit, figura facta in Isaac qui super altare fuit oblatus ». In §. 8 typus agnoscitur in sacrificio iuvencae rubrae: « *Vitulus iste,* inquit, *Iesus est;* homines nequam qui afferunt, *sunt ii qui Dominum ad necem obtulerunt.* » In §. 9 ritus circumcisionis spiritualiter intelligendus esse dicitur de cordis circumcisione. Denique in sequentibus §§. praesertim usque ad §§. 14 plures alii V. T. typi ostenduntur, et explicantur. Iustinus martyr in Dial. cum Tryphone

(1) De his plura dabunt Macarius in *Hagioglyptis* lib. II, et Io. Baptista de Rossi in *Roma sotteranea, Bullettino* et aliis operibus passim.

passim ad mysticum legalium rituum rerumque V. T. sensum appellat, ut ex: gr: in §. 68 ubi ait: *multa mysteriis et actionum quarumdam symbolis fuisse adumbrata;* item in §. 42 « omnia a Moyse instituta.... *imagines et signa et praenunciationes* fuisse », et in §. 114 ubi scribit: « interdum Spiritus Sanctus efficiebat, ut clare aliquid et aperte fieret, quod quidem *imago esset futuri* » ac denique § 131 concludit *« res omnes* (Christi) *his symbolis praesignificabantur* ». Concinit S. Irenaeus adv. haer. lib. IV Cap. 25 §. 3. scribens: « Oportebat enim quaedam quidem praenuntiari paternaliter a patribus, quaedam autem *praefigurari legaliter a prophetis,* quaedam vero *deformari secundum formationem Christi* ab his qui adoptionem perceperunt, omnia vero in uno Deo ostenduntur. Cum enim unus esset Abraham, *in semetipso praefigurabat duo Testamenta* »: et complura alia in eodem libro mystice de Christo explicat praesertim cap. 31 et 33: quinimo in principio Cap. 26 generatim affirmat: «*per typos, et parabolas* (Christus) *designabatur.*» Tertullianus non solum plures typos passim in suis libris explicat, ut ex: gr: lib. de Baptismo Cap. 9. Lib. de Idolol. Cap. 5, Lib. adv. Praxeam Cap. 16, sed etiam generatim et expresse affirmat existentiam sensus mystici et allegorici in libris V. T. Ita adv. Marc. Lib. V. Cap. 7 scribit: « Ecce autem et in petram offendit coecus Marcion, de qua bibebant in solitudine patres nostri. Si enim petra illa Christus fuit, utique creatoris, cuius et populus. Cui rei figuram extranei sacramenti interpretatur? an ut hoc ipsum doceret, *figurata fuisse vetera in Christum ex illis recensendum?* Nam et reliquum exitum populi decursurus, praemittit: Haec autem exempla nobis sunt facta »; et clarius in lib. adv. Iudaeos circa finem Cap. XIV: » Igitur quoniam primus adventus (Christi) et *plurimis figuris obscuratus,* et omni inhonestate prostratus canebatur, secundus vero et manifestus, et Deo condignus; idcirco quem facile et intelligere et credere potuerunt, eum solum intuentes, idest secundum, qui est in honore et gloria, non immerito decepti sunt (Iudaei) circa indigniorem, certe obscuriorem, idest primum. Atque ita in hodiernum negant venisse Christum suum. » S. Hippolytus loquens de Susanna scribit: « Ne modo qui Deo credimus, ea quae nunc in Ecclesia fiunt, tamquam nova ac peregrina existimemus, sed cuncta haec olim per Patriarchas figurata credamus ». Nec alia fuit S. Cy-

priani sententia, qui in libro De Bono patientiae ita diserte pro re nostra scribit: « Invenimus denique et Patriarchas et Prophetas, et iustos omnes, qui figuram Christi imagine praeeunte portabant. » Omittimus testimonia Clementis Alex. Origenis aliorumque eiusdem scholae Doctorum, quorum sententia ita perspecta est ut potius de excessu allegoricae interpretationis reprehendantur. Ex aliis autem Patribus qui saec. IV et sequentibus floruerunt, sufficiat paucos quosdam ex praecipuis citare. Et ex graecis quidem occurrit Io. Chrysostomus ob literalem Scripturae interpretationem merito ab omnibus laudatus, qui tamen non omittit ubi opus est mysticos Scripturae sensus exponere: ita Hom. XXXVI in Gen.: « Vide, inquit exponens historiam Melchisedechi, vide propter honorem in patriarcham collatum quomodo *sacramentum* insinuatur, protulit enim panem et vinum. Videns *typum* cogita, oro, et *veritatem* et admirare divinarum Scripturarum accuratam diligentiam, *quomodo superioribus saeculis et ab initio futura praesignata sint.* » Et de Agno Paschali loquens in Hom. De Pass. Dom. aperte docet illum Christi typum fuisse, eiusque sanguinem Christi Domini Sanguinem praefigurasse: « Vultis inquit sanguinis Christi audire virtutem? redeamus ad eius *exemplum* et *priorem typum* recordemur, et pristinam Scripturam narremus. » Et declarata historia Agni Paschalis ita concludit: « Nunc ergo si viderit inimicus non postibus impositum sanguinem typi sed fidelium ore lucentem sanguinem veritatis Christi templi postibus dedicatum, multo magis se subtrahet. Si enim Angelus cessit exemplo, quanto magis terrebitur inimicus si ipsam perspexerit veritatem? » Vide etiam Serm. de Ieiun., Comment. in Ps. 46, Hom. XIII in Gen. S. Isidorus Pelusiota pariter ob accuratam ac literalem interpretandi rationem celeberrimus mysticos sensus non semel proponit et explicat ut ex: gr: in Historia Melchisedechi Gen. XIV, de qua in Epistola 431 scribit: « Melchisedech panibus et vino sacerdotis munus obiens, per quae divinorum mysteriorum typum adumbrabat » Cfr. etiam Eusebium Praep. Evang. lib. VIII passim, Theodoretum Praef. in Psalmos, S. Basilium hom. IX in Exaemer. circa initium, S. Gregorium Nazianzenum in Epist. ad Nemesium. Ex latinis autem S. Ambrosius in lib. II in Lucam occasione circumcisionis Christi Domini affirmat mysticam significationem tum Circumcisionis in specie, tum

in genere omnium rituum antiquae Legis: « Circumcisus enim, inquit, vitiis dominico dignus iudicatur obtutu, quia oculi Domini super iustos. Vides omnem Legis veteris seriem *fuisse typum futuri:* nam et circumcisio purgationem significat delictorum. » Hieronymus tum in suis commentariis plures figuras ac typos V. T. explicat, tum etiam data occasione generatim affirmat sensus mystici existentiam in V. T. libris. Ita ex: gr: in Epist. ad Paulin. ubi de omnibus libris Scripturae summatim loquitur, de libro Exodi inquit eum *mystica* praecepta continere, et de Libro Levitici scribit: « In quo singula sacrificia imo singulae poene syllabae et vestes Aaron, et totus ordo Leviticus spirant coelestia sacramenta. » Cum autem ad librum Iosue venit ita de eo loquitur: « Veniam ad Iesum Nave, qui *typum Domini* non solum gestis, verum etiam nomine praefert: transit Iordanem, hostium regna subvertit, dividit terram victori populo, et per singulas urbes, viculos, montes, flumina, torrentes atque confinia, Ecclesiae coelestisque Ierusalem spiritualia regna describit. » Mox autem de libro Iudicum subiungit: « In Iudicum libro quot principes populi tot figurae sunt ». Deinceps de libris Samuelis seu 1° et 2° Regum: « Samuel, inquit, in Heli mortuo, et occiso Saul, veterem Legem abolitam monstrat: porro in Sadoc atque David novi Sacerdotii, novique imperii Sacramenta testatur: » idemque postea affirmat de duobus reliquis Regum libris, seu Melachim, inquiens: « Si *historiam* respicias verba simplicia sunt, si *in literis sensum latentem* inspexeris, Ecclesiae paucitas et haereticorum contra Ecclesiam bella narrantur. » Denique aliis missis ita de duobus Esdrae libris loquitur: « Esdras et Nehemias... in unum volumen coarctantur: instaurant templum, muros extruunt civitatis, omnisque illa turba populi redeuntis in patriam, et descriptio Sacerdotum, Levitarum, Israelis, proselytorum, ac per singulas familias murorum ac turrium opera divisa, aliud *in cortice* praeferunt aliud retinent in *medulla.* » Consentit laudatis Doctoribus S. Leo M. tum in aliis pluribus locis tum in sermone de Transfiguratione, ubi explicans apparitionem Moysis et Eliae in Christi Transfiguratione inter alia scribit: « Adstipulantur enim sibi invicem utriusque Foederis paginae, et quem *sub velamine mysteriorum praecedentia* signa promiserant, manifestum ac perspicuum praesentis gloriae splendor ostendit. » S. Au-

gustinus in pluribus locis idem testatur; ita ex: gr: in lib. VIII de Gen. ad literam cap. 7. scribit: « In narratione rerum gestarum res ipsae prius intelligendae sunt ut narrantur, tum demum *si quid aliud significant,* oportet perscrutari.» Et in lib. 1° de Cons. Evang. Cap. XI § 17 de Christo loquens ait: « Cui prophetando venturo gens una deputata est, *cuius reipublicae tota administratio prophetia esset* illius Regis venturi, et civitatem coelestem ex omnibus gentibus condituri. » Caeteris praetermissis, Patrum agmen claudat S. Gregorius M. pro re nostra ita clarissime scribens Lib. XX Moralium C. I. « Scientias omnes ac doctrinas ipso etiam locutionis suae more trascendit (S. Scriptura): quia uno eodemque sermone, dum narrat textum prodit mysterium, et sic scit praeterita dicere, ut eo ipso noverit futura praedicere. » Quo nihil clarius pro Thesi nostra desiderari potest.

Arg. III ex ratione theologica.

Etiamsi Scriptura typos in V. T. non indigitaret, aut constans traditio eis tam aperte non faveret, ipsa tamen consideratio rerum ac personarum quae in libris V. T. describuntur aequum rerum aestimatorem in hanc opinionem induceret ut crederet plures ex illis typum ac figuram gessisse aliarum rerum ac personarum N. T.: tanta est similitudo et connexio, quae inter has et illas intercedit. Quam convenientiam fortuitam non esse, sed a speciali Spiritus Sancti consilio ac destinatione pendere vehementer suadetur

1° Ex eo quod non est vaga atque incerta, sed *manifesta* omnino, et ultro sese offerens intuentium oculis, neque in una tantum vel altera rerum circumstantia, sed in *pluribus* saepe ac *minutis adiunctis* sese prodit.

2° Quia non in paucis rebus vel personis occurrit, sed in pluribus ac *poene innumeris,* et per omnes epochas historiae Hebraeorum, quod certe casui adscribi nequit. Cur enim nihil tale occurrit in historiis aliarum gentium, puta Graecorum ac Romanorum, quae tamen non minus ac Hebraeorum historia abundant praeclaris viris, et eventibus magni momenti?

3° Quia plerumque res illae, in quibus apparet convenientia, de qua loquimur cum rebus N. T., non sunt res mere naturales, vel fortuitae, aut ab hominum arbitrio dumtaxat originem habentes, sed *speciali Dei providentia praeordinatae,* vel *praescriptae,*

et in singulis suis partibus constitutae, ita ut Deus ipse censendus sit ita eas accommodasse, ut res futuras futurosque eventus adumbrarent.

Haec quae in genere observavimus possent in specie declarari percurrendo historiam V. T. et de singulis figuris occurrentibus disserendo: cum tamen hoc nimis in longum traheret sermonem, tribus tantum exemplis contenti erimus quae sunt: sacrificium Abrahami Gen. XXII, ritus Agni Paschalis Ex. XII, et sacrificium capri emissarii Lev. XVI (1).

Typus in *Sacrificio Abrahami* constitutus clarissimus est si conferatur cum Christi Domini sacrificio tum cruento in Cruce oblato, tum etiam incruento in SSma Eucharistia. Sane Isaac immolatur ab ipso patre, ita tamen ut suae immolationi ultro consentiat: Christus Dominus voluntate Patris mortem subit pro hominum salute, idque non coacte sed plenissima voluntate et charitate. Isaac immolandus ducitur super verticem montis Moria, super quem postea Ierusalem fuit aedificata, et in cuius vicinia Christus est Crucifixus. Isaac immolandus super humeros defert ligna sacrificii: Christo Crux, in qua erat moriturus, humeris imponitur. Sacrificium Abrahami causa fuit benedictionis omnium gentium, quae in praemium eius fidei et sacrificii in ipso benedictionem receperunt: Christi sacrificium causa fuit salutis omnium hominum. Demum Abrahami sacrificium completum quidem secundum intentionem tum patris tum filii, incruentum tamen fuit, substituto scilicet hirco pro puero Isaac; sub quo respectu repraesentatur sacrificium Christi in Eucharistia, quod licet verum sit tamen citra sanguinis effusionem completur.

Adhuc clarior ac splendidior est typus *Agni Paschalis*, quo pariter utrumque Christi Sacrificium cruentum et incruentum praefigurabatur. Placet rem totam exponere ipsis verbis Angelici Do-

(1) Uberior expositio figurarum V. T. et cum N. T. comparatio videri potest apud S. Thomam 1. 2. Quaest. CII per totum, et (ex recentioribus) apud Io. Marchetti in op.: *Il Cristianesimo dimostrabile sopra i suoi libri anche a chi non li crede*, praesertim P. I. §. 21 et P. II. §. 18 et 19; item apud Huetium *Dem. Evang.* Paep. IX ubi simul conferuntur omnia loca V. T. quae ad Christum pertinent cum locis N. T. quae eorum implementum continent.

ctoris, qui, ut diximus, de iis copiose tractat in 1. 2 Quest. CII. Itaque in art. 5. ad 2. ita de ritu Agni Paschalis disserit: « Literalis ratio convivii Paschalis fuit in commemorationem beneficii quo Deus eduxit eos de Aegypto: unde per huiusmodi convivii celebrationem profitebantur se ad illum populum pertinere quem Deus sibi assumpserat ex Aegypto » et alia prosequitur declarare iuxta hanc rationem quam ipse *literalem* appellat, nos autem appellaremus *mysticam historicam*, seu *commemorativam*, secundum divisionem alias explicatam. Deinceps vero sensum mystico-allegoricum, quem figuralem rationem vocat, exponit hisce verbis « *Figuralis* autem *ratio* patet, quia per immolationem Agni Paschalis significabatur immolatio Christi secundum illud 1. Cor. V. *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Sanguis vero agni liberans ab exterminatore, linitis superliminaribus domorum, significat fidem Passionis Christi in corde, et ore fidelium, per quam liberamur a peccato et morte secundum illud Pet. I. *Redempti estis pretioso sanguine Agni immaculati.* Comedebantur autem carnes illae, ad significandum esum Corporis Christi in Sacramento; erant autem assae igni, ad significandam passionem, vel charitatem Christi; comedebantur autem cum azymis panibus, ad significandam puram conversationem Fidelium sumentium Corpus Christi, secundum illud 1. Cor. V: *Epulemur in azymis sinceritatis et veritatis.* Lactucae autem agrestes addebantur, in signum poenitentiae peccatorum, quae necessaria est sumentibus Corpus Christi; renes autem accingendi sunt cingulo castitatis; calceamenta autem pedum sunt exempla mortuorum Patrum; baculi autem habendi in manibus, significant pastoralem custodiam. Praecipitur autem quod in una domo Agnus Paschalis comedatur, idest in Ecclesia Catholicorum, non in conventiculis haereticorum. » Hisce addere liceat aliam animadversionem ex archaeologia hebraica desumptam; ex qua scimus Agnum Paschalem ut assaretur iuxta Hebraeorum morem ita transversis lignis confixum fuisse, ut vere *crucifixus* dici posset, quo ipsa ratio mortis Christi pulchre repraesentabatur: rem ita exponit Ackermann in Archaeol. Biblica § 142 « Integras autem oves et agnos assandos baculo acuto, a cauda usque ad caput et altero transverso ad anteriores pedes traiecto, quasi crucifigunt, et in clibanum illum

§ 140 descriptum suspendunt, qui assandi modus verbo صَلَبَ *crucifixit* exprimitur. » Haec quidem de Agno Paschali.

Denique quod pertinet ad sacrificium *capri emissarii* clarum est per illum ritum expiatorium Christi sacrificium fuisse praefiguratum. Audiendus iterum est S. Thomas in citato Art. 5 ad 6^{m} ubi totum ritum expiationis Lev. XVI descriptum exponit. Postquam literalem rationem, uti ait, huius multiplicis sacrificii, nempe vituli, arietis et duorum hircorum qui in magno die expiationis immolandi erant declaravit, addit allegoricam eorum significationem ita: « Ratio autem figuralis horum erat, quia Christus significatur et per *vitulum* propter virtutem, et per *arietem* quia ipse est dux fidelium, et per *hircum* propter *similitudinem carnis peccati;* et ipse Christus est immolatus pro peccatis et Sacerdotum et populi, quia per eius Passionem et maiores et minores a peccato mundantur. *Sanguis autem vituli et hirci* infertur *in sancta per Pontificem,* quia per Sanguinem Passionis Christi patet nobis introitus in regnum coelorum; *comburuntur autem eorum corpora extra castra,* quia extra portam Christus passus est, ut Apostolus dicit Hebr. ult. Per hircum autem qui emittebatur, potest significari vel ipsa divinitas Christi, quae in solitudinem abiit homine Christo patiente, non quidem locum mutans, sed virtutem cohibens ; vel significatur concupiscentia mala, quam debemus a nobis abiicere, virtuosos autem motus Domino immolare ». Posset tamen congrue accipi et hic alter hircus emissarius ut typus Christi peccata omnium expiantis quod clare indicat coeremonia illa qua Pontifex « Posita utraque manu super caput eius confitetur omnes iniquitates filiorum Israel, et universa delicta ac peccata eorum, quae imprecans capiti eius, emittet illum per hominem paratum, in desertum. Cumque portaverit hircus omnes iniquitates eorum in terram solitariam et dimissus fuerit in deserto, revertetur Aaron in tabernaculum Testimonii etc ». Lev. XVI. 21 seqq. Ad quem ritum alludere videtur Isaias cum de futura Christi expiatoria morte loquens ait « Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit: et *posuit Dominus in eo* (Christo) *iniquitatem omnium nostrum* » Is. LIII. 6.

IV. Obiectionum quarumdam solutio

Plures difficultates quae a Rationalistis afferri solent contra sensum mystico-allegoricum merito praetermitti possunt utpote quae in falsis suppositionibus, et Rationalismi praeiudiciis unice fundantur, ut est ex: gr: illud quod aiunt persuasionem de mystico sensu fuisse praeiudicium ac superstitionem Iudaeorum, cui tamen Christus et Apostoli sese accommodarunt, ut eos facilius ad partes Evangelii pertraherent: ita Semlerus aliique fautores systematis accommodationis quod suo loco refutabimus. Tale etiam est alterum quod afferunt, typos allegoricos impossibiles esse, quia prophetiam involvunt, cuius possibilitatem non minus absurde quam impie negant. His itaque praetermissis, sequentes obiectiones expendemus quae aliquam difficultatis speciem praeseferunt.

Objic. 1° Ille sensus in Scripturis admittendus non est qui est alienus a communi hominum loquendi ratione. Scriptura enim more humano conscripta est. Atqui mysticus sensus, quo scilicet res non per verba sed per alias res significantur, in humano sermone nunquam occurrit. Ergo in Scripturis admittendus non est.

Resp. *Distinguo* maj. Non est admittendus sensus alienus a more loquendi hominum, quantum pertinet ad modum res significandi per sermonem seu per verba *Concedo,* ad exclusionem alterius modi qui priori non repugnat, sed eum supponit, in eoque fundatur *Nego.*

Ad minorem *distinguo,* sensus mysticus propheticus et allegoricus ab hominibus nunquam usurpatur *Concedo,* sensus mysticus universim acceptus *Nego* vel *Transeat.* Quando dicimus Scripturam more humano exaratam fuisse id certe intelligimus de sensu eius literali qui per verba iuxta communem eorum significationem accepta, idest iuxta usum loquendi illius gentis et illius aetatis unde sacer liber prodiit procul dubio adhibitus est. Secus enim homines Scripturam legentes eius sensum intelligere non potuissent. Verum hoc non excludit alium modum quo Spiritus Sanctus aliqua significare potuerit, in eorum signum acceptis non verbis sed rebus antea per verba designatis. Hoc enim salva lege usus loquendi a Deo fieri potuit, dummodo sufficienter manifestaverit hosce occultos sensus, quemadmodum revera manifestavit, prae-

sertim per hagiographos N. T.: quae quidem manifestatio et ipsa facta est per verba iuxta humanum loquendi usum adhibita. Caeterum minorem etiam propositionem distinguendam esse duximus, nam undequaque vera non est. Si sermo sit de sensu mystico prophetico, illum ab hominibus non usurpari verissimum est, non tamen praecise ob naturam humani sermonis, sed eo quod homines futura non cognoscunt quae possint per alias res designare. Si vero de aliis speciebus mystici sensus loquamur non repugnat etiam homines non inspiratos aut profanos scriptores illis aliquando uti: quod quidem alienum non est ab indole scriptorum Orientalium, quare in scriptis Arabum non raro occurrunt exempla sensuum moralium vel historicorum aut etiam anagogicorum per aliquas actiones vel res adumbratorum. Apud ipsos scriptores romanos exemplum occurrit apud Titum Livium Lib. I Cap. 54 in narratione de Tarquinio Superbo summa papaverum capita virga praecidente, quo significare voluit quomodo filio suo cum Gabiorum principibus agendum esset. Quod autem non inveniantur apud istos auctores typi prophetici et allegorici, hoc ex Dei dispensatione factum est qui res et personas ad aliquid aliud significandum destinatas non ex aliis gentibus sed ex populo iudaico assumpsit ob altissimum consilium suae sapientiae quo voluit hunc populum eiusque historiam ac legem esse praeparationem ac veluti viam ad legem novam novamque ecclesiam a Christo constituendam. Si vero in raris quibusdam casibus aliqua etiam res vel persona apud Gentiles extitit, cui Deus mysticam huiusmodi significationem concessit, ut ex. gr. Melchisedech rex Salem, aut Cyrus rex Persarum, haec tamen Gentilium scriptoribus non innotuit, qui propterea non potuerunt typicam istam significationem in suis scriptis intendere; nec dici potest eam fuisse a Deo intentam in eorum scriptis, quia minime Deo inspirante scripserunt, nec Deus dici potest eorum librorum auctor.

Obiic. 2°. Si mysticus sensus fuisset revera ab auctore Scripturae intentus, hic saltem debuisset illum lectoribus patefacere. Atqui hoc in Scriptura non fit: ita ex. gr. cum Moyses narrat historiam Abrahami eiusque uxorum ac filiorum, nullum prorsus indicium praebet de mystica significatione duplicis Testamenti quae illi historiae subesse dicitur. Ergo etc.

Resp. *ad maiorem distinguo:* sensum mysticum petefacere debuisset ipse auctor secundarius, seu hagiographus *Nego,* Auctor primarius, seu Spiritus Sanctus, *subdistinguo.* Debuisset patefacere in eodem loco ubi habetur typus, et pro lectoribus immediatis eiusdem loci ac libri *Nego,* suo tempore et loco *Concedo:* et contradistincta minore negamus consequens.

Sane nulla prorsus necessitas erat ut singuli hagiographi intelligerent omnes mysticas significationes rerum de quibus scribebant; sed satis erat ut Spiritus Sanctus sensus illos destinaret et intenderet: cum autem Spiritus Sanctus sit vere auctor Scripturae, sensus isti sunt vere Scripturae sensus, seu mens auctoris, etiamsi ab hagiographis intellecti non fuerint. Nec etiam necessarium fuit ut Spiritus Sanctus vel hagiographus indicarent statim hosce mysticos sensus ita ut primi et immediati Sacrorum Librorum lectores eos intelligerent, sed poterat haec intelligentia reservari futuris lectoribus a sequentibus hagiographis puta N. T. opportune ea de re monendis. Haec autem non solum fieri potuisse, sed et facta esse, multa sunt quae suadent. Imprimis enim ipsi Hagiographi aliquando fatentur sibi negatam fuisse intelligentiam propheticam eorum quae scribebant. Ita Ieremias fatetur Cap. XXIII. 20 et XXX. 24 ubi bis repetitur, « in novissimis diebus intelligetis consilium eius (Domini), in novissimo dierum intelligetis ea. » Item Exechiel XXXIII. 33 « Et cum venerit quod praedictum est (Ecce enim venit) tunc scient quod Prophetes fuerit inter eos. » Clarius Daniel id insinuat variis in locis: ex. gr. in Cap. VII. post visionem quatuor bestiarum, et explicationem sibi datam de quatuor regnis non satis ea intellexisse propheta indicat vers. 28 inquiens « Hucusque finis verbi. Ego Daniel multum cogitationibus meis conturbabar, et facies mea mutata est in me: verbum autem in corde meo conservavi » et in Cap. XII. 8 et 9 post auditam praedictionem de futuris Iudaeorum sortibus subiungit: « Et ego audivi, et non intellexi. Et dixi: Domine mi quid erit post haec? et ait: Vade Daniel, quia *clausi sunt signatique sermones usque ad praefinitum tempus.* » Scilicet eorum sensus et intelligentia nec prophetae nec Iudaeis tunc viventibus concessa fuit, sed ad aliud tempus reservata. Caeterum iis potissimum erat reservandus mysticorum sensuum intellectus, pro quibus praecipue ipsi typi prophetici instituti

fuerant, nobis scilicet, qui spectatores veritatis facti ex umbris et figuris quae praecesserunt argumentum sumimus pro divina Christianae Religionis origine tum ad nostram fidem confirmandam, tum ad eius adversarios facilius convincendos, vel confundendos. Et ad hoc alludere videtur S. Petrus ubi de Prophetis antiquae Legis scribit 1 Pet. I, 11 et 12 « Scrutantes in quod vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi: praenuncians eas quae in Christo sunt passiones, et posteriores glorias, quibus revelatum est quia non *sibimetipsis, vobis autem* ministrabant ea quae nunc nunciata sunt vobis per eos qui evangelizaverunt vobis, Spiritu Sancto misso de caelo, in quem desiderant angeli prospicere: » et ipse Daniel in citato Cap. XII semel atque iterum repetit sermones propheticos, et librum clausos et signatos fore *usque ad tempus statutum, usque ad praefinitum tempus,* quo nomine intelligere datur novissimum tempus, seu Messiae, ut satis clare indicatur etiam in fine capitis illis verbis « Beatus qui expectat, et pervenit usque ad dies mille trecentos triginta quinque: tu autem vade ad praefinitum: et requiesces et stabis in sorte tua in finem dierum. »

Obiic. 3° Admissa doctrina de typis sequeretur homines etiam impios, et pravos eorum actus veluti typos hominum sanctissimorum et mysteriorum Christi Domini haberi posse quemadmodum revera Catholici faciunt. Atqui hoc valde inconveniens est. Ergo etc.

Resp. *Distinguo mai.* Sequeretur homines malos et pravos actus typos Christi fuisse, formaliter acceptos quatenus mali sunt *nego:* materialiter et in sensu diviso malitiae vel pravitatis *concedo* vel *transeat.* Et contradistincta minore neg. cons.

Certe inconveniens esset hominem aliquem malum vel eius malum actum sub eo respectu quo malus est Christum vel aliquid aliud Sanctum significasse. Nullum autem inconveniens in eo apparet quod aliquis actus bonus ac honestus hominis alioquin mali significationem illam mysticam adnexam habuerit. Porro hoc tantum fit in paucis illis casibus ad quos adversarii alludunt. Sic ex. gr. Samson typus Christi fuit non in iis actibus qui reprehensione digni videntur, sed in eo quod Nazaraeus esset, et simul fortissimus populi liberator ab oppressione Philistinorum. Ita etiam Ionas typus Christi mortui et resurgentis fuit non quatenus inobediens erat et a facie Domini fugiebat, sed quatenus divina di-

spositione fuit tribus diebus et tribus noctibus in ventre ceti, et inde vivus et illaesus exivit. Ita denique Cyrus typus Christi redemptoris extitit, non quatenus infidelis, sed quatenus liberator Iudaeorum. Diximus autem *transeat,* quia huiusmodi typi admodum pauci sunt, et etiamsi concederetur adversariis eos non existere remanerent alii multo plures de quibus obiectio non valet, cum res ac personae honestae ac sanctae fuerint.

Obiic. 4°. Admissa doctrina de existentia sensus mystici in SS. Scripturis latissimus aperitur campus interpretum licentiae ipsis Scripturis quoslibet sensus suo cuiusque ingenio ac imaginatione conflctos tribuendi. Quod quidem confirmatur ex facto veterum interpretum, quorum plurimi omnia fere Scripturae loca mystice exposuerunt, ac sensus a mente auctorum alienissimos passim invexerunt.

Resp. *dist. mai.* nisi adsint certae ac definitae regulae quibus mysticus sensus vere ab auctore intentus discerni possit *Concedo.* Si autem adsint *Nego.* Quaenam sint istae regulae videbimus in sequenti Thesi. Interim vero dicimus positis hisce regulis seu criteriis inconveniens illud ab adversariis adductum facile removeri: non enim cuique licebit quocumque in loco sensum mysticum supponere, sed in iis tantum, in quibus eius existentia ope earumdem regularum demonstrari possit, in caeteris autem non licebit, cum de re facti agatur, quae, nisi probetur, non est admittenda. Ad id vero quod addebant de veteribus interpretibus ac doctoribus, respondemus eos plerumque non tradidisse suas mysticas interpretationes, tamquam veros Scripturae sensus, sed, supposito vero sensu, alios praeterea addere solitos fuisse per quamdam accommodationem et analogiam cum rebus in Scriptura memoratis iuxta consuetudinem tunc temporis receptam et ad scopum non quidem probandi dogmata, vel haereticos refellendi, sed aedificandi fideles et pietatem in iis fovendi. Hinc huiusmodi expositiones non in dogmaticis vel polemicis Patrum et Theologorum libris occurrunt, sed potius in homiliis et in moralibus vel asceticis tractatibus, ut alias animadvertimus. Coeterum si qui ex veteribus modum in hac re non tenuerunt, recolendum est abusum alicuius doctrinae ex parte quorumdam nullo jure adversus ipsius doctrinae veritatem retorqueri posse.

Obiic. 5° Patrum auctoritas non potest adduci pro sententia mystici sensus, quinimo contra eam adduci potest. Sane si multi Patres pro mystica interpretatione steterunt, alii tamen vehementer illi adversati sunt. Huc pertinent illi et numero et auctoritate insignes qui allegoricam interpretationis methodum in Origene carpebant, de quibus ipse Origenes conqueritur Hom. XIII in Gen. § 3. Alios quoque fuisse mystici sensus adversarios discimus ex testimonio Hilarii (in ps. 120 § 13, 124 § 1, 125 § 1 et 2, 131 § 10.) Hieronymi (Com. in Gal. IV. 16-18) et Augustini (De Civ. Dei Lib. 17 Cap. III). Denique aperta testimonia contra mysticum sensum praebent Auctor Recognitionum Lib. X Cap. 42 ubi docet non oportere verbis legis alios sensus occultos affingi praeter id quod significant, et reprobandam esse allegoricam expositionem, quae in Mythologiis et fabulis poetarum interpretandis adhiberi solebat (lb. § 30 seqq.). Item Methodius Antiochenus in Conv. Decem Virginum orat. III. laudat Theophilum eo nomine quod prudenter verba Scripturae intelligeret prout sonant. Et S. Basilius Hom. IX in Examer. § 1. damnat eos qui *interpretationis praetextu commenta sua inducunt* in verba Scripturae, et concludit « Itaque prout scripta sunt intelligantur » denique Clemens Alex. mysticam Scripturarum expositionem symbolicis Aegyptiorum aenigmatibus comparat in lib. V Stromat. § 4.

Resp. breviter testimonia adducta nostrae Thesi non repugnare-vel enim ad rem non pertinent, vel abusum tantum mysticae interpretationis damnant non autem ipsum mysticum sensum absolute excludunt. Sane Patres illi qui Origenem insectantur ob eius interpretandi methodum non reprehendunt in illo quod typos et figuras in Scripturis viderit ubi revera sunt, sed quod nimius in hoc fuerit et saepe praetermisso historico sensu absque sufficienti ratione allegoricum induxerit, ut alio loco vidimus. Tantum autem abest quominus omnem mysticum sensum negaverint, ut ipsi pro data opportunitate plura in veteri Lege mystice et allegorice intellexerint: ita Hieronymus, Eustatius, Theophilus aliique Origenis censores. Quod autem referunt Hilarius, Hieronymus et Augustinus a nonnullis sua aetate negatum fuisse mysticum sensum, id non de orthodoxis scriptoribus sed de haereticis intelligendum est, ac proinde non probat mysticum sensum respuendum esse; praeter-

quamquod paucorum dissensio traditionis Ecclesiasticae robur evertere nequit. Superest aliquid dicendum de testimoniis postremo loco adductis. Auctor Recognitionum in obiecto loco nihil aliud contendit nisi sensus ad arbitrium confictos aut ex sola verosimilitudine excogitatos non esse in Scripturas inducendos. Sane ibi narratur Clementem coram Petro mentionem fecisse de allegoricis sensibus qui fabulis poetarum affingebantur, ad quae Petrus ita reponit: « Multas ut video ingeniosi homines ex his quae legunt verisimilitudines capiunt, et ideo diligenter observandum est ut lex Dei, cum legitur, non secundum proprii ingenii intelligentiam legatur. Sunt enim multa verba in Scripturis divinis, quae possunt trahi ad suum sensum, quem sibi unusquisque sponte praesumpsit; quod fieri non oportet. Non enim sensum quem extrinsecus attuleris, alienum et extraneum debes quaerere, quem ex Scripturarum auctoritate confirmes, sed ex ipsis Scripturis sensum capere veritatis. » Accedit Auctorem Recognitionum aliquas mysticas expositiones aliquando adducere ut ex. gr. lib. 1°. § 46. Ad Methodium quod attinet ex eius verbis evidenter apparet eum damnare tantum eorum excessum qui mysticos sensus ubique in Scripturis invenisse sibi videbantur, et sensum literalem negligebant: « Periculo enim non vacat, inquit, *spernere semper ac transilire velle* obviam ac primo aspectu animum pulsantem sententiam Scripturae ». Idem dicendum est de testimonio Basilii, qui non mysticam expositionem Scripturae damnat, sed arbitrariam et arrogantem substitutionem conceptuum propriae mentis auctoritati divinae: « Quidam, inquit, captionibus quibusdam atque tropologiis *ex suo ipsorum ingenio* aliquid Scripturis adiicere auctoritatis conati sunt; verum, id ei competit, qui se ipsum Spiritus Sancti oraculis sapientiorem constituit, quique interpretationis praetextu commenta sua inducit. Itaque prout scripta sunt intelligantur. » Denique Clemens Alex. in obiecto loco non comparat mysticum Scripturae sensum cum mythologicis paganorum allegoriis sub omni respectu, sed tantummodo in eo quod commune habent ut sub symbolico velamine utrobique res occultae intelligantur; idque eo fine tradit ut paganos Philosophos ad Christianam doctrinam alliceret. Verum in §. VIII. diserte affirmat propheticos typos in sola Scriptura Sacra inveniri: « Igitur, inquit, et barbarae Philosophiae (S. Scripturae),

de qua nobis propositum est dicere, occulte et *per symbola prophetare proprium est* ». Coeterum tam Methodius quam Clemens Alex. in aliis locis veros typos agnoverunt in libris V. T., et Methodius quidem in ipsa oratione III. nobis obiecta allegoriam agnoscit in persona Adami eiusque somno et coniugio cum Heva; Clemens autem typos etiam propheticos admittit in Lege et Prophetis in hoc ipso libro V. Stromat. § 6 et 8, ubi plures ex iis illustrat, et concludit typos et figuras usque ad Ioannem perdurasse, qui « eam quae a longinquo in apertum veniebat, indicando praesentiam, revera solvit finem eloquiorum de dispensatione carnis, *detecta notione symbolorum.* »

Quaestio 2ª De *extensione* sensus mystici in V. T.

In hac quaestione duae contrariae opiniones, *figuristarum* nempe et *antifiguristarum* nobis refellendae sunt, quarum alia nimis extendit, alia nimis coarctat mysticum Scripturarum sensum, ut superius in historia huius controversiae exposuimus. Itaque media via incedentes sequentem propositionem demonstrandam assumimus.

THESIS IV.

Sensus mysticus librorum V. T. nec ad omnia indiscriminatim loca extendendus est, neque ex alia parte ad ea tantum coarctandus, quae ab hagiographis N. T. mystice explicata fuerunt, sed in omnibus iis et solis locis admittendus, in quibus sufficienter innotescit intentio Spiritus Sancti quasdam res vel personas assumentis ac destinantis ad aliquid aliud significandum.

Probatur Pars I contra Figuristas.

Arg. 1ᵐ ex eo desumitur quod praefata opinio *gratuita* sit. Neque enim ex Scripturis neque ex traditione Ecclesiae, neque ex rei natura quidquam afferri potest pro exaggerata eorum sententia qui sensum mysticum ubique in sacris libris existere arbitrantur. Scimus figuristas inniti illis generalibus formulis quae apud S. Paulum occurrunt 1. Cor. X. 11. Hebr. VIII. 5. Verum evidens est illas formulas generales esse non absolute, sed relative, et in quodam genere tantum nempe vel rituum qui circa tabernaculum fiebant (Hebr. VIII), vel factorum

quae in deserto acciderunt, de quibus tantum loquutus fuerat Paulus in principio illius capitis X epist. 1ae ad Corinthios: hinc non dicit absolute: *omnia* in figura contingebant illis, sed: *haec omnia,* scilicet quae antea commemoraverat. Afferunt etiam verba Christi Domini Luc. XXIV. 44: « Quoniam necesse est impleri *omnia,* quae scripta sunt *in lege Moysi, et Prophetis et Psalmis* de me» unde concludit Duguet in *Prooemio* citati operis de regulis intelligendi Scripturam, Christum affirmare omnia quae in sacris Libris scripta sunt ad ipsum spectare et eum repraesentare. Sed undenam haec conclusio? Non enim dixit Christus *omnia* de eo scripta esse, sed *omnia quae* de eo scripta sunt adimpleri oportere, quod valde diversum est. Idem dicendum est de alio testimonio quod ibidem adducitur ex v. 27 eiusdem capitis ubi dicitur Christum duobus discipulis exposuisse *in omnibus Scripturis quae de ipso erant.* Non enim indicatur quaenam et quot fuerint haec loca a Christo explicata, et utrum mystica fuerint, an vero literalia, ut de plerisque credendum est. Et haec quidem de argumentis ex Scriptura desumptis. Ex traditione vero pauca tantum testimonia adversarii afferre possunt illorum qui in allegoricas expositiones nimis proclives fuerunt, universa vero traditio tantum abest quominus iis faveat, ut contrarium prorsus ex ea demonstretur, ut mox videbimus. Denique ex rei natura confirmari non potest opinio, de qua loquimur; licet enim multa occurrant in Sacris Libris quae evidentem et certam praeseferunt similitudinem cum aliis rebus praesertim futuris, multo tamen plura reperiuntur loca in quibus nihil huiusmodi observatur, et quibus mystica significatio nonnisi arbitrario ac per vim obtrudi posset.

Arg. 2m ex *traditione* et sensu Ecclesiae.

Qua in re distinguenda est opinio paucorum a vero sensu traditionali Ecclesiae. Non negamus aliquos fuisse inter Ecclesiae Doctores, qui adversariorum opinionem sive verbis sive sua agendi ratione probaverint: verum maior ac sanior Patrum et Doctorum pars ab huiusmodi excessu alieni prorsus fuerunt, nec omiserunt pro data occasione illum reprehendere, praesertim in Origene eiusque asseclis. Testimonia eorum qui Origenis methodum allegoricam reprobarunt alias a nobis recitata sunt. Hic sufficiat pauca

addere in quibus Patres diserte negant mysticum sensum ubique inveniri in V. T. Ita Tertullianus in libro de resurrectione carnis Cap. 20 affirmat: « Non omnia esse imagines, sed et veritates, non omnia umbras, sed et corpora » unde postea concludit: « Plures voces prophetarum nudae et simplices, et ab omni allegoriae nubilo purae, defendi possunt; ut cum exitus gentium et urbium resonant, Tyri et Aegypti, et Babylonis et Idumaeae et Carthaginiensium navium; ut cum ipsius Israelis plagas aut venias, captivitates, restitutiones, ultimaeque dispersionis exitum perorant. Quis haec interpretabitur magis quam recognoscet? Res in literis tenentur ut literae in rebus legantur. » S. Epiphanius in haer. XXXIII. § 9 de libris Moysis loquens scribit: « Moyses.... ubique decernere solet, partim quae temporibus congruunt, *partim quae certis rebus adumbrandis serviunt,* partim quibus futura bona declarantur, quae in Evangelio demum adventu suo Christus Iesus Dominus Noster implevit » ubi umbras seu typos ad *partem* tantum rerum a Moyse descriptarum restringit. S. Methodii, et S. Basilii testimonia superius adduximus in responsione ad quintam obiectionem. S. Hieronymus quem figuristae in suam sententiam trahere vellent ita scribit in Com. in Os. XI: « Qui ex parte typi fuerunt domini Salvatoris, *non omnia quae fecisse narrantur in typo eius fecisse credendi sunt.* » Non minus expressa est sententia S. Augustini qui de Civ. Dei Lib. XVI. Cap. 2: » Non sane omnia, inquit quae gesta narrantur, aliquid etiam significare putanda sunt; sed propter illa, quae aliquid significant, etiam ea quae nihil significant adtexuntur. » Quod etiam in aliis locis repetit et imprimis in alio testimonio eiusdem operis de Civ. Dei Lib. XVII Cap. 3. ubi scribit: « Mihi quidem sicut multum videntur errare qui nullas res gestas in eo genere literarum (S. Scripturis) aliquid aliud praeter id quod eo modo gesta sunt significare arbitrantur, ita *multum audere qui prorsus omnia significationibus allegoricis involuta esse* contendunt. » Quid quod ipse Origenes quamvis ultra modum allegoriis delectatus, quosdam tamen limites eis adsignat in variis locis, ac imprimis in Hom. XI. in Num. § 2 inquiens: « Igitur ex his, quae protulimus, paucis, si qui studiosi sunt in Scripturis divinis perfacile colligere poterunt etiam ceterarum distinctiones. Sapiens enim si audiat, inquit (Prov. I, 5), verbum, non solum laudabit, sed et adiiciet ad il-

lud. Quid adiiciet? Ut discutiat, et discernat in singulis quibusque capitulis Legis, ubi fugienda sit Legis litera (intellige *proprium* verborum sensum), ubi amplectenda, ubi etiam *narratio historiae cum mystica expositione conveniat* » ergo non semper haec simul conveniunt.

Accedit S. Gregorius M. qui de libro Iob scribit: « Sic vitae suae historiam texens (Iob), ut ei *perrarum aliquid,* quod allegorice intelligi possit, interserat, quatenus et ex magna parte *historica* sint quae memorat, et tamen *aliquando per haec eadem ad spiritalem intelligentiam* consurgat » Moral. Lib. XXI. c. 1.

Non alia fuit Scholasticorum Doctorum sententia, qui licet varios sensus literales et spirituales in Sacris Scripturis distinguerent non tamen existimarunt eos simul in omnibus Scripturae locis inveniri. « Quatuor isti sensus, ait S. Thomas, non attribuuntur Sacrae Scripturae, ut in *qualibet eius parte* sit in istis quatuor sensibus exponenda, sed quandoque istis quatuor, quandoque tribus, quandoque duobus, *quandoque uno tantum.* » Quodlib. VII. art. XV. ad 5.

Afferuntur a figuristis quaedam Patrum testimonia, imprimis Augustini et Hieronymi, quae eorum sententiae favere videntur, sed inspecto contextu locorum, et scopo sermonis minime eis patrocinantur. Augustini verba haec sunt in lib. III. de Doctr. Christ. c. 22: « Omnia vel poene omnia, quae in V. T. libris gesta continentur, non solum proprie, sed etiam figurate (idest mystice) accipienda sunt. » Verum haec non adeo stricte accipienda esse docent alia eiusdem S. Doctoris loca superius adducta ubi debitos limites adsignat mystico sensui; quare hic *omnia* vel *poene omnia* accipiendum est latiori sensu, seu, ut aiunt, de generibus singulorum, non de singulis generum, quatenus ex omni genere factorum, et ex omnibus periodis historiae V. T. et ex omnibus classibus hominum aut rerum quae ibidem commemorantur aliquot occurrant quibus sensus mysticus subesse dicendus est. Hieronymi verba leguntur praecipue in epist. 129 ad Dardanum § 6 ubi ait: « Perspicue demonstratur, *omnia illius populi* in umbra, et typo et imagine praecessisse, » et in Prologo Comm. in Isaiam ubi affirmat: « Post historiae veritatem *spiritualiter accipienda sunt omnia.* » Verum impossibile est Hieronymum id sibi velle quod

adversarii contendunt, cum in aliis locis tam diserte affirmet, et contendat *non omnia* facta quae acciderunt in V. T. typica fuisse, ut supra vidimus. Itaque obiecta verba vel hyperbolice accipienda sunt, vel eo sensu quo diximus intelligendum esse simile Augustini dictum.

Arg. 3 desumitur ab inconvenientibus.

1° Opinio de qua loquimur Scripturae expositionem ineptam reddit, et poene ridendam. Si enim interpreti semel persuasum fuerit sub omnibus vel plerisque Scripturae locis latere sensum aliquem mysticum, cum reipsa in magna locorum parte nullum huiusmodi sensus vestigium occurrat, ingenium suum torquebit, similitudines a longe petitas captabit, imaginationis vires contendet ut aliquid huiusmodi proferat, atque ita demum interpretationes in medium adducet violentas ac improbabiles. Huius rei exempla abunde suppeditant commentarii eorum qui in praefata sententia fuerunt.

2° Alterum inconveniens quod ex priore dimanat hoc est, quod huiusmodi Scripturas interpretandi modus causae fidei noceat quamplurimum. Siquidem haeretici atque increduli homines cum videant a nostris theologis ita inepte aliquando exponi Scripturas ansam sumunt Catholicam interpretationem contemnendi, ipsamque fidem tamquam arbitrariis hisce humani ingenii figmentis innixam irridendi. Exemplo sit alias citatus Sal. Glassius qui in sua Philologia sacra praesertim Lib. II. part. I. Tract. II. Pontificiorum (Catholicorum) interpretationes etiam dogmaticas in genere carpit atque irridet, adductis in medium exemplis quorum nonnulla revera laudanda non sunt. Debuisset ille quidem animadvertere aliud esse vitium paucorum, aliud vero communem et probatam apud omnes Catholicos interpretationis methodum; oportebat etiam scire Ecclesiam non huiusmodi privatorum hominum opinionibus, sed constanti traditioni et fidei analogiae innixam sub Spiritus Sancti regimine et adsistentia Scripturas exponere, et ex iis sua dogmata confirmare. Haec, inquam, animadvertenda fuissent, sed tamen negari non potest per huiusmodi excessum mysticae expositionis his aliisque adversariorum dicteriis occasionem atque ansam praeberi.

Probatur Pars II. adversus Anti-figuristas.

Horum sententia ut supra diximus, est haec: sensum mysticum

in iis tantum partibus V. T. admittendum esse in quibus Hagiographi N. T. eum admittendum esse docuerunt, extra autem haec loca sensum mysticum quaerere periculosum esse et temerarium. Huic tamen sententiae subscribere nullatenus possumus; eamque reiiciendam putamus ob sequentes rationes.

Arg. 1° Ad praefatam Leonardi sententiam suadendam oporteret demonstrare Hagiographos N. T. voluisse omnia omnino loca mystica quae in V. T. occurrunt in suis scriptis exponere, et totum, ut ita dicam thesaurum veterum figurarum exhaurire, ita ut quidquid ab eis mystice explicatum non est eo ipso certum sit ad mysticum sensum non pertinere. Sed nunquam demonstrabunt adversarii hoc consilium Hagiographos N. T. sibi in scribendo proposuisse. Quinimo contrarium apparet tum ex indole et scopo ipsorum librorum N. T. tum ex ipsorum hagiographorum confessione. Interpretatio enim Scripturarum non fuit primarius scopus Auctorum N. T. sed dumtaxat aliqua Scripturarum loca pro data occasione exposuerunt ad illustranda et confirmanda ea de quibus singuli scribebant. Ipsi autem Hagiographi non obscure hoc insinuant cum ex una parte generatim affirmant legem Veterem fuisse umbram futurorum, ex alia vero parte cum in specie loca Scripturarum interpretantur, paucas tamen res, et paucas sententias mystico sensu exponunt: hoc ipso ostendentes multo plura mystica et allegorica in Sacris Libris V. T. latere, quae ipsi expresse declarare noluerunt. Nec dicant adversarii cum Leonardo (*Réfutation des règles* etc. pag. 22 seq. 46, 66, 324 etc.) saltem temerarium et periculosum esse typos quaerere, ubi Hagiographi illos non designarunt. Id enim verum esset si unicum medium ad discernendos typos in Scripturis latentes esset Hagiographorum testimonium: sed hoc admitti non potest, ut patet ex dictis in Thesi III. Nulla igitur temeritatis nota ei affingenda est qui praeter typos et figuras ab Agiographis N. T. designatas, alias quoque in Sacris Literis admittat, et exponat, dummodo sobrie hoc faciat, et certa aliqua vel probabili ratione ductus.

Arg. 2. desumi potest ex sensu, et praxi Ecclesiae, et Patrum. Si enim non licet quaerere mysticos sensus extra ea loca quae in N.T.Libris explicata inveniuntur id certe Ecclesia et Patres non ignorassent. Atqui ipsi nunquam se putarunt hac lege adstrictos. Nam Ecclesia

in sacra liturgia, et Patres in suis scriptis, etiam dogmaticis, saepe etiam extra loca superius nominata mysticos sensus admittunt, et admittendos esse docent.

Ab extremis igitur cavendum: et mystica scripturarum interpretatio nec omnino limitibus carere, nec intra limites nimis angustos contineri censenda est.

Sed dicet fortasse quispiam haec nimis vaga et indeterminata esse; nam huc usque nihil egimus nisi limites a nonnullis perperam assignatos mystico Scripturarum sensui excludere, nondum vero diximus quinam veri limites sint, seu quousque revera extendatur mysticus sensus.

Pars III. De criteriis ad mysticos Scripturae sensus inveniendos et demonstrandos. Licet haec satis innotescant ex dictis in praecedente Thesi, praestabit tamen hic breviter de iis disserere, praesertim cum saepius citatus Bauer multis suadere conetur nullum criterium assignari posse quo verus mysticus Scripturae sensus a figmentis imaginationis discernatur et ex hoc concludat, omnem mysticam interpretationem utpote incertam et solido fundamento destitutam repudiandam esse.

Generale principium fundamenti loco habendum hoc est: *Sensum mysticum in iis omnibus et solis locis V. T. admittendum esse ubi sufficienter constat de intentione Spiritus S. quasdam res vel personas destinantis ad alias res vel personas significandas.*

Huius principii veritas ex eo patet quod mystica seu typica quarundam rerum significatio ex intentione Spiritus Sancti qui est principalis Scripturae Auctor unice pendeat, quae proinde si innotescat erit sensus mysticus admittendus, secus erit relinquendus utpote fundamento carens.

Quo posito principio ulterius animadvertimus intentionem illam divini Scripturarum auctoris variis modis nobis innotescere posse, unde totidem speciales regulae deduci possunt ad sensum mysticum detegendum et ostendendum. Tres autem modi distingui possunt quibus intentio Spiritus S. declaratur scilicet vel per manifestationem ab eo factam in ipsis Sacris Scripturis, vel per Ecclesiae traditionem et sensum quae manifestationem aliquando factam ab ipso Spiritu conservat, vel denique per ipsam rerum attentam considerationem et comparationem. Dicamus pauca de singulis.

Regula 1ª. *Sensus mysticus in iis omnibus locis admittendus est, in quibus aliquis ex Agiographis vel explicite vel implicite eum adesse significavit.*

Veritas regulae evidens est, cum hic habeamus declarationem authenticam seu ipsius auctoris de cuius sensu seu mente quaeritur. Recolendum tamen est, quod alias animadvertimus (Thes. III. ad obi. 2.) non esse typorum manifestationem quaerendam in ipsis locis, vel apud ipsos Agiographos qui typos descripserunt, sed plerumque apud alios, et maxime apud Auctores N. T. Recolenda etiam sunt quae in eadem Thesi exposuimus de variis modis quibus Agiographi *implicite* designant mysticum quorumdam locorum sensum, unde possent totidem magis speciales et practicae regulae depromi sub hac generaliori regula comprehensae. Sed sufficiat haec in mentem revocasse ne dicta inutiliter repetamus.

Regula 2ª. *Ibi est admittendus sensus mysticus ubi constans et certa Ecclesiae traditio mysticum sensum agnoscit.*

Scilicet, iuxta principia Catholica, Ecclesiae vivum magisterium et traditio est alter veluti canalis, per quem divina revelatio conservata, et transmissa est. Scimus autem Christum et Apostolos solitos fuisse Scripturarum sensum explicare, nec omnes huiusmodi interpretationes in libris N. T. consignatas fuisse. Si igitur Ecclesiae traditio constans appareat in alicuius loci mystica expositione proponenda, etiamsi haec ab Agiographis N. T. indicata non fuerit, habenda erit tamquam vera et authentica illius loci expositio.

Duae praecedentes regulae fundantur in positiva declaratione ab ipso Auctore facta, ideoque nullam difficultatem involvunt. Verum diximus Spiritus S. mentem innotescere etiam posse ex ipsarum rerum consideratione. Quamvis hoc verum sit, maiori tamen cautela opus est in huiusmodi tertii criterii applicatione, nec eadem est semper certitudo vel firmitas conclusionis quae exinde deducitur. Praestabit igitur quaedam de hoc criterio magis specialiter animadvertere, et plures distinctas regulas tradere.

Regula 3ª. *Ibi admittendus est sensus mysticus ubi describuntur actiones quaedam a viro gravi et prudenti positae, quae nisi mysticam haberent significationem prorsus sensu vacuae, ineptae, aut ridiculae forent.*

Exemplo sint quas alias commemoravimus actiones Oseae,

Ieremiae, Ezechielis, aliorumque prophetarum: quibus addi potest ex N. T. factum Christi Domini maledicentis ficulneae Mat. XXI. Mr. XI, de quo dicemus in Thesi sequente.

Regula 4ª. *Si aliunde constet aliquam rerum vel personarum classem generatim typicam significationem gessisse, iure possumus specialem typum in aliquo determinato individuo eiusdem classis agnoscere, quoties certa et obvia appareat convenientia inter rem illam vel personam, et aliam determinatam rem vel personam N. T.*

Ita ex. gr. scimus ex Paulo Mosaicorum rituum apparatum universim sumptum fuisse umbram et exemplar futurorum, seu mysteriorum Novae Legis; si igitur inveniamus obviam convenientiam inter specialem quemdam ritum ex. g. sacrificium capri emissarii, et speciale aliquod N. L. mysterium, puta satisfactoriam Christi mortem, merito possumus affirmare hoc per illum typice repraesentatum fuisse.

Regula 5ª. *Item si aliunde certum sit aliquam rem, vel personam V. T. typum fuisse alterius rei vel personae in N. T. futurae, possumus specialem aliquam mysticam significationem persequi in determinata aliqua circumstantia illius rei, vel in quadam actione illius personae, si haec specialem aliquam cum futuris eventibus convenientiam praeseferat.*

Ita ex. gr. scimus agnum Paschalem figuram fuisse Christi, eiusque sacrificii. Hoc posito, nonne possumus speciali alicui circumstantiae illius ritus, puta quod agnus esset assandus, quod esset totus intra eamdem domum comedendus, quod adhibendae essent lactucae agrestes etc. specialem significationem tribuere, etiamsi Scriptura eam non declaraverit? Ita etiam scimus David regem fuisse figuram Redemptoris. Hoc quidem non de omnibus gestis aut eventibus Davidis intelligendum est: verum ubi obvia et clara occurrit convenientia cum Christi Domini gestis id merito facere possumus. Quis ex. gr. nos reprehendat si in David ab inimicis et ab ipso filio Absalome vexato, opprobriis affecto, ab omnibus derelicto agnoscamus typum Christi patientis? vel si in occisione gigantis Goliath videamus adumbratam Christi redemptoris victoriam super infernum hostem? Quis etiam nos redarguat si in historia regis Salomonis (3° Regum), quem aliunde scimus figuram Christi gessisse, adumbrata dixerimus specialia quaedam Christi mysteria, puta in

magnificentia et divitiis illius regis (3 Reg. IV, X) spirituales Christi regni divitias? Similia exempla in aliis rebus vel personis V. T. passim occurrunt. Quoniam tamen in usu harum duarum regularum, quas postremo loco posuimus, posset quis modum excedere, operae pretium erit aliqua monita subiicere quibus interpres practice dirigatur in mystica Scripturarum significatione ex hoc fonte dignoscenda, et exponenda. Et 1°) quidem in utraque regula consulto posuimus hanc conditionem, ut aliunde nota sit mystica significatio generica vel rei, vel rerum classis de qua agitur. Quod quidem multo prudentius est, quam si in sola rerum convenientia inniteremur. In nostra enim hypothesi cum ex una parte habeamus fundamentum generale in Scriptura vel Traditione, ex alia vero parte fundamentum speciale pro hac vel illa re, sive circumstantia, vel actione, in ipsa rerum consonantia, tutius procedere possumus ad illius mysticam expositionem.

2°) Applicatio haec mystici sensus in iis potius eventibus, vel rebus facienda est quae a speciali aliqua Dei ordinatione pendent; tunc enim cum casui tribui non possint certius habetur argumentum de Spiritus Sancti intentione rem illam destinantis ad aliquid aliud significandum. 3°) Mysticae huiusmodi expositiones non sunt nimis urgendae, et in subtilibus quibuscumque adiunctis persequendae, sed in praecipuis tantum et ubi praefata convenientia et consonantia clara est, et ultra se considerantibus offert. Ita, ut in exemplis superius adductis insistamus, possumus quidem in victoria a Davide de Goliath relata typum agnoscere Christi triumphum de diabolo agentis, ita ut David Christum ipsum repraesentet, Goliath et exercitus Philistinorum diabolum aliosque spirituales hostes animarum, modus etiam quo David sine gladio et hasta terribilem adversarium devicit rationem adumbret qua Christus Dominus in infirmitate nostrae carnis constitutus, et absque saeculari potentia et pompa principem huius mundi eiecit foras. Sed hic sistendum est, nec curiosius inquirendum quid ex. gr. significet altitudo sex cubitorum et palmi quae giganti tribuitur, quid eius hasta, clypeus, cassis aerea, aliaque descripta Reg. XVII. 4-7 quam figuram gereret armiger qui hominem praecedebat ib. v. 41 et alia similia: si quis vellet ad haec minuta urgere mysticam expositionem debitos limites excederet, et interpretationes traderet

solido fundamento destitutas. Et haec quidem satis sint de sensu mystico Librorum V. T. eiusque extensione ac limitibus.

Quaestio 3ª. De sensu mystico in libris N. T.

In hac quaestione, ut superius innuimus, dissentiunt ipsi Catholici et orthodoxi scriptores, quorum nonnulli negant sensum mysticum in libris N. T. existere (1), alii vero affirmant, licet fateantur rariorem esse quam in V. T. et haec est sententia communior, quae etiam S. Thomae suffragio gloriatur. Nobis tota quaestio videtur praecipue ex vocabulorum et notionum aequivocatione pendere. Scilicet si per sensum mysticum speciatim intelligatur sensus ille qui prophetiam continet de Christo eiusque Ecclesia, quem *allegoricum* vocari diximus, ultro fatemur hunc sensum in libris N. T. non inveniri, qui post Christi adventum et completum opus Redemptionis conscripti fuerunt. Neque aliud demonstrant argumenta quae P. Patritius aliique adducunt pro sententia negante ex eo quod Vetus Lex esset umbra, Nova autem ipsa veritas, quod in Christo omnes figurae impletae fuerint et alia huiusmodi, quae, uti patet, ad allegorias seu sensus prophetico-allegoricos excludendos dumtaxat pertinent. Verum allegoria non est unica species mystici sensus; remanent enim aliae figurae seu *morales*, seu *anagogicae* seu *commemorativae* aut etiam *simpliciter propheticae*, quas etiam in oeconomia N. T. ideoque in Libris N. T. qui hanc oeconomiam referunt contineri nobis certum omnino est, licet fateamur in hisce Libris non adeo frequenter hosce sensus occurrere ac in Scripturis V. T. ob diversum scilicet utriusque Instrumenti characterem et finem.

Ad hoc probandum constituimus sequentem propositionem

THESIS V.

Sensus mysticus saltem commemorativus, tropologicus et anagogicus etiam in Libris Novi Testamenti admittendus est.

Arg. I. Ab exemplis et testimoniis ex ipsis libris N. T. depromptis confici potest. Sane plura occurrunt in N. T. exempla rerum quae mysticam aliquam significationem continent. Ita imprimis

(1) Ita inter recentiores P. Patritius in saepius laudato opere *De interpretatione S. S. Lib.* 1. cap. XI. quaest. 3 et cap. XIV. q. 3.

nonnulla ex Sacramentis a Christo Domino instituta praeter necessariam et essentialem significationem gratiae quam producunt, et cuius signa sunt, aliquid aliud ulterius significant ipsis omnino extrinsecum, et diversum: idque omnino tenendum est ex ipsorum Agiographorum testimonio. Sane ritus baptismi (Mat. XXVIII. Io. III.) praeter internam animae mundationem quae eius effectus est, significat etiam Christi sepulturam, et resurrectionem, docente Paulo Rom. VI. 3, Col. II. 12, et Petro 1 Pet. III. 21: item Eucharistiae Sacramentum praeter spiritualem refectionem, significat etiam Christi passionem et mortem, dicente Christo: *hoc facite in meam commemorationem,* quod Apostolus clarius exponit 1 Cor. XI. 26 inquiens: « Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, *mortem Domini annuntiabitis donec veniat:* » iterum vero Eucharistia etiam unitatem Ecclesiae significat ut Paulus indicat in eadem Epistola c. X. v. 16 seq. quam alteram significationem SS. Ecclesiae Patres in eo potissimum reponunt, quod sicut panis et vinum in quibus Eucharistiae sacramentum conficitur sunt aliquid unum ex multis (nempe granis, et uvae acinis) conflatum *ita nos unum corpus multi sumus in Christo.* Matrimonium quoque iuxta Paulum Ephes. V. mystice adumbrat spirituale connubium Christi cum Ecclesia, et sub hoc respectu ab eo vocatur μιστηριον. Porro istae omnes significationes, si proprie loqui velimus, quid aliud sunt nisi totidem mystici sensus commemorativi, vel morales?

Accedunt nonnulla facta in Evangelio narrata quibus mystica significatio subesse omnino videtur. Ita superius memorata narratio de Christo maledicente ficulneae infructuosae, quae illico arefacta est (Mat. XXI. Mar. XI), haec, inquam, actio certe mysticam significationem habebat, et quidem propheticam de proxime futura synagogae abolitione et Iudaeorum reprobatione. Hoc enim imprimis insinuat ipsa actionis natura iuxta Regulam 3^{am} in superiori Thesi propositam; seposita enim hac mystica significatione, actio illa inexplicabilis esset, et Christi sapientiae ac benignitati repugnans: cur enim debuisset maledictione percuti arbor illa propter sterilitatem, quae vitiosa non erat, cum non esset tunc tempus ferendi fructus, ut expresse monet Evangelista (Mr. XI. 13)? Sed praeterea subsequens Christi agendi et loquendi ratio non obscure insinuat quid per illam actionem adumbrare voluisset: statim enim ingres-

sus in templum coepit sacerdotes et seniores redarguere, narrans eis parabolam de duobus filiis obediente, et inobediente, itemque aliam de patrefamilias, qui tempore fructuum misit ad eos recipiendos primum servos, postea ipsum filium, quos omnes agricolae percusserunt vel occiderunt, negatis fructibus; quare ipsi auditores a Christo interrogati, quid cum iis patrifamilias agendum esset, responderunt: malos male perdet, et vineam suam locabit aliis agricolis qui reddant ei fructum temporibus suis; quam sententiam Christus in eos retorquet dicens: *ideo dico vobis quia auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus eius* (Mat. XXI. 23–43). En quid portendebat maledictio et arefactio ficulneae absque fructibus repertae. Item navicula Simonis Petri in qua Christus turbas docebat (Luc. V. 2 seqq.) Ecclesiam figurabat in cuius medio Christus est continua praesentia et adsistentia, dum a Petro eiusque successoribus visibiliter gubernatur, ut passim explicant Patres, inter ceteros Ambrosius in Lib. IV. in Luc. cap. V. Item prodigiosa Apostolorum piscatio Io. XXI. et alia quaedam Christi miracula de quibus infra.

Accedit prophetia de excidio Hierosolymae Mat. XXIV. in qua Christus ita coniungit et commiscet ea quae ad hoc excidium pertinebant cum iis quae in fine mundi eventura sunt, ut non obscure indicet primum illum eventum alterius figuram et imaginem fuisse.

Arg. 2^{um} desumitur ex Patrum sensu ac testimonio. Patres enim, quemadmodum etiam scholastici Doctores et catholici interpretes, cum de mystico Scripturarum sensu loquuntur nunquam affirmant eum ad solum V. T. coarctandum esse, sed etiam in Libris N. T. illum existere arbitrati sunt, ut ipse P. Patritius fateri cogitur (in cit. op. §. 379).

Sane imprimis quaedam testimonia Patrum a nobis in Thesi III. recitata, ut Chrysostomi, Augustini, Gregorii M. ita generalia sunt ut ad universam Scripturam referantur, nec ullo iure possint ad solum V. T. coarctari. His addi potest disertum Augustini testimonium qui in Tract. 44 in Iohannem exponens historiam coeci a nativitate a Christo illuminati (Io. IX) ita scribit: « Ea quae fecit Dominus noster Iesus Christus stupenda ac miranda et opera et *verba* sunt: opera quia facta sunt, verba quia *signa sunt:* sergo quid significet hoc quod factum est cogitemus, genus humanum

num est iste coecus » etc. et prosequitur mystice explicans praecipuas circumstantias illius historiae. Eadem fere habet in Tract. 24 in Iohan. exponens prodigium multiplicationis panum narratum Io. VI: « Nec tamen sufficit, inquit, haec intueri in miraculis Christi. Interrogemus ipsa miracula quid nobis loquantur de Christo: habent enim si intelligantur linguam suam: nam quia ipse Christus Verbum Dei est, etiam factum Verbi verbum nobis est. » Eadem est sententia S. Gregorii M. qui in hom. 2. in Evang. loquens de miraculo quo Christus coeco visum restituit prope urbem Ierico (Luc. XVIII) ait: « Sed miracula Domini et Salvatoris nostri sic accipienda sunt, fratres charissimi, ut et in veritate credantur facta, et tamen per *significationem* nobis aliquid innuant. Opera quippe eius et per potentiam aliud ostendunt, et *per mysterium aliud loquuntur*. Ecce enim quis iuxta historiam coecus iste fuerit ignoramus: sed tamen *quid per mysterium significet novimus*. Coecum quippe est genus humanum etc. » Praeterea multi Ecclesiae Patres etiam quando in genere non affirmant in narrationibus N. T. sensum mysticum contineri, reipsa tamen quaedam facta mystice exponunt, et exponenda esse dicunt. Ita in maledictione ficulneae typum agnoscunt Augustinus, Ambrosius, Gregorius M.; in duplici Petri piscatione figuram duplicis status Ecclesiae militantis et triumphantis exponunt Ambrosius L. IV. in Lucam, Augustinus Brevic. Collat. cum Donatistis, aliique; Ven. Beda Comm. in Luc. XI. mulierem illam quae de turba Christo acclamavit Ecclesiam repraesentasse dicit: *cuius haec mulier typum gessit*. Idem dicas de aliis quibusdam Evangelicis narrationibus. Nec iuvat dicere, quemadmodum ait P. Patritius l. cit. §. 340, facta haec *tamquam typos haberi ab aliquo ex Patribus, ita ut peculiaris illius sententia ista fuerit, non vero Patribus communis:* nam imprimis hic non tam agimus de hoc vel illo speciali typo quam de generali quaestione utrum Libris etiam N. T. subsit aliquando mysticus sensus, quod quidem Patribus illis persuasum fuisse, ipsa eorum agendi et loquendi ratio omnino supponere videtur etiamsi de aliqua peculiari applicatione et exemplo dubitari possit; deinde vero nonnullae ex illis narrationibus non ab uno vel altero, sed a pluribus Patribus et passim expositae inveniuntur in sensu mystico. Ita ex. gr. mystica significatio naviculae Petri (Luc. V, Io. XXI.)

ita communis est, ut nihil magis obvium ac tritum apud sanctos Ecclesiae Patres et in sensu fidelium inveniri possit. Et haec quidem de sententia SS. Patrum. Accedit Doctorum scholasticorum, et veterum Theologorum opinio. Quoties enim de mystico Scripturarum sensu pertractant nullam faciunt distinctionem inter Vetus et Novum Testamentum, multo minus dicunt ab hoc sensum mysticum excludendum esse. Quinimo Angelicus Doctor generalem quamdam rationem exhibet, qua suadet sensum mysticum saltem anagogicum, et moralem in N. T. contineri, quia nempe Lex Nova figura est futurae gloriae coelestis et Christi gesta ac mysteria moralem sensum habent: « Sicut enim dicit Apostolus ad Hebraeos septimo, Lex Vetus figura est novae Legis; et ipsa nova Lex, ut dicit Dionysius in Eccles. Hier. est figura futurae gloriae. In nova etiam Lege ea quae in capite sunt gesta sunt signa eorum, quae agere debemus. Secundum quod ea quae sunt Veteris Legis significant ea, quae sunt Novae Legis est sensus allegoricus; secundum vero quod ea quae in Christo sunt facta, vel in his, quae Christum significant, sunt signa eorum quae agere debemus est sensus *moralis;* prout vero significant ea quae sunt in aeterna gloria, est sensus *anagogicus* » (Summae P. 1 q. I. a. 10 Corp.)

Quae obicii solent adversus nostram Thesim non sunt magni momenti, et plerumque in aequivocatione versantur.

Quod enim 1° obiicitur ex diverso charactere utriusque Testamenti, et ex eo quod Vetus Testamentum dicatur et sit *umbra*, Novum autem ipsa *veritas*, nihil aliud evincit nisi quod in N. T. non sint admittendae illae ipsae figurae, quae in V. T. existebant, sed potius earum implementum, seu earum antitypi: exinde vero minime sequitur Libros N. T. omnibus omnino figuris carere. Seu aliis verbis Nova Lex est veritas inquantum opponitur umbrae non absolute, sed *relative* ad umbras seu figuras quae in V. T. praecesserant.

2° Testimonia Patrum quae afferuntur a Patritio (Lib. 1 cap. XI. q. III. §. 338) eodem modo intelligenda sunt, scilicet de praefata relatione inter duo Testamenta, non autem absolute de exclusione cuiuslibet sensus mystici a N. T. ut ex simplici lectione illorum locorum manifestum fit. Et mirum est a Cl. auctore

produci testimonia Origenis, et Augustini, qui in aliis locis tam aperte docuerunt multos mysticos sensus in N. T. existere.

Ceterum laudati auctoris sententia, collatis simul iis quae habet in loc. cit. cum iis quae postea disserit c. XIV. quaest. III. ita temperata est, ut (magna saltem ex parte) potius verbis quam re a nostra sententia differat. Ait enim in Evangeliis typos quosdam admitti posse in iis quae acciderunt ante Christi mortem, vel saltem ante adventum Spiritus Sancti, sed hosce ad Vetus Testamentum pertinere, quia Novum nondum confirmatum erat (§. 335), ideoque quaestionem de sensu mystico Librorum N. T. non esse instituendam de Evangeliis, sed potius de reliquis libris (§ 377, 379). Nobis visum est quaestionem absque istis subtilitatibus proponere, ut vulgo proponi solet (non excluso ipso P. Patritio §. 377) *utrum* scilicet *sensus mysticus inveniatur in Libris seu Scripturis N. T.* a quibus non possunt separari Evangelia, quae praecipuam eorum partem constituunt. Quamvis, etiamsi quaestio ad reliquos tantum Libros coarctetur, non putamus demonstrari posse eos omni prorsus mystico sensu carere, ut ex dictis apparet.

CAPUT IV

DE SENSU ACCOMMODATO

Quae huc usque disputata sunt de sensibus Scripturae per se sufficerent: nam praeter sensum literalem, et mysticum nullus alius est aut cogitari potest in Sacris Libris. Verum solent aliquando interpretes et concionatores alios quosdam sensus Scripturae affingere, quos sacer auctor, aut Spiritus Sanctus neque verbis, neque rebus proprie significare voluit, et tamen sententiis S. Scripturis apte convenire possunt, et hac ratione, quamvis improprie, Scripturae sensus dici possunt. De hac ratione Scripturas exponendi pauca nunc dicenda sunt ad complendam generalem tractationem de variis sensibus S. Scripturae. Praedictus modus exponendi Sacras Literas vocari solet vel *accommodatio aesthetica,* et ipse sensus ita e scripturis derivatus dici solet *sensus accommodatus,* vel *accommodatitius,* quamvis alii alias quoque voces ad eum designandum

adhibuerint (1). Potest autem definiri ita: *Sensus ille qui verbis Scripturae ob aliquam analogiam affingitur praeter mentem auctoris.* Dicitur *praeter mentem auctoris* et per hoc distinguitur a vero sensu Scripturae sive litterali sive mystico qui est ipsa mens auctoris: addidimus autem *ob aliquam analogiam;* hoc enim in ipsa notione *accommodationis* includi videtur, si enim desit quaecumque analogia inter id quod affingitur et id cui affingitur non erit proprie accommodatio sed potius violenta contorsio, et depravatio, qua de causa etiam dicimus eam fieri *praeter* non *contra* mentem auctoris. Quoniam vero sensus accommodatus inducitur cum analogia et veluti ad imitationem sensus veri, posset non inepte *dividi in varias species* quemadmodum verus Scripturae sensus. Posset itaque imprimis distingui sensus accommodatus in *literalem* et *mysticum* prout vel Scripturae *verba* ad aliquid aliud trahuntur, vel *ipsae res* verbis significatae tamquam aliquid quodammodo adumbrantes et repraesentantes accipiuntur, praeter intentionem auctoris. Exemplum accommodationis literalis esset siquis cum S. Bernardo usurparet verba illa Gen. II. 18: *Non est bonum esse hominem solum,* ad indicandam convenientiam habendi praeter mediatorem Christum apud Patrem, etiam mediatricem Mariam apud Filium; exemplum autem accommodationis mysticae esset si quis Legem de separandis leprosis Levit. XIII. traheret ad necessitatem vitandi consortium haereticorum. Haec altera species accommodati sensus a multi- vocatur *allegorema.*

Rursum sensus accommodatus literalis distingui solet in *extensivum,* et *allusivum:* alter habetur cum quis verba Scripturae ac-

(1) Graeci enim, et qui Graecis vocibus delectantur hunc sensum vocant κατα κολλησιν: Theodorus Mopsuestenus eum non inepte appellavit κατ' ἐκβασιν, quamvis erraret in hoc quod crederet vaticinia V. T. ab agiographis N. T. fuisse κατ'εκβασιν allegata non autem in suo vero sensu quae sententia fuit damnata in Concilio V. ut postea videbimus. Apud Latinos nonnulli vocarunt hunc sensum *transumptivum,* uti Caietanus, quem sequitur inter recentiores Unterkircher. Apud veteres nomine sensus *spiritalis* veniebat etiam aliquando sensus accommodatus, quemadmodum etiam sub nomine *allegoriae,* vel explicationis *allegoricae,* quae plerumque nihil aliud erat nisi accommodatio verborum vel factorum S. Scripturae. Sed nunc convenit inter biblicos scriptores sensum de quo loquimur appellari *accommodatum,* vel paulo duriore vocabulo, *accomodatitium,* ut diximus.

cipit quidem iuxta sensum quem revera habent, sed applicat alteri obiecto praeter illud de quo dicta sunt: ita ex. gr. Ecclesia in divino officio singulis confessoribus Pontificibus applicat verba illa Eccli. XLIV. 17: *inventus est iustus, et in tempore iracundiae factus est reconciliatio,* quae de Patriarcha Noë scripta sunt; alter vero modus accommodationis per allusionem, seu sensus accommodatus *allusivus* tunc habetur cum alius omnino sensus datur verbis Scripturae, ad quem tamen aliquo modo verba illa alludere videntur, vel utcumque pertrahi possunt, ut in exemplo superius adducto ex S. Bernardo.

Hisce declaratis duae quaestiones fieri possunt de accommodatione Scripturae, nempe 1° Utrum licita sit, 2° utrum et quatenus ipsi Hagiographi hoc genere accommodationis usi fuerint.

Quaestio 1ª an licitum sit exponere S. Scripturam in sensu accommodato.

Haec accommodatio aesthetica locorum S. Scripturae potest esse vel illicita, vel licita aut etiam laudabilis pro varia ratione qua instituitur. Quare statuimus sequentem propositionem.

THESIS VI.

Accommodatio aesthetica locorum S. Scripturae, si iuxta rectas normas fiat, licita et laudabilis dicenda est.

Ut ordine procedamus primum trademus normas illas de quibus in propositione mentio facta est, per quas normas totidem vitia accommodationis notantur et vitari praecipiuntur, quibus exclusis, ostendemus ceteroquin accommodationem verborum S. Scripturae non modo licitam, sed et opportunam, ac laude dignam esse.

I. Normae sequendae in accommodandis Scripturae testimoniis aliae respiciunt res, quibus accommodatio fit, aliae vero modum quo accommodatio fit vel proponitur. Normae ex parte *rerum* ad duas sequentes revocantur.

Regula 1ª *Verba sacrae Scripturae non sunt accommodanda rebus pravis, absurdis, gravitati et sanctitati verbi Dei repugnantibus.*

Veritas huius regulae demonstratione non indiget, supposita

sanctitate, et divinitate Scripturarum, et consequente officio sancte et reverenter eas tractandi. Accedit appositum decretum Concilii Tridentini huiusmodi abusum damnantis in Sessione IV in Decret. de editione et usu Sacr. Libr. « Post haec, inquit, temeritatem illam reprimere volens (Sancta Synodus), qua ad profana quaeque convertuntur, et torquentur verba et sententiae S. Scripturae, ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones, impias et diabolicas incantationes, divinationes, sortes, libellos etiam famosos; mandat et praecipit, ad tollendum huiusmodi irreverentiam et contemptum, ne de cetero quisquam quomodolibet verba S. Scripturae ad haec et similia audeat usurpare: ut omnes huius generis homines temeratores et violatores verbi Dei iuris et arbitrii poenis per Episcopos coerceantur. » Cavendus tamen est ex alia parte scrupulus, et nimius rigor in damnandis iis qui aliquando facete verba aliqua Scripturarum accommodant: imprimis enim aliud est *scurrilitas*, quam damnat Concilium, aliud mera facetia; deinde quaedam in Scripturis occurrunt praesertim vulgarium hominum dicta, vel communia Hebraeorum proverbia, in quibus facete et hilariter usurpandis nullum crimen apparet. Magna tamen prudentia, et circumspectione in hac re opus est, et generatim loquendo laudabilius est ab iis abstinere.

Regula 2ª *Item cavendum est ne verba S. Scripturae accommodentur rebus, quamvis honestis, quae tamen nimis alienae sint, aut etiam contrariae menti auctoris, aut quae nullam cum ea habeant analogiam praeter materialem verborum sonum.*

Ratio huius regulae desumi potest ex ipsa notione et definitione accommodationis aestheticae, quae in suo conceptu involvit aliquam analogiam inter sensum verborum quae accommodantur, et rem cui accommodantur, ut superius diximus. Ita ex. gr. incongrua accommodatione uteretur qui de Immaculata Conceptione B. M. V. loquens afferret verba Psalmi IX: *Quaeretur peccatum illius et non invenietur*, quae non de innocentibus, sed de magnis peccatoribus dicta sunt, quorum Deus potentiam, memoriam, et mala opera evertit, et delet. Ita etiam qui ad pium flagellationis exercitium distribuens poenitentiae instrumenta verba illa Ps. II usurparet: *Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur*

Dominus. Huiusmodi vitium licet non sit tam abnorme ac illud in praecedente regula notatum, est tamen damnandum, quemadmodum illud damnant SS. Ecclesiae Patres; ex quibus S. Basilius loquens de quorumdam accommodata expositione divisionis aquarum Gen. I, 7, eam reiicit inquiens: « Tales sermones veluti somniorum interpretationes, et aniles fabulas reiicientes aquas intelligamus aquas » etc. Et S. Hieronymus in epistola ad Paulin. 53 (al. 103): « Taceo, inquit, de mei similibus, qui si forte ad Scripturas sanctas post saeculares literas venerint, et sermone composito aurem populi mulserint, quidquid dixerint hoc legem Dei putant, nec scire dignantur quid Prophetae, quid Apostoli senserint, sed ad sensum suum incongrua aptant testimonia, quasi grande sit et non vitiosissimum dicendi genus depravare sententias, et ad voluntatem suam Scripturam trahere repugnantem. » Oriri potest hoc vitium, ut hic innuit Hieronymus, vel ex ignorantia S. Scripturae, qua quis sententias separatas iuxta materialem verborum sonum accipit, non attendens ad contextum et ad scopum auctoris; vel ex vano pruritu ostentandi suum ingenium per hasce argutias, et inexpectatas applicationes verborum Scripturae. Proclives in hoc vitium fuerunt auctores saeculi XVII, in quorum praesertim sermonibus, et panegyricis orationibus huiusmodi ineptae et contortae Scripturae accommodationes non raro offenduntur.

Haec quidem respiciunt ipsas res quibus accommodatio fieri potest. Nunc tradendae sunt regulae quae respiciunt *modum*, quo accommodatio proponi potest, ubi pariter duo vitia admitti possunt, quae sequentibus duabus regulis notantur et proscribuntur.

Regula 3ª *Sensus accommodatus, etiam honestus, et opportunus, nunquam proponendus est cum praeiudicio sensus veri, eo scilicet excluso, vel negato.*

Hoc vitio iuxta multos laboravit Origenes qui accusatus est eo quod *cassis imaginibus Scripturarum tolleret veritatem*, ut de eo loquitur Theophilus. Quidquid de Origenis sententia statuatur, manifestum est verum sensum Scripturae semper in tuto collocandum esse antequam quis alios sensus ex suo ingenio proferat et Scripturae accommodet, et quamvis possit verus sensus praetermitti, ut plerumque in accommodatione fit, nihil tamen proferre licet quo ille excludatur. Qui allegoricae interpretationi indulgent nisi

fuerint aliunde in lectione et scientia Scripturarum apprime versati facile possunt in hoc vitium incidere.

Regula 4ª *Sensus accommodatus non est ita proponendus ac si esset verus Scripturae, seu Spiritus Sancti, sensus.*

Ratio huius regulae evidens est: qui enim hoc faceret ideas suas venditaret pro Dei verbo, et pro Auctorum Sacrorum mente suam ipsius mentem lectoribus obtruderet: quo vitio putat Hieronymus peccasse Origenem in suis allegoricis expositionibus dum *ingenium suum,* inquit, *facit Ecclesiae Sacramenta* (Hieron. Praef. lib. V. Comm. in Isaiam). In hoc vitium incideret qui ex sensu accommodato vellet convincere aliquam veritatem, eamque tamquam ex Sacra Scriptura demonstrare. Ita illi, quos carpit Hieronymus in Comm. in Cap. XIII. Matthaei, qui mysterium SS. Trinitatis demonstrare volebant ex parabola de fermento quod acceptum mulier abscondit in *farinae satis tribus,* quibus dicebant significari Trinitatem: « Pius quidem sensus, inquit S. Doctor, sed nunquam parabolae, et dubia aenigmatum intelligentia potest ad auctoritatem dogmatum proficere. » Peius errabant Donatistae Schismatici, qui volebant demonstrare veram Christi Ecclesiam in sola Africa, ubi ipsi degebant, mansisse adductis verbis Cant. 1. 6: *Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie*; quos merito irridet, et damnat Augustinus in Lib. de Unit. Ecclesiae C. Donat. cap. 24 (al. 19). Ita etiam male faciunt qui ad probandum periculum consortii malorum hominum, et utilitatem amicitiae bonorum tamquam divinum mandatum urgent verba Psalm. XVII, 27, 28 *Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris... et cum perverso perverteris,* quorum tamen verborum verus sensus longe diversus est: non enim ad homines diriguntur admonendi, vel praecipiendi causa, sed ad Deum, qui solet cum innocentibus et sanctis benigne et *misericorditer* agere (תִּתְחַסָּד) cum impiis autem et perversis dure et perverse, idest, modo eorum perversitati conveniente (תִּתְפַּתָּל). Facile in hoc vitium incidere possunt qui in studio Scripturarum parum versati et de consulendo contextu verborum, aut aliorum commentariis parum solliciti sunt, quare verba Scripturae eo sensu accipiunt, quem prima fronte videntur praeseferre, eumque ad demonstrandum urgent.

Haec igitur sunt quae vitare oportet in accommodatione loco-

rum Sacrae Scripturae, quaeque eamdem accommodationem vitiosam et plus minusque reprehendendam efficiunt.

II. Si autem haec omnia vitentur, et verba Scripturae accommodentur rebus honestis et sanctis, et cum verborum sensu aliquam analogiam praeseferentibus, idque fiat salvo Scripturarum vero sensu, nec ad scopum demonstrandi veritatem, sed lectorem aedificandi, si, inquam, hac ratione quis accommodatione utatur, contendimus eum licite, imo et laudabiliter agere.

1° *Licite* quidem: Nam illud est licitum in quo nulla perversitas moralis deprehenditur, et ex quo nullum malum vel periculum oritur. Huiusmodi autem dicenda est accommodatio Scripturae iuxta praedictas conditiones instituta. Siquid enim perversum in hac accommodatione contineretur hoc esset irreverentia erga Sacram Scripturam, periculum autem vel esset in fide, vel in moribus. Verum haec omnia ab accommodatione biblica longe absunt, dummodo observentur normae superius traditae. Esset enim utique irreverentia erga Scripturam si eius sententiae aptarentur rebus turpibus, aut vanis aut etiam nimis alienis a verborum sensu, si vero res honestae fuerint, et analogiam aliquam praeseferant cum aliquo loco Scripturae nulla prorsus verbo Dei iniuria aut irreverentia irrogatur si illis rebus verba accommodentur. Hoc enim facere solemus etiam de dictis profanorum auctorum, quae aliquando rebus nostris aptamus ad sermonem ornandum, nec est qui hoc existimet auctoribus illis indecorum aut iniuriosum: quinimo reverentiae potius et aestimationis argumentum est quod alterius sententias sermoni nostro inserimus, quo ostendimus eas tanti a nobis fieri, ut putemus eis quasi quibusdam gemmis nostram orationem decorari posse: hinc nemo sententias ignoti vel imperiti scriptoris allegare vel aptare solet. Periculum fidei tunc tantum esset si quis sensus accommodatos et imprimis falsos aut inaccuratos proponeret tamquam sensum Sacrae Scripturae. Sed hoc superius exclusimus. Periculum autem morum non potest oriri nisi ex accommodatione Scripturae quae fiat rebus obscoenis ac pravis, quod pariter diximus nunquam licere, non vero ex accommodatione facta rebus honestis, ac piis.

Haec omnia confirmantur ex agendi ratione Doctorum et sanctorum virorum, ipsiusque Ecclesiae, imo ipsius Christi Domini,

eiusque Apostolorum. Accommodatio enim verborum Scripturae intra debitos limites definita nunquam non fuit in usu apud Sanctos Ecclesiae Patres, praesertim in iis scriptis, quae non ad dogmatum defensionem, sed ad plebis Christianae aedificationem ediderunt. Res est ita certa et omnibus nota ut inutile sit exempla citare. Inter omnes Patres nemo fuit felicior in hoc accommodationis genere Sancto Bernardo. Idem dicendum est de posterioribus Ecclesiasticis Scriptoribus, sacris oratoribus, asceticis tractatoribus. Quinimo, uti diximus, ipsius Ecclesiae exemplum licet afferre: nam omnes norunt Ecclesiam in divinis Officiis, et in ipsa liturgia passim Scripturae verba usurpare in sensu mere accommodato: qualia sunt, ut exemplum obvium afferamus, ea omnia quae B. Mariae Virgini aptantur ex Libris Proverbiorum et Ecclesiastici, quae in sensu auctoris non de Maria Virgine, sed de increata Dei sapientia omnino intelligenda sunt. Demum Christus Dominus, et Apostoli non raro huiusmodi accommodatione usi sunt ut ex Libris N. T. apparet, et in sequenti Thesi demonstrabitur.

2° Verum diximus non modo licitum, sed et *laudabilem* esse usum Scripturae in sensu accommodato, intellige semper usum prudentem, sobrium, et iuxta normas praescriptas. Quod quidem imprimis consequitur ex dictis de praxi Doctorum et Ecclesiae, ipsorumque Agiographorum. Quod enim tot eximii Doctores, tot sancti viri, ipsaque sancta mater Ecclesia per tot saecula probarunt, et usu frequentarunt, quod ipse Christus Dominus eiusque discipuli exemplo suo confirmarunt quomodo pium et laudabile non erit? Deinde si huius accommodati sensus naturam, et effectus consideremus apparebit eum saepe cum fructu adhiberi posse, ideoque eius usum laudabilem esse. Habent enim Scripturae verba quamdam inditam vim, quam pii et religiosi homines probe persentiunt; atque ideo veritates, et moralia documenta verbis Scripturae quamvis accommodatis expressa videntur animum magis afficere, quam si nostris verbis ea protulerimus: exemplo sit S. Bernardus, qui, ut diximus, accommodatione sententiarum S. Scripturae maxime excellit, et per hanc tantam suavitatem ac spiritualem unctionem suis scriptis moralibus, et asceticis indidit, ut hac potissimum de causa *Doctor mellifluus* meruerit appellari. Accedit alia quoque ratio: scilicet in Scriptura populo explicanda

(de hoc enim genere expositionis potissimum loquimur, nam in dogmaticis tractationibus vero Scripturarum sensui adhaerendum est) incidunt saepe Libri vel Librorum partes quae obscuras et difficiles quaestiones involvunt, quas populo explicare minus opportunum est; aut enim non intelligeret, aut parum emolumenti ex iis caperet. Nonne igitur laudandus erit interpres si, praetermisso literali illorum locorum sensu, ad sensus accommodatos confugiat ut mores aedificet, et pietatem auditorum foveat? Hoc certe maioris charitatis et prudentiae argumentum esset, quam siquis nimia doctrinae ostentatione, et inopportuna orationis profunditate simplicem fidelium plebem aut fatigaret, aut ieiunam domum remitteret.

Et haec satis sint de prima quaestione circa sensum accommodatum.

Quaestio 2ª de accommodatione S. Scripturae ab ipsis Agiographis facta.

Haec quaestio difficilior et gravior est superiore quaestione, et intime connexa cum demonstratione Evangelica, seu cum argumentis quibus ostenditur veritas Christianae religionis. Sciendum est enim nonnullos plus aequo tribuisse huic accommodationi aestheticae ab Agiographis usurpatae ita ut omnia vel pleraque vaticinia V. T. allegata ab Evangelistis aliisque scriptoribus Novi Testamenti putaverint allegata fuisse non secundum mentem Prophetarum, a quibus scripta fuerant, sed per meram accommodationem. Primus qui inter veteres hanc opinionem proposuit est Theodorus Mopsuestenus celeberrimus alioquin interpres Sacrae Scripturae inter Orientales. Is itaque existimavit vaticinia saltem pleraque ab Evangelistis citata, quaeque ipsi dicunt in Christo impleta fuisse, non habere eum sensum, sed per quamdam accommodationem, κατ' ἐκβασιν, ab Agiographis aptata fuisse Christo Domino, eiusque Ecclesiae. Hanc falsam et perniciosam sententiam notavit et damnavit Vigilius Papa in suo Constituto capp. XXI–XXV in Concilio V oecumenico. Et re quidem vera haec sententia non solum falsa ostenditur ex simplici consideratione praecipuorum locorum quae in N. T. allegata occurrunt, et ex scopo Evangelistarum in vaticiniis allegandis, sed praeterea infirmat, et evertit gravissimum argumentum quod ad probandam veritatem Christianae religionis

desumitur ex implemento vaticiniorum V. T. in Christo, eiusque gestis, et in Ecclesia ab eo fundata. Hinc mirum non est praefatam opinionem Theodori Mopsuesteni avide arreptam fuisse a Socinianis, quorum scopus erat Religionis revelatae fundamenta convellere; neque ab hoc errore satis sibi cavit Grotius in variis locis suarum adnotationum in N. T. Rationalistae vero recentiores bene multi in eamdem sententiam concesserunt, licet alii invexerint contrariam opinionem, peiorem tamen et iniquiorem in sacros Auctores N. T. contendentes eos profiteri quidem se lectoribus tradere mentem veterum Prophetarum, sed eam aut non bene intellexisse, aut consulto depravasse. Alii vero auctores tum Catholici, tum Protestantes ex adverso contendunt Agiographos nunquam praecedentium Scripturarum verba in sensu accommodato usurpasse, quod putant viris inspiratis minus convenire, sed semper in vero sensu quem continent, sive literali sive saltem mystico. Verum utraque sententia reiicienda est: sacri enim Scriptores nec semper, nec nunquam accommodatione usi sunt, sed aliquando Scripturas citarunt in sensu accommodato, alias vero, imo plerumque in sensu auctorum: certa autem criteria assignari possunt quibus discernatur quonam ex praefatis modis singula testimonia citaverint. Ut igitur totam rem dilucide pertractemus duas Theses proponemus in quarum prima breviter ostendemus Agiographos aliquando sensum accommodatum usurpasse, in altera vero ostendemus eos non semper id fecisse, et criteria quaedam assignabimus ad hoc demonstrandum, ubi occasione arrepta tractabimus quaestionem satis difficilem de sensu ac vi formulae: *hoc factum est ut impleretur*, sub qua Evangelistae saepe allegant Prophetarum testimonia. Sit itaque imprimis

THESIS VII.

Scriptores sacri aliquando verba praecedentium Agiographorum non in suo vero sensu, sed per meram accommodationem allegarunt, et suis sermonibus inseruerunt.

I. Probatur haec Thesis nonnullis exemplis, in quibus apparet praefatam accommodationem ab Agiographis factam esse.

1° Apud Agiographos V. T. pauca occurrunt exempla.

Ita in Libro Tobiae II. 6 cum Tobias relicto prandio cadaver in platea iacens domi suae occultasset noctu sepeliendum, et panem cum luctu et tremore manducasset dicitur meminisse verborum Amos prophetae: *Dies festi vestri convertentur in lamentationem, et luctum,* quae tamen verba nec de luctu illo Tobiae certe scripta fuerunt, nec in genere de luctu quod solet gaudio succedere, sed in specie et taxative de luctu quem experturi erant Israelitae in finali exterminio regni Israel (Amos VIII. 9, 10); est ergo mera accommodatio, et quidem apta et pulchra ex eo genere quod vocavimus *extensivum*. Eadem verba Amosi pulchre accommodantur ab auctore Libri 1 Machabaeorum extremae desolationi, in quam decidit Ierosolyma in persecutione Antiochi Epiphanis (1 Mach. I. 41.) In eodem Libro 1° Machabaeorum VII. 16 seq. accommodantur verba Psalmi LXXVIII. 1 seq. nam licet de alia prorsus strage scripta fuerint, ea tamen sacer scriptor aptat indignae neci quam impius Alcimus intulerat sexaginta viris Asideis, qui ad pacem petendam venerant: « Et occidit eos in una die secundum verbum quod scriptum est: *Carnes sanctorum tuorum, et sanguinem ipsorum effuderunt in circuitu Ierusalem, et non erat qui sepeliret.* » Etiam in Libro 2° Machabaeorum VII. 6 videtur fieri accommodatio verborum Moysi Deut. XXXII. 36: *et in servis suis consolabitur* (Deus).

2° Apud Agiographos N. T. exempla frequentiora sunt.

Ita Matt. VII. 23 ipse Christus enuncians sententiam damnationis, quam in extremo die iudicii laturus est in reprobos eam exprimit verbis Davidis Ps. VI. 9: « Et tunc confitebor illis, inquit, quia nunquam novi vos: *discedite a me qui operamini iniquitatem* » quae certe in alium sensum dicta fuerant. Matt. X. 36 Christus Dominus loquens de separatione aliquando necessario facienda a propinquis et amicis ob Christi, eiusque legis amorem, huic rei accommodat verba Micheae VII. 6: *et inimici hominis domestici eius,* quae de alia prorsus re propheta intellexerat, scilicet de domesticis discordiis apud coaevos suos moribus corruptos passim occurrentibus. Cfr. etiam Matt. XV. 7–9 coll. Is. XXIX. 23. Idem Christus Luc. XXIII. 30 loquens de extremo die iudicii, vel, ut alii volunt, de excidio Ierosolymae per Romanos, ad exprimen-

dum terrorem et consternationem quae tunc animos hominum occupabit, usurpat verba quae leguntur Oseae X. 8: « Tunc incipient dicere montibus: *cadite super nos, et collibus; operite nos* » quae a propheta dicta fuerant de excidio Samariae. In actis Apostolorum XIII. 46, 47 Paulus et Barnabas Iudaeos eorum praedicationem respuentes ita alloquuntur: « Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, et indignos vos iudicatis aeternae vitae, ecce convertimur ad gentes; sic enim praecepit nobis Dominus: *posui te in lucem gentium ut sis in salutem usque ad extremum terrae* » quae tamen non ad ipsos dicta fuerant, sed ad Isaiam Prophetam, vel potius ad Christum per Isaiam figuratum (Is. XLIX. 6) ita tamen ut ad Apostolos extendi possent considerato munere eis commisso. Idem Paulus in Epistola ad Romanos X. seqq. applicat Legi Evangelicae, et fidei in Christum ea quae Moyses dixerat de Lege antiqua Deut. XXX. 12-14, et in eodem capite v. 18 Evangelii praeconibus accommodat verba Psalmi XVIII: « *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum* » quae ibi intelliguntur de mundo physico, seu de coelis, et astris enarrantibus gloriam Dei. Adde Hebr. XIII: 5 ubi Paulus omnibus Christianis applicat verba ad Iosue directa Ios. I. 5, et verba Davidis in Psalmo CXVII. 6. Demum Iohannes in Apocalypsi XI. 4 de duobus testibus in fine mundi apparituris (vulgo Henoch, et Elia) ait: « *Hi sunt duo olivae, et duo candelabra in conspectu Domini terrae stantes* » quae deprompta videntur ex visione Zachariae IV. 3, et 14 ubi tamen propheta duos alios sanctos respexit, seu ut videtur, Zorobabelem et Iesum filium Iosedec. Haec sunt praecipua exempla accommodationis S. Scripturae factae ab ipsis sacris Auctoribus, et ab ipso Christo Domino.

II. Quae in contrarium afferri solent nullius momenti sunt.

Dicunt enim 1° indignum esse inspiratis viris Scripturam inspiratam allegare in alio sensu ab eo quem Spiritus Sanctus intendit. Verum nullum prorsus inconveniens in hoc apparet. Si enim in huiusmodi accommodatione S. Scripturae nihil pravum invenitur: nec ulla irrogatur iniuria sanctitati Scripturarum, ut superius demonstratum est, cur non potuissent sacri Scriptores ea uti? Nec ignorantiam Scripturae arguit in ipsis Auctoribus; qui enim in sensu

accommodato adducit verba alterius non ideo censendus est verum eorum sensum ignorare, sed, eo praetermisso, ad rem paulo diversam ea accommodat. Demum cum id in more hominum positum sit, cumque aliunde sciamus Agiographos humanum loquendi morem sequutos fuisse, optime intelligimus cur aliquando etiam inspirati illi Scriptores hac ratione Scripturae verba usurpare voluerint.

Dicunt 2° exempla omnia superius adducta accipienda esse tamquam allegationes Scripturae iuxta sensum vel literalem, vel saltem mysticum. Sed id nunquam demonstrabunt adversarii. Et sane, quod pertinet ad literalem sensum, sufficit contextum illorum locorum consulere ut unusquisque perspectum habeat ea diversum sensum habere ab illo in quo allegata sunt: nec possunt mystice hunc alterum sensum habere; siquidem inter figuram et figuratum talis habitudo esse debet ut illa longe inferior sit isto, et veluti umbra cum corpore solido comparata, aut imago cum eo quod per illam repraesentatur. Quis autem dixerit ex. gr. excidium Samariae fuisse umbram desolationis Ierosolimae, aut Isaiam imaginem Pauli et Barnabae? In nonnullis casibus concedimus dubitari posse factane sit accommodatio, an vero agatur de mystica relatione inter typum et antitypum, ideoque ab his exemplis afferendis abstinendum est: sed plures occurrunt citationes in N. T. quae, ut diximus, aliter explicari nequeunt quam per accommodationem, de qua loquimur.

Nunc de altera opposita sententia, seu potius errore dicendum est, eorum scilicet qui nimis extendunt huiusmodi accommodationis usum in Libris N. T. praesertim ubi de vaticiniis Prophetarum agitur. Sit itaque

THESIS VIII.

In Libris Novi Testamenti testimonia Prophetarum non semper allegantur in sensu mere accommodato, sed plerumque in suo vero sensu ab auctore intento: hoc autem speciatim contendimus factum esse in iis locis, ubi 1° *laudata testimonia demonstrandae veritatis causa afferuntur, vel* 2° *ubi Agiographi ea citant sub solemni formula: hoc factum est* ut impleretur quod dictum est: ἵνα (*vel* ὅπως) πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν.

Demonstrabimus hanc Thesim adversus Socinianos et Rationalistas primum argumento quodam *generali,* et veluti *a priori,* tum vero argumentis *specialibus* in propositione indicatis.

Arg. I *generale* ita proponi potest.

Si Agiographi N. T. vaticinia Prophetarum semper in sensu accommodato applicassent Christo eiusque Ecclesiae non autem iuxta proprium eorum sensum, id fieri debuisset, vel 1°) ex eo quod nulla existerent in V. T. testimonia quae in suo vero sensu Christum respicerent, vel quia 2°) licet existerent ignorabantur tamen ab ipsis Agiographis, vel denique 3°) quia licet et essent, et probe noscerentur, noluerunt tamen ab Agiographis allegari, et consulto praetermissa fuerunt. Atqui omnes huiusmodi hypotheses falsae aut inverosimiles sunt. Ergo.

Sane 1°) Absurdum est asserere nulla in V. T. extare vaticinia quae possent in suo proprio sensu de Christo afferri. Nam, omisso nunc examine directo plurium vaticiniorum quae certissime ad Christum spectant, omisso etiam Christianorum et Iudaeorum de hac re consensu, nobis sufficit Christi ipsius testimonium diserte affirmantis multa de seipso scripta inveniri in Lege, in Prophetis et in Psalmis, seu in universa Scriptura V. T. (Luc. XXIV. 25–27, 44,). Sed absurdum est etiam affirmare 2°) Apostolos et Evangelistas ignorasse huiusmodi vaticinia, ac verum eorum sensum. Quomodo enim ignorassent quod tam clarum et apertum erat, puta vaticinia Isaiae, et Davidis, quae omnes Iudaei sciebant et profitebantur ad Messiam pertinere? Quod si fieri aliquo modo potuisset ut ea ignorarent, nonne satis erat ad hanc ignorantiam

depellendam trium annorum magisterium, quo Christus Dominus eos docuit exponens illis Scripturas *quae de ipso erant,* et *aperiens illis sensum* ut eas intelligerent? Reliquum est igitur 3°) ut dicamus testimonia de Christo et in V. T. existere, et Apostolis apprime perspecta fuisse, sed eos noluisse dum scriberent ad ea confugere. Verum cuinam hoc persuadere poterunt adversarii? Siquidem Agiographi N. T. ad vaticinia Prophetarum passim appellant, eaque frequentissime recitant cum de Christi gestis loquuntur, in quibus dicunt illa impleta fuisse. Quis autem crediderit eos, relictis claris et evidentibus vaticiniis, quae ad rem faciebant ea potius allegare voluisse, quae non faciebant ad rem, ut ea quomodocumque Christo accommodarent? Concludendum est igitur Agiographos N. T. non semper vaticinia Prophetarum per meram accommodationem aptasse rebus, de quibus scribebant, sed saepe, imo plerumque ea allegasse iuxta verum et proprium eorum sensum a Spiritu Sancto intentum.

Arg. II. *speciale* de praecipuis quibusdam allegationibus.

Quod superius in genere et quasi a priori evictum est potest in specie demonstrari de singulis locis Propheticis in N. T. allegatis iuxta verum propheticum sensum. Et quidem posset hoc directe ostendi instituto accurato examine illorum locorum ex quo appareret eorum sensum illum ipsum esse quem Apostoli et Evangelistae illis tribuerunt: sed quoniam id longiorem disputationem exegeticam requireret (quae non est huius loci), hinc contenti erimus potius indirecte illud evincere tum ex *scopo* ad quem loca illa citata fuerunt, tum, ex *formulis* quibus eorum allegatio saepe facta est, ut in Thesi indicavimus.

Itaque 1° ex *scopo* ita argumentamur. Ea testimonia censeri debent allegata ab Agiographis in proprio ac vero sensu quem continent, quae ad veritatem demonstrandam ab iis allegantur. Atqui plura vaticinia V. T. ab Agiographis N. T. et ab ipso Christo Domino ad hunc scopum demostrandi veritatem allegantur. Ergo.

Maior clara est: nam sensus accommodatus ad demonstrandum nihil valet, ut ex superius dictis apparet. Ad *minorem* quod attinet sufficit afferre praecipua quaedam exempla, ubi laudatus Christi et Apostolorum scopus in citandis vaticiniis V. T. certus et evi-

dens est. Cum autem sensus vaticiniorum possit esse vel literalis vel mysticus, et de vaticiniis iuxta sensum mysticum allegatis iam alibi dictum sit, satis erit hic adducere quaedam loca V. T. ab Agiographis allegata secundum sensum literalem ad finem aliquid demonstrandi. Psalmus II. in pluribus locis N. T. affertur demonstrationis causa. Ita ex. gr. Hebr. I. 3 Paulus adducit verba v. 5. huius Psalmi: *Filius meus es tu, ego hodie genui te* ad demonstrandum Christum esse supra omnes creaturas, et Filium Dei naturalem. Act. XIII. 33 ex iisdem verbis infertur convenientia, et veritas Resurrectionis Christi Domini; et ita alibi Psalmus XV. allegatur a S. Petro Act. II. 24–30 ad demonstrandum Christum a mortuis resurgere debuisse. Psalmus CIX. non minus frequenter allegatur ad Christi ipsius dignitatem et praerogativas demonstrandas. Ita ex. gr. Mat. XXII. 41 seq. Christus ex primis verbis huius Psalmi demonstrat Messiam non purum hominem esse, eoque argumento ita confusi sunt Pharisaei ut *nemo posset ei respondere verbum* (v. 46). Eadem verba urget Petrus in primo suo sermone Act. II. 34–36 ad Christi divinitatem probandam. Item Paulus Hebr. I. 13 ex eiusdem Psalmi initio eamdem veritatem convincit: qui etiam in eadem epistola (VII. 20, 21) ex v. 4 ostendit praecellentiam sacerdotii Christi supra sacerdotium leviticum.

Verba Dei ad Abraham dicta Gen. XII. 3, XVIII. 18, XXII. 18: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes*, afferuntur a S. Petro Act. III. 25 seq. ad demonstrandum ex Iudaeis salutem primum venisse; a S. Paulo vero eadem verba urgentur ad probandam vocationem omnium gentium ad fidem (Cfr. Rom. IV praesertim v. 16): utrumque enim demonstrant.

Verba Ieremiae XXXI. 31 seqq. ab eodem Paulo Hebr. VIII. 6-13 in argumentum adducuntur ad suadendum Testamentum Novum Antiquo longe praestantius debuisse a Christo sanciri. Idem Apostolus ad eamdem veritatem confirmandam affert verba Psalmi XXXIX. 7, 8. (Hebr. X. 1–9). Plura alia exempla occurrunt in Pauli epistolis. Sed haec sufficiant ad ostendendum Agiographos N. T. vaticinia V. T. saepe allegasse demonstrandae veritatis causa, ideoque eadem allegasse secundum mentem auctoris, non vero per accommodationem.

2° Dicimus ea testimonia non citari in sensu mere accommo-

dato, sed in suo vero sensu sive literali, sive mystico, quae in medium adducuntur ab Agiographis N. T. per solemnem illam formulam: *ut impleretur quod scriptum est, ut impleretur scriptura dicens* etc. Nam formulae praedictae non possunt significare meram accommodationem vaticinii eventui vel personae diversae ab ea de qua scripta fuerunt, sed designant verum eiusdem vaticinii *implementum*.

Verum cum de hac re a nonnullis etiam Catholicis et orthodoxis Scriptoribus dubitatum fuerit, operae pretium erit quaestionem diligentius exponere. Occasionem huic controversiae praebuit caput II. Evangelii Matthaei ubi plura afferuntur vaticinia, eaque in Christi nativitate et infantia impleta fuisse dicuntur, adhibitis formulis: *tunc impleta est scriptura, hoc factum est ut impleretur scriptura:* cum tamen nonnulla ex illis testimoniis videantur nullatenus ad Christum referri, puta illud Os. XI. 1 citatum pro Christi pueri commoratione in Aegypto Matt. II. 15, cum apud prophetam intelligendum sit de populo Hebraeorum. Hinc Iudaei et increduli cum Iuliano Apostata occasionem arripuerunt calumniandi Evangelistas ac si vaticiniorum sensum ad scopum suum detorserint contra mentem Auctorum. Communis responsio quam catholici cum S. Hieronymo dare solebant huic calumniae haec est: vaticinia illa utique ad Christum non referri in sensu suo literali et immediato, sed si spectetur eorum sensus occultus et mysticus revera Christum respicere, et sub hoc respectu in eo impleta fuisse: ideoque huiusmodi vaticinia bis implementum habuisse, primum scilicet cum res illa accidit quae verbis immediate exprimitur, iterum vero in Christo quem res illa, puta agnus Paschalis, vel populus Hebraeorum, mystice figurabat. Ita Hieronymus de loco illo Os. XI, et ceteri interpretes. Verum saeculo XVI. Cornelius Iansenius Ep. Gandavensis in suo commentario in concordiam Evangelicam cap. XI. aliam viam se inire posse putavit, quam *commodiorem* appellat, ad solvendam praedictam difficultatem, negando videlicet Matthaeum in citato loco (et alios Agiographos in similibus casibus) veram allegationem vaticinii facere voluisse, sed tantum verba Prophetae voluisse Christo accommodare, ideoque non posse de depravato sensu vaticinii accusari. Cum autem obstare videretur formula illa gravissima a Matthaeo ibidem adhibita: *ut adimpleretur quod di-*

ctum est per Prophetam, contendit hanc formulam non esse ita necessario accipiendam, ut significet testimonium allegatum id praecise significare et respicere pro quo allegatum est, et in eo vere impletum fuisse; *nam,* inquit *Scriptura quandoque impleri dicitur quum fit quidem quod illa commemorat, etiamsi id non fuit proprie ab Auctore intentum,* et adducit exempla Mat. XV. 7. 8 coll. Is. XXIX. 13, et Mat. XIII. 14 coll. Is. VI. 9. Maldonatus hanc sententiam adoptavit in Comm. in Mat. II. 15, ubi quatuor distinguit sensus, quibus in Scripturis invenitur adhibitum verbum *implere* (1). Similia habet Vasquez in Summam S. Thomae p. I. q. 1 Disp. XIV. c. 5; etiam Calmet (Comm. in Mat. II. 15) licet admittat vaticinium Oseae revera ad Christum pertinere iuxta sensum mysticum, tamen consentit cum laudatis auctoribus formulam illam a Matthaeo adhibitam per se conciliari posse cum mera loci accommodatione. Haec quaestio veluti sopita erat, cum aetate nostra iterum agitari coepit occasione qua Michaëlis ex vi formularum, de quibus loquimur de-

(1) Operae pretium erit hunc Maldonati locum exscribere: « Dicitur itaque prophetia, quantum equidem observare potui, quatuor modis *impleri*. Primum cum idipsum fit, de quo proprie, et literali, ut dicitur, sensu intelligebatur, sicut Matthaeus (I. 22) dixit impletam in Maria Isaiae prophetiam fuisse: Ecce virgo concipiet et pariet Filium. *Secundo* cum fit non id de quo proprie intelligebatur Prophetia, sed id quod per illud significabatur, ut: Ego ero illi in Patrem, et ipse erit mihi in filium (2 Reg. VII. 14) quod proprie de Salomone dictum esse perspicuum est, divus tamen Paulus de Christo, cuius figura Salomon erat, interpretatur (Heb. I. 6) quasi in eo impletum esset. Item Ex. XII. 46 coll. Io. XIX. 36. *Tertio* cum nec id fit de quo proprie intelligitur Prophetia, nec id quod per illud significatur, *sed quod illi simile est, et omnino huiusmodi, ut Prophetia non minus apte de eo, quam de quo dicta est, dici potuisse videatur.* Nam: Populus hic labiis me honorat, de Iudaeis, qui tempore Isaiae erant Deus dixerat (Is. XXIX. 13), Christus autem in iis qui suo tempore erant *impletum* significat. (Mat. XV. 7, 8). Simile est exemplum apud Matthaeum XIII. 14, et in Actis XXVIII. 26. *Quarto* cum idipsum quod per Prophetiam aut Scripturam dictum erat, quamvis iam factum fuerit, tamen magis ac magis fit. Tunc enim Scriptura impleri dicitur, idest quod per eam dictum erat cumulatissime fieri... Illa ergo Prophetia Oseae: *Ex Aegypto vocavi filium meum* proprie de populo Israel, quem Deus filium suum primogenitum appellare solet (Ex. IV. 22 etc.) intelligebatur... dicitur autem nunc impleta (Mat. II. 15) secundo, et tertio modo etc. ».

monstrare aggressus est duo priora Matthaei capita genuina non esse: saltem haec fuit occasio qua ductus Card. Wiseman obsoletam opinionem Iansenii et Maldonati in lucem revocavit, novisque argumentis ex syriaca literatura depromptis roborare aggressus est in suis *Praelectionibus de connectione inter scientiam et fidem.* (Lect. X. circa fin.). Argumentum Michaelis ad hoc revocatur. Auctor duorum priorum capitum Matthaei citans testimonia Prophetarum de Christo iis formulis utitur, quae omnino ostendunt eum lectoribus persuadere voluisse illa vaticinia revera Christum spectare, et in illo vere impleta fuisse. Atqui nonnulla ex illis vaticiniis nullatenus ad Christum pertinebant, nec poterant dici vere in Christo implementum suum habuisse. Ergo auctor ille erravit circa sensum vaticiniorum. Cum autem non liceat asserere Matthaeum Apostolum, et inspiratum scriptorem in huiusmodi errores incidisse, concludendum est auctorem illorum capitum non esse Matthaeum, seu pericopam illam spuriam et adscititiam esse. Card. Wiseman Michaelisium refellere aggressus, fatetur quidem *minorem* eius argumenti falsam demonstrari posse, ac vaticinia a Matthaeo allegata reapse ad Christum pertinere sive literaliter, sive saltem mystice, attamen satius esse iudicat ab hac longiori disputatione circa singulos textus abstinere, et mavult negare *maiorem* argumenti; scilicet contendit ex formulis illis non demonstrari Matthaeum singula testimonia citare voluisse iuxta proprium, et verum, quem continent, sensum, atque ita uno veluti ictu totum adversarii argumentum se contrivisse arbitratus est. Eidem opinioni circa valorem illarum formularum subscripserunt inter recentiores Catholicos etiam Kohlgrüber et Ranolder, praeter Ariglerum et Iahnium aliosque paucos. Sociniani autem et Rationalistae eamdem opinionem passim defendunt ob diversum tamen, et contrarium finem, non scilicet defendendi, sed impugnandi Religionem: hac enim admissa opinione, infirmatur argumentum quod pro Christiana Religione desumitur ex nexu intercedente inter Vetus et Novum Testamentum, et ex implemento vaticiniorum V. T. in Christo et Ecclesia ab eo fundata.

Nos vero, salva reverentia laudatis catholicis viris debita, contrarium defendemus, scilicet formulas praedictas argumentum constituere citationis iuxta mentem auctoris factae, idest, ubi vatici-

nia Prophetarum cum illis formulis citantur, sufficienter innotescere eadem allegata fuisse non per meram aestheticam accommodationem, sed iuxta eorum verum sensum.

Antequam id demonstremus quaedam praemittenda sunt ad quaestionis statum recte determinandum. Et imprimis hic non quaerimus an verbum *implere,* πληροω (et *impleri,* πληροῦσθαι) per se et seorsim sumptum aliud quidpiam significare possit praeter id quod contendimus, puta *continuare*, *absolvere*, *farcire* et alia quae congeruntur a Schleussner in lexico Graeco-Lat. in N. T. ad vocem πληροω (Edit. IV. Lipsiae 1819 to. II. pag. 588); nemo enim est qui de hoc dubitet: sed quaestio est de ea voce quatenus applicatur praecedentibus vaticiniis, promissionibus, institutionibus quae *impletae* fuisse dicuntur in hac vel illa re. Rursum, quamvis possemus rem demonstrare de omnibus formulis ubi verbum implere recurrit, ut cum dicunt Evangelistae: *tunc impleta est scriptura dicens* etc. τότε ἐπληρώθη ἡ γραφὴ ἡ λεγουσα, *tunc impletum est quod dictum est per Prophetam,* et alia similia, satius tamen duximus quaestionem revocare ad eas tantum graviores formulas, in quibus particula *ut,* Graece ἵνα, vel ὅπως occurrit: hoc factum est *ut impleretur* quod dictum est; *ut impleretur* Scriptura dicens etc. quibus specialem vim inesse credimus. Hisce breviter declaratis en argumenta pro nostra sententia.

Prob. 1° ex *intrinseca vi formulae* de qua loquimur. Sane imprimis ipsum verbum *implere, impleri,* πληροω, πληροῦσθαι, cum vaticiniis, vel promissionibus aut dispositionibus antecedentibus aptatur, per se, et vi sua significat illud ipsum fieri, quod tunc praedictum, vel promissum aut dispositum fuerat; hoc enim est illa *impleri,* et sine hoc diceretur *vacua* manere, seu effectu, et vi sua carere, et frustrari. Crescit argumentum si usurpatur particula *ut,* et dicatur rem aliquam factam esse, *ut impleretur* quod antea praedictum aut promissum fuerat. Particula enim illa causalis est, et nexum indicat inter eventum illum, et vaticinium quod pro eo allegatur: qui quidem nexus, quantum ad vim formulae, intelligi posset vel *positive,* quatenus ideo res acciderit *quia* praedicta erat, vel saltem *negative* quatenus *nisi* res illa accidisset praedictio sine effectu mansisset, seu falsa fuisset. Primum autem

admitti non potest iuxta rectam notionem praescientiae Divinae, ergo saltem alterum admittendum est, ut formula causalis vera sit.

Prob. 2° ex usu *loquendi biblico,* cui maxime insistendum est in loquutionum S. Scripturae vi ac significatione definienda. Notandum hic est voces πληροω, πληροῦσθαι quibus utuntur Agiographi N. T. et LXX interpretes V. T. respondere verbo מָלֵא in textu Hebraico: verba autem τελεῖσθαι, vel τελειοῦσθαι, quibus illi alias utuntur in eodem prorsus sensu, respondere hebraicae voci שָׁלַם (*absolvere, perficere*). Hisce igitur vocibus, cum de praecedentibus prophetiis sermo est, dicimus in S. Scriptura significari verum implementum.

Et 1°) quidem *indirecte* stabiliri potest vis vocis *implere* in praedictis adiunctis ex usu Agiographorum Veteris Testamenti. Est enim regula generalis, verba et loquutiones N. T. in eadem significatione accipienda esse, quam habent in V. T. nisi contrarium aliqua certa ratione suadeatur. Iamvero in Libris V. T. voci *implere,* ubi de vaticiniis vel promissionibus est sermo, ea significatio tribuitur quam nos contendimus. Ita verbum מָלֵא accipitur evidenter in sequentibus locis: 3 Reg. II. 27, VIII. 15, 24, 2 Paral. VI. 15, XXXVI. 21, Psalm. XX. 5, 6; verbum autem שָׁלַם in libro Iob XXIV, 14, et in Isaia XLIV, 28. 2°) vero *directe* id ostenditur ex Libris ipsis N. T. ubi dicimus verbum πληροῦσθαι in omnibus claris et apertis locis adhiberi in sensu quem defendimus, idest pro *fieri, evenire* illud ipsum quod antea dictum, et scriptum fuerat. Conferantur ex. gr. sequentia loca, ubi significatio illa ex contextu, et subiecta materia evidens prorsus est: Mat. II. 23; Luc. I. 20, XXIV. 44; Io. XVIII. 9, 32, Act. III. 18, XIII. 33. Ex his itaque claris et evidentibus locis determinari potest sensus formularum in locis obscurioribus, vel incertis, quos adversarii obiiciunt, iuxta illam Augustini regulam (De Doctr. Christ. Lib. III. c. 26) « Ubi autem apertius ponuntur (loquutiones S. Scripturae) ibi discendum est quomodo in locis intelligantur obscuris. »

Confirmatur iste usus loquendi Agiographorum N. T. *primo* ex scopo quem prae oculis habuerunt Evangelistae, et imprimis Matthaeus, de quo praecipue fit quaestio, in suis libris edendis, ut scilicet ostenderent Iesum esse Christum vel Messiam Iudaeis promissum, et a Prophetis praenunciatum; et ad hunc finem frequen-

ter adducunt Prophetarum vaticinia cum varios eventus vitae et mortis Christi Domini enarrant. Ergo credendi sunt loqui voluisse de vero implemento vaticiniorum, ideoque per illas formulas: *hoc factum est ut impleretur*, etc. ostendere voluisse illum eventum de quo scribunt fuisse a Prophetis praedictum tamquam aliquid pertinens ad Messiam, et in Christo Iesu reapse locum habuisse ut praedictus fuerat, unde consequens erat, Christum Iesum esse Messiam.

Confirmatur *secundo* ex modo quo Patres, Doctores, interpretes formulas illas intellexerunt. Exceptis enim paucis recentioribus superius laudatis, nemo est in tota antiquitate, qui non intellexerit formulas, de quibus loquimur eo sensu, quem nos defendimus, scilicet Agiographos N. T. indicare per eas voluisse vaticinia sic allegata vere in Christo implementum suum habuisse. Sed audiendi sunt fautores contrariae sententiae, et respondendum argumentis quae magno eruditionis apparatu adducunt ad suadendum praedictis formulis eam vim non inesse.

Dicunt itaque valorem verborum, et loquutionum determinandum esse ex usu loquendi. Iamvero in usu loquendi formulae illae, et verbum *implere* saepe adhibentur ubi non est sermo de vero implemento vaticinii, idque exemplis confirmant. a) Ex *Scripturis* afferunt Esther I. 5 « Cumque *implerentur* dies convivii, invitavit omnem populum » ubi implere accipitur pro *absolvere*, *finire;* et 3 Reg. I. 14 ubi Nathan iubet Bethsabeam ad David ingredi, et inchoare sermonem, addens: « et adhuc ibi te loquente cum rege ego veniam, *et complebo* וּמִלֵּאתִי sermones tuos » ubi *implere* adhibetur (sunt verba Ranolderi) pro exprimenda accessione alterius rei similis; Nathan enim implevit sermonem Bethsabeae idem argumentum iterando partim, partim continuando, ut apparet ex v. 23 seqq. Hoc sensu etiam Christus Luc. XXII. 16 aiebat: « Dico vobis quia ex hoc non manducabo illud (Pascha) *donec impleatur* (ἕως ὅτου πληρωθῇ) *in regno Dei.* » idest non amplius hoc Pascha materiale in terris comedam, sed longe nobilius et perfectius in coelis, seu coeleste gaudium, et spirituale convivium aeternae beatitudinis. Addunt testimonia ex scriptoribus non sacris, et quidem b) ex profanis ut ex. gr. Olympiodoro ex quo hoc testimonium affert Michaelis: « Examen apum os parvi Plato-

nis melle replevit, ut *verum de eo fieret* (ἵνα ἀληθὲς περὶ αὐτου γενοίτο): de lingua eius mel dulce defluxit » quae sunt verba Homeri de Nestore dicta. Alia plura congessit Schleussner (loc. cit.) ex Graecis scriptoribus. c) ex Ecclesiasticis scriptoribus Graecis antiquissimis, et tum aetate tum lingua ab Agiographis N. T. parum distantibus. Ita Epiphanius haer. X. (al. XXX) contra Ebionem de hoc haeretico ait: « In eo *quod scriptum est* (Prov. V. 14) *impletur*: paulo minus versatus sum in omni malo. » Hegesippus (apud Eusebium Hist. Eccl. II. 23) de Iudaeis Iacobum fratrem Domini occidentibus scribit « *Et impleverunt Scripturam* (καὶ ἐπλήρωσαν τὴν γραφήν) *in Isaia scriptam* (Is. III. 10): tollamus e medio iustum, quia molestus est nobis; propterea fructum operum suorum manducabunt: » quae certe de Iacobo iusto scripta non fuerunt. Irenaeus Adv. haer. IV. 20 « Iohanne vero non sustinente visionem: cecidi, inquit, ad pedes eius quasi mortuus (Apoc. I. 17), *ut fieret quod scriptum est:* nemo videt Deum, et vivet (Ex. XXXIII. 20). » Quinimo ipso aevo Apostolico Clemens Rom. in 1ª Epist. ad Corinthios Graece scripta: « Omnis honor et delatio, inquit, vobis data est, et *impletum est illud quod scriptum est* (καὶ ἐτελεσθη τό γεγραμμενον): edit, bibit, dilatatus, incrassatus est dilectus, et recalcitravit » (Deut. XXXII. 15).

d) Ex *Latinis* Hieronymus in Epist. ad Paulinum: « Socraticum illud *impletur in nobis:* hoc unum scio quod nescio » et Ven. Beda Comm. in c. XI Lucae, enarrata daemoniaci sanatione, subdit: « Quod et tunc quidem carnaliter factum est, sed et quotidie *adimpletur* in conversione peccatorum. »

e) Ex Orientalibus scriptoribus afferunt testimonia quaedam syriace scripta, ea scilicet lingua quae affinis est dialecto Apostolis familiari, et a Matthaeo adhibitae in Evangelio scribendo. Ex his Card. Wiseman affert duo testimonia ex compendio vitae S. Ephremi apud Assemani Biblioth. Orient. to. I. c. 6. ubi narratur Ephremo olim in spelunca delitescenti ut laudes Edesseniorum ad se venientium vitaret apparuisse angelum, eumque sic alloquutum fuisse: « Cave, inquit, *ne de te narretur quod scriptum est:* Ephraim vitula iugum ab humero suo repulit (Os. X). Et Ephrem lacrymabundus: non ego, inquit, is sum *cui tanti oraculi verba accommodes.* » Et in eodem compendio rursus legitur de S. Ephrem: « Hic est

de quo Christus in Evangelio loquitur: ignem veni mittere in terram. » Addit aliud testimonium ex actis Syriacis S. Ephrem (Opp. to. III. edit. Rom. 1793. pag. XXIV) « Quapropter *adimpletum est de illo verbum* quod Ananiae de Paulo dictum est: Vas electionis est mihi iste. » Praeterea ipsius S. Ephremi omnium Syrorum scriptorum, qui supersunt, antiquissimi testimonium affert ex Opp. to. III. pag. 317–18 « Aristoteles... quod de sapientissimo Salomone *Scriptura prodidit perfecte implevit*: nullus ante te similis tui fuit, neque post te surrecturus est. » Hisce Syrorum testimoniis aliud adiungit Tholuck (in suo *Commentario in Evangelium Iohannis* Hamburgi 1727.) desumptum ex Chronico Bar Hebraei, seu Abulpharagii scriptoris Syri saec. XIII.: « Viderunt, inquit, iram *de qua propheta dicit:* iram Domini portabo, quia peccavi. » f) Addunt nonnulli formulas citandi usitatas a *Rabbinis* in Talmude aliisque scriptis: Surenhusius integrum volumen de his formulis composuit, sed, fatente ipso Wiseman, nullam attulit in qua verbum *implere* usurpetur: laudatus Tholuch op. cit. pag. 68 duas profert quae magis ad rem facere videntur, scilicet « Qui edit, et bibit, et postea orat, *de hoc scriptum est:* post tergum tuum proiecisti me: » item altera: « Ex quo Sciamir (fabulosum Rabbinorum animal) templum destruxit, divinae gratiae, et piorum hominum cursus cessavit, *sicut scriptum est:* non est qui faciat bonum etc. » (Ps. XIII. 1).

Haec sunt omnia, vel certe praecipua, quae a variis auctoribus pro contraria sententia allata sunt .

Respondemus tamen totum hunc testimoniorum apparatum rem nullatenus evincere. Ex his enim auctoritatibus aliae non faciunt ad rem, aliae non sunt idoneae ad usum loquendi biblicum certo definiendum, aliae demum reapse non contradicunt sententiae quam nos defendimus. Et sane quod pertinet ad loca ex *scriptura* desumpta, ea probant quidem verbum *implere*, πληρόω, מָלֵא cum significatione *consummandi, absolvendi, ad perfectum adducendi* aliquando usurpari, non vero cum agitur de vaticiniis aut promissionibus accommodandis in alienum sensum, quod tantum in praesenti quaeritur. Nos autem contra ostendimus certis et indubitatis exemplis voces illas adhiberi ad significandum verum adimplementum vaticiniorum. Ceterum etiamsi adversarii demonstrassent

verbum implere aliquando in Scripturis usurpari ubi de mera accommodatione aesthetica agitur, adhuc res confecta non esset; nos enim quaestionem potissimum instituimus de iis formulis, in quibus verbum implere cum particulis causalibus *ut*, ἵνα, ὅπως coniungitur.

Quod pertinet ad classicos *profanos scriptores*, ex iis declarari quidem aut confirmari vis loquutionum et formularum in Libris N. T. occurrentium, minime vero certo stabiliri potest. Nam lingua Librorum N. T. licet Graeca dicatur et sit, suam tamen peculiarem indolem habet, et in multis ab usu loquendi Graecorum recedit, ita ut ad nullam ex notis dialectis classicae Graecitatis revocari possit. Quod spectat vero ad scriptores *Ecclesiasticos* Latinos, Graecos, Orientales ab adversariis citatos (utor fere verbis Cl. magistri et praedecessoris mei Phil. Arcangeli) recolendum est 1° nonnullos ex iis allegare loca minime prophetica, ut fit in adductis testimoniis Clementis Rom. Hegesippi, Epiphanii, Hieronymi, Actorum S. Ephremi: quis porro verum πλήρωμα quaesierit in allegatione verborum minime propheticorum? 2° notandum alios implicite ostendere se meram accommodationem sequutos esse, quippe qui testimonium alicui applicant, quod de alio dictum esse diserte affirmant, ut S. Ephrem, et auctor vitae eiusdem; 3° in quibusdam testimonium allegatum continere propositionem quamdam adeo genericam, ut singulos, qui in circumstantiis ab ea descriptis versantur respicere iure dicatur, ideoque non de accommodatione, sed de vero implemento intelligi possunt et debent; ut est ex. gr. illud ab Irenaeo laudatum: *Deum nemo vidit, et vivet*, quod etiam Iohannem respicere merito dici potest, quatenus et ipse viso Christo sibi apparente cecidit *tamquam mortuus;* 4° si excipias Clementem, et fortasse Irenaeum et Hegesippum, reliquos omnes recentiores esse quam ut valeant de usu loquendi Apostolorum proprio idoneum reddere testimonium; 5° unum ex adductis Irenaeum usurpare graviorem illam citandi formulam, in qua verbum *implere* cum particula *ut* componitur, cui quidem peculiarem inesse vim diximus. Quare ex reliquis exemplis adversarii hoc ad summum evincerent, verbum *implere*, aut aliud simile per se sumptum adhiberi aliquando in latiore significatione, ubi non agitur de vero vaticinii implemento, non vero id fieri cum recurrit

formula illa *ut impleretur scriptura:* testimonium vero Irenaei, ut modo diximus, commode accipi potest de vero implemento verborum Ex. XXXIII. 20, ideoque sententiae nostrae non officit. Auctores vero N. T. passim graviorem illam allegandi formulam usurpant, ubi cum verbo *implere,* particula *ut,* ἵνα vel ὅπως coniungitur, ut, ex. gr. Matthaeus I. 22, II. 15, 17, 23, IV. 14, VIII. 17, XII. 17, XXVII. 35, Iohannes XII. 38 40, XIII. 18, XV. 25, XVII. 12, XIX. 28 36 seq. et alibi.

Haec si attente perpendantur sufficere videntur ad ostendendum non posse adversarios nostrae sententiae certo stabilire in usu loquendi Hebraeorum, ea aetate, qua Apostoli scripserunt, praedictas formulas usurpatas fuisse in sensu lato et improprio, ubi de mera accommodatione agebatur, non de vero prophetiae alicuius implemento.

Haec sufficiant de hac quaestione; simulque de universa generali tractatione de variis Scripturae sensibus.

PARS SECUNDA

DE SENSU SCRIPTURAE INVENIENDO

PRAENOTANDA

Declaratis iis quae pertinent ad varios sensus in Scriptura exi-tentes vel qui ei tribui possunt, veniendum nunc est ad normas radendas quae ad ipsam Scripturam interpretandam necessariae tque utiles iudicari debent, quod Hermeneuticae biblicae proprium st ac formale obiectum. Quoniam vero, ut superius animadverti-nus, duo sunt omnino praestanda interpreti, et sensum *invenire*, t inventum convenienter aliis *proponere*, in hac secunda Parte *de ensu inveniendo* nobis agendum est.

Multa sunt, et fere innumera subsidia quae interpretem adiu-are possunt in inveniendo sensu S. Scripturae. Ne igitur absque nibus vagetur tractactio nostra statim distinguimus subsidia *re-nota*, a subsidiis *proximis* et *directis*. Haec sunt proprie *criteria* c *regulae* interpretationis, quae scilicet rite adhibita docent et periunt Scripturae sensum, illa vero, seu subsidia remota, non periunt proprie alicuius loci sensum, sed tantum disponunt in-erpretis mentem animumque ut facilius, ope regularum, sensum Scripturae intelligat (1). Nobis agendum erit de subsidiis proximis, et directis, seu de ipsis criteriis ac regulis interpretandi; de re-notis autem subsidiis, seu dispositionibus satis erit hic in anteces-um pauca adnotare.

(1) P. Patrizi haec quoque appellat *regulas*. Nam in op. cit. lib. 1. cap. V. xponit *regulas remotas* interpretationis literalis: et sub hoc titulo enume-at *pietatem*, *humilitatem*, *orationem*, *cognitionem linguarum* et *scien-iarum naturalium*, et alia huiusmodi, quae nobis videntur minus congrue ppellari *regulas* interpretandi, et opportunius vocari posse *subsidia* remota, eu *dispositiones*. Regulas autem vocabimus ea praecepta, quae proprie docent uinam sit in singulis locis Scripturae sensus.

Itaque dispositiones istae quas *subsidia remota* appellavimus, aliae pertinent ad *intellectum*, aliae ad *voluntatem*. Ad intellectum quod attinet, nemo potest tuto ad Scripturas interpretandas accedere aliarum scientiarum omnino ieiunus, ac praesertim Philosophiae, ac Theologiae, quarum notitia ad rectam Scripturae interpretationem omnino requiritur, ut ex rei natura evidens est. Praesupponenda quoque est cognitio Introductionis criticae in S. Scripturam, quam ideo Exegeticae seu Hermeneuticae praemisimus, ut suo loco declaratum est. Multum etiam confert ad interpretationis negotium promovendum notitia liberalium artium, item cognitio historiae ac geographiae antiquae, nec non linguarum praesertim orientalium. De his tamen aliqua dicenda erunt etiam in expositione regularum in Sectione 1ª huius Partis. Et generatim quidem affirmari potest, eo facilius interpretem muneri suo satisfacturum esse, quo maiori doctrina, eruditione, et cultura literaria ac scientifica instructus erit, dummodo tamen cetera non desint, et imprimis dispositiones morales de quibus mox dicturi sumus. Naturales etiam dotes hic praesupponi apertum est, imprimis acre ingenium, solidum ac maturum iudicium cum prompta ac tenaci memoria, quae si absint non possunt praeceptis et arte hermeneutica suppleri, ut pulchre notat Augustinus in Lib. II De Doctr. Christ. c. 9. — Haec quidem de intellectu.

Ex parte autem voluntatis dispositiones quaedam morales praes requiruntur, sine quibus studium Sacrae Scripturae non solum fa cile non esset, aut utile, sed neque tutum, imo periculi plenum. Quod enim de Verbo Dei incarnato dictum est, etiam de eius verbo scripto verum esse invenitur, illud scilicet positum esse in ruinam multorum, et in petram scandali, in quam scilicet impingunt qui animo non recte disposito ad illud scrutandum accedunt. Sancti Ecclesiae Patres de his animi dispositionibus praeclare locuti sunt, praesertim Hieronymus, Augustinus et Bernardus. Imprimis igitur requiritur animus a vitiis liber, et perversis motibus imperans cum scriptum sit: « Animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei; stultitia enim est illi, et non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur » (1 Cor. II. 14). Qua de re apte scribit Cassianus in *Lib. de spir. gastr.* c. 34: « Ideo tanta varietas erroresque inter tractatores (S. Scripturae) ipsos exorti sunt

quod plerique minime erga *purgationem mentis* adhibita diligentia, prosilientes ad interpretandum eas, pro pinguedine vel immunditia cordis sui diversa atque contraria vel fidei vel sibimet sentientes veritatis lumen comprehendere nequiverunt. » Tum vero fides, pietas, et amor rerum coelestium, reverentia, et Christiana animi demissio ad hoc studium necessario afferendae sunt : « Quo enim spiritu, inquit S. Bernardus, Scripturae factae sunt, eo spiritu legi desiderant, ipso etiam intelligendae sunt. Numquam ingredieris in sensum Pauli donec usu bonae intentionis in lectione eius, et studio assiduae meditationis spiritum eius imbiberis. Numquam intelliges David, donec ipsa experientia ipsius Psalmorum indueris affectus » (Epist. ad Fratres de Mont. Dei); et S. Augustinus in Lib. de Utilit. cred. « Amari, inquit, prius debet Scriptura quam disci: unde a multis, quia aut oderunt, aut non amant, ea non intelligitur. » Praeclara etiam de his habet S. Doctor in Libris de Doctrina Christiana, ubi pie, et sapienter declarat quomodo per virtutes tamquam per gradus ad istam Sapientiam perveniatur (Lib. II. c. 7); quod brevius hisce verbis enunciat in Lib. I. c. 40: « Cum quisque cognoverit finem praecepti esse charitatem de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta, omnem intellectum divinarum Scripturarum ad ista tria relaturus ad tractationem illorum Librorum securus accedat. » Ad humilitatem vero spectat quod legitur Prov. XI. 2: « Ubi autem est humilitas ibi et sapientia, » et de eadem dispositione ad Scripturas facilius et sine periculo intelligendas Augustinus in L. II. de Doct. Chr. c. 41: « Divinarum, inquit, Scripturarum studiosus cum ad eas perscrutandas accedere coeperit illud Apostolicum cogitare non cesset: *scientia inflat, charitas aedificat.* Ita enim sentiet, quamvis de Aegypto dives exeat, tamen nisi Pascha egerit salvum se esse non posse. *Pascha autem nostrum immolatus est Christus:* nihilque magis immolatio Christi nos docet quam illud quod ipse clamat tamquam ad eos quos in Aegypto viderit laborare: *discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* » Quoniam vero tum ipsae praefatae dispositiones a divina gratia pendent, tum in genere certum est: *omnem sapientiam a Domino Deo esse* (Eccli. I. 1) nihil est ad quod sancti Patres tum verbis, tum exemplo suo magis Scripturarum studiosos hortentur, quam ut suppliciter a Deo lumen

postulent: *oratio* igitur studio adiungenda est. Hanc passim sui interpretationibus miscet Augustinus in *Confessionum* libris, ub de difficilioribus Scripturae locis disputat, hanc Hieronymus fre quentabat in sua Palestinensi solitudine aliorum etiam orationi bus adiuvari saepissime postulans, hanc S. Thomas adhibuisse nar ratur, addito etiam in difficilioribus locis enodandis ad orationen ieiunio, hanc Cassiodorus, et Bernardus monachis suis in Scriptu ris meditandis commendabant, idque omnibus Scripturarum studio sis generatim commendandum esse docet Augustinus in L. III de Doctr. Christ. c. 37: « Non solum, inquit, admonendi sun studiosi venerabilium literarum, ut in Scripturis sanctis gener locutionum sciant, et quomodo apud eas aliquid dici soleat vigi lanter advertant, memoriterque retineant, verum etiam, quod es praecipuum, et maxime necessarium, *orent ut intelligant.* »

Et haec quidem de subsidiis *remotis*, seu dispositionibus.

Subsidia vero *proxima et directa* ad sensum Scripturae inve niendum sunt ipsa *criteria* ac *regulae* Hermeneuticae, de quibu nunc nobis diligenter tractandum est (1).

Consulto autem distinximus *criteria* a *regulis* licet a multis con fundantur ut synonima. *Criterium* enim interpretationis propr est illud omne, cuius consideratio aperit sensum S. Scripturae eiusque ostendit interpretationem, *regula* vero est proprie lex, v praeceptum quod criterii alicuius rectum usum inculcat, eiusqu practicam docet applicationem. Hinc est quod criteria hermeneutii pauca omnino sunt, regulae autem plurimae.

(1) Quaeri posset an hic agatur de solo sensu *literali* inveniendo, an ve de omnibus Scripturae sensibus. Tractatores Hermeneutices biblicae regul interpretationis tradere videntur pro solo sensu literali, de mystico aute seorsim pauca observant. Imo P. Patrizi in op. cit. Lib. I. c. 4 aggressur tractationem regularum hermeneuticarum, illam absolute inscribit: *Regul interpretationis literalis.* Huius rei ratio esse videtur, quod revera sens literalis sit praecipuus et generalis totius Scripturae sensus, in quo proin inveniendo praecipue adlaborare debet interpres, adhibitis regulis hermeneu ticis. Nobis visum est ab hac distinctione abstinere, et tractationem p ponere generalem de *sensu Scripturae inveniendo*, nulla facta distinctio inter sensum literalem, et mysticum. Quamvis enim de ratione invenien sensum mysticum satis multa dixerimus pro data opportunitate in superi Hermeneutices parte, multa tamen quae in hac altera Parte dicturi sum ad utrumque sensum aeque pertinent, imprimis ea quae in Sectione II. t demus de dogmaticis interpretationis regulis.

Ut autem ordine procedamus, sequentem divisionem tractationis sequemur ex ipsa subiecti natura desumptam. Recolendum est quod diximus et demonstravimus in Introductione Critica, scilicet S. Scripturam duplici charactere insignitam esse, duplicemque valorem habere, *humanum* nempe et *divinum,* est enim opus humanum quatenus ab hominibus et pro hominibus, et more loquendi hominum exaratum est; divinum autem quatenus, Deo inspirante conscriptum, Deum habet auctorem. Ex hoc autem statim sequitur ad intelligendos et interpretandos Scripturae Libros ex una parte adhibenda esse ea criteria easque regulas quae in hominum scriptis ac sermonibus interpretandis adhiberi solent, ex alia parte hasce regulas non sufficere, sed alias quoque esse applicandas. Non enim decet Dei verbum iis tantum regulis metiri quae verbum humanum respiciunt, et multa proculdubio consideranda, et cavenda sunt in Libris Divinis tractandis quae in libris mere humanis locum non habent. Duo igitur ordines criteriorum et regularum distinguendi erunt pro duplici respectu et charactere S. Scripturae. Primi ordinis criteria appellabimus *Rationalia,* quia in principiis humanae rationis fundantur, et a sana ratione suggeruntur: secundi ordinis criteria vocabimus *Dogmatica,* quia in dogmatibus revelatis fundantur, et ab iis descendunt (1). De utrisque distinctis Sectionibus agemus. Quibus absolutis, addemus tractationem de falsis quibusdam interpretationis biblicae criteriis, ac methodis a Rationalistis praesertim excogitatis, quorum refutatio maiorem lucem affundet universae Hermeneuticae, et ad soliditatem et veritatem Catholici systematis aestimandam, et vindicandam non parum conducet. Haec igitur erit divisio huius secundae Partis in tres Sectiones, quarum I^{a} tradet criteria et regulas rationales ad Scripturae sensum inveniendum; II^{a} complectetur regulas dogmaticas (2); III^{a} disputabit de praecipuis falsis regulis et methodis interpretandi S. Scripturam.

(1) Placuit multis primi ordinis regulas appellare *universales.* Quod minus accuratum videtur, ideoque praeponimus appellationem *rationalium.* Si enim ex una parte hae regulae a sana *ratione* suggeruntur, non sunt tamen huiusmodi ut possint semper *universis* humanis libris applicari: Scriptura enim etiam considerata sub respectu humano multa habet sibi propria quae non possunt per generales interpretandi leges semper definiri.

(2) Nonnulli recentiores biblici scriptores tractationem de regulis rationalibus vocant *Hermeneuticam Rationalem,* eam vero, quae est de regulis Dogma-

SECTIO I.

DE CRITERIIS ET REGULIS RATIONALIBUS INVENIENDI SCRIPTURAE SENSUM

Criteria rationalia vocavimus illa quae sacrae Scripturae Libros respiciunt sub eo respectu quo humani sunt, seu ab hominibus et more hominum conscripti. Ex hoc autem facile erit rationalem et philosophicam divisionem deducere ipsorum criteriorum in varias classes, quae huius Sectionis partitionem suppeditabit. Quoniam enim hic Libros sacros consideramus quatenus humano modo exarati sunt, ad eorum sensum inveniendum oportebit ad ea attendere, quae humani sermonis sensum determinant, et aperiunt. Porro tria sunt quae humanum sermonem definiunt, et a quibus illius sensus pendet. Primum est *vocabulorum significatio,* seu usus linguae illius gentis, illiusque aetatis, in qua auctor scripsit, qui quidem ab ipsius auctoris voluntate independens est, et est elementum quasi obiectivum. Alterum est ille influxus quem mens auctoris exerit in ipsa vocabula ut in certa quadam compositione aliquam ideam determinatam seu idearum complexum significent: significatio enim vocabulorum potest plures modificationes subire pro vario modo quo ab auctore componuntur, pro varia eius intentione et scopo, unde *significatio* vocum a *sensu* auctoris differt, ut alias animadvertimus, et potest quis singula vocabula alicuius loci apprime cognoscere quin tamen mentem auctoris, seu verum loci sensum intelligat; hoc igitur est elementum subiectivum ex *legibus cogitandi* dependens, et sermonis sensum determinans. Denique ipsa res quae ita intelligitur expressa ab auctore accuratius cognoscenda est, et supplendum illud quod auctor non expressit, sed lectoribus notum supposuit, alia quoque adiuncta externa in quibus auctor scribebat spectanda sunt; cum autem hic agatur de auctoribus antiquis, et de rebus parum nobis familiaribus in subsidium vocandae sunt *notitiae historicae,* seu aliunde petitae de natura, proprietatibus et circumstantiis eorum quae ab auctore dicuntur, et de adiunctis in

ticis appellant *Hermeneuticam Christianam*, et *Hermeneuticam Catholicam*. Cum tamen Hermeneutica proprie una sit scientia, quae illa omnia simul complectitur, maluimus diversas illas tractationes appellare partes seu *Sectiones*

quibus scribebat, et hoc est elementum extrinsecum quidem, sed ad plenam intelligentiam auctorum necessarium. Primum elementum appellari potest *philologicum*, alterum *logicum*, tertium *historicum*, quibus respondent totidem classes criteriorum et regularum rationalium, quas iisdem nominibus distinctas tribus capitibus separatim trademus.

CAPUT I.

DE CRITERIIS ET REGULIS PHILOLOGICIS

Criteria philologica revocantur ad *usum loquendi*, cuius cognitio manifeste necessaria est ad quemcumque auctorem intelligendum, et a qua necessario incipiendum est; frustra enim quis tentaret librum aliquem interpretari nisi linguam noverit qua ipse liber scriptus est. De hac tamen re multa quaeri possunt tum in genere tum in specie, ac plures regulae et animadversiones tradendae sunt ut quis hoc criterio recte uti possit in Scripturarum interpretatione. Quapropter ut ordinate in re satis implicata progrediamur, visum est tractationem in quatuor articulos dispescere, sequenti ordine: I° dicemus de usu loquendi *generatim* sumpto, II° de usu loquendi *biblico directe considerato* in Textibus originariis S. Scripturae. III° De usu loquendi biblico *indirecte considerato* in Vulgata Latina, seu quatenus peculiaris loquendi usus sacrorum Scriptorum ex parte saltem conservatus est in versione Latina, in qua plerique Scripturam legere solent. IV° Addemus specialem tractatiunculam de *tropis, et figuris*, quibus abundant Libri Sacri, et in quibus rite cognoscendis et explicandis non minima pars difficultatis usus loquendi biblici continetur (1).

(1) Conabimur in hac tractatione mediam viam tenere inter antiquiores biblicos scriptores qui philologicae eruditioni non satis tribuisse saepe videntur, et recentiores plerosque qui plus quam par est ei concedunt. Non solum enim rationalistarum libri de re hermeneutica, sed plurium etiam Catholicorum, qui recenter de Scripturarum interpretatione scripserunt immodice in philologica tractatione versantur, et maximam fere hermeneuticae rationalis partem in exponenda linguae Hebraicae, et Graecae indole, proprietatibus, fontibus, subsidiis operosissime impendunt. Conabimur itaque mediam

ARTICULUS I.

DE USU LOQUENDI UNIVERSIM SUMPTO

Usus loquendi definiri potest: « *Modus constans et uniformis, quo gens aliqua, certa quadam aetate, cogitationes suas verbis manifestat* » vel aliis verbis: « *Nexus inter cogitationes et certa signa, seu voces usu receptus ac firmatus* ». Constantia illa qua pollet usus loquendi tanta non est ut idem usus multis variationibus non sit obnoxius, quibus omnino attendere debet qui vult ex usu loquendi intelligere singulos libros praesertim antiquos. Oportet igitur de his aliqua exponere ; nam ex harum notitia fit ut quis usum loquendi cognoscat modo omnino determinato et concreto prout invenitur in auctore vel libro quem interpretari vult. Mutationes istae possunt ad quasdam classes revocari iuxta varias causas a quibus oriri solent. Sequentes igitur causae mutationum usus loquendi a philologis et criticis numerari solent.

1° *Diversitas temporum.* Omnes sciunt decurrentibus saeculis voces quasdam obsolescere, alias novas induci, aliarum significationem plus minus immutari, unde canebat Horatius:

Multa renascentur quae iam cecidere, cadentque
Quae nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,
Quem penes arbitrium est, et ius et norma loquendi.

Ita apud Latinos, et in linguis cognatis vox *tyrannus* primum significavit principem, regulum, deinceps transiit ad significandum eum qui despotice, et inhumane aliis dominatur; ita vox *imperator* quae primitus ducem exercitus designabat postea Romanos Caesares speciatim significavit; Tullius in Lib. 1 de officiis c. 13 idem docet de vocabulo *hostis:* « Hostis enim, inquit, apud ma-

viam tenere: nolumus enim harum rerum ieiunos esse tyrones, sed nec volumus Hermeneuticam sacram in grammaticam aut rhetoricam convertere. Quid autem sentiendum sit de Iahnii aliorumque opinione asserentium: *usum loquendi esse primum, et supremum interpretationis biblicae principium,* videbimus in *Appendice* Sectionis II. ubi de supremo hermeneutices principio disputabitur.

iores nostros is dicebatur quem nunc peregrinum dicimus... Quamquam id nomen durius iam effecit *vetustas;* a peregrino enim iam recessit, et proprie in eo, qui ferret arma contra, remansit.» In aliis linguis exempla plurima et obvia sunt. Neque ab hac lege immunes fuerunt linguae biblicae. Quamvis enim Hebraica ob specialem linguarum Orientalium tenacitatem multo minus hisce mutationibus obnoxia fuit quam temporis diuturnitas secumferre debuisset (a Moysi enim libris ad Prophetiam Malachiae duodecim ferme saeculorum spatium intercessit); quasdam tamen mutationes passa est, ita ut in Pentateuco non pauca occurrant obsoleta et antiquata quae in posterioribus Libris non leguntur, ut alias adductis exemplis ostendimus, contra vero in posterioribus Libris multa nova vocabula, novaeque formae imprimis Aramaicae paulatim inductae fuerunt, quae maxime observantur in Libris Ieremiae, Danielis et Esdrae. Graeca autem lingua N. T. parum ex hac causa immutari potuit cum omnes Libri N. T. intra spatium 50 annorum circiter exarati fuerint.

2° *Diversitas locorum et regionum.* Non solum enim in diversis populis diversae sunt linguae, sed in una eademque lingua nonnihil varietatis in diversis provinciis, ac locis observatur. Notae sunt quatuor dialecti graecae linguae quae inter se non parum differunt, a quibus tamen omnibus distinguitur dialectus Iudaeo-hellenistica qua Libri N. T. conscripti sunt. Huc pertinent etiam Cilicismi, seu idiotismi proprii provinciae Ciliciae, ubi Paulus ortum habuit, quos in eius Epistolis deprehendi affirmat S. Hieronymus in epist. ad Algasiam quaest. 10.

3° *Diversitas religionis, sectae, disciplinae.* Ex his enim peculiares voces, formae, et modi loquendi oriri solent. Ita verbum *facere* in usu religioso idem est ac sacrificium offerre, quod etiam in respondenti verbo hebraico עָשָׂה locum habet (cfr. Lev. IX. 6. 16, Num. XXVIII. 24): idem dicas de vocibus *praedestinatio, incarnatio, agape, peccatum,* et aliis pluribus quae in N. T. ex instituto religioso peculiarem significationem adeptae sunt paulo diversam ab ea quam in communi sermone praeseferunt. In Evangeliis, et in Epistolis Pauli quaedam occurrunt phrases quae propriae erant sectae Pharisaeorum, ut videbimus in sequenti articulo.

4° *Diversitas formae Reipublicae civilis* vel *Ecclesiasticae,* unde

peculiares significationes subinde vocibus quibusdam affingi solent, ita vox *pastor, pascere* in N. T. peculiari significatione accipitur de Episcopis, eorumque potestate ac munere. Huc pertinent etiam appellationes illae frequentes in Evangeliis: *Scribae, legisperiti, principes sacerdotum, Pontifex anni illius, archisynagogus, seniores,* sabbatum *secundo primum,* et aliae quae explicandae sunt iuxta statum reipublicae et synagogae Hebraeorum aetate Christi: item voces *iudicium,* et *concilium* in celebri illo testimonio Christi Domini Mat. V. 22. « Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit *iudicio;* qui autem dixerit fratri suo: raca, reus erit *concilio;* qui autem dixerit: fatue, reus erit gehennae ignis » ubi voces *judicium,* et *concilium* accipiuntur in significatione prorsus speciali ac technica pro duobus tribunalibus inferiore et superiore tunc apud Iudaeos existentibus pro diversa criminum natura et gravitate.

5° *Mores, ritus, consuetudines* populi, influxum suum exercent in mutanda significatione vocum. Huc pertinent ex. gr. tropi, et figurae sermonis quae ex moribus populi desumuntur et iuxta eos explicandi sunt. Ita phrasis *osculari manum suam* Iob. XXXI. 26. seq. significat *adorare*, quia Orientales adoraturi aliquem propriam manum osculantur; *contrahere manus* est cessare ab oratione quia manibus expansis orare solebant Hebraei; *fratres* et *sorores* sunt omnes propinqui, quia sic alter alterum compellare solebant.

6° Denique ipsius *scriptoris ingenium*, *character* et *peculiaris consuetudo* consideranda sunt, quia non parum influunt in usum loquendi, unde proprius uniuscuiusque auctoris stylus exurgit: qui nisi cognoscatur saepe, etiam lingua bene cognita, sensus obscurus manebit, aut non recte intelligetur. Ita apud Graecos ex. gr. Thucidides tot habet sibi propria ut Dionysius Halicarnasseus tractatum *de idiomatibus Thucididis* conscripserit. Apud Latinos Ecclesiasticos scriptores Tertullianus ita peculiarem dicendi modum sectatur ut etiam Latine scientibus multas difficultates ingerat. Apud sacros Scriptores peculiares loquendi formae occurrunt praesertim apud Iohannem, et Paulum, ut alias vidimus.

Hisce itaque de causis usus loquendi variatur, ac determinatur.

Quod attinet ad valorem huius criterii in libris interpretandis, si quaestio generatim ponatur, evidens est usum loquendi, seu potius eius notitiam esse unum ex fundamentalibus criteriis inter-

pretationis. Nemo enim potest librum intelligere ac interpretari nisi sciat linguam qua scriptus est. Verum ut hoc clarius intelligatur distinguimus tres modos, quibus usus loquendi considerari potest in ordine ad intelligendum et interpretandum aliquod scriptum; vel scilicet 1° *latiori sensu* pro usu loquendi illius gentis, et illius aetatis unde scriptum prodiit; vel 2° *strictiori sensu* pro usu loquendi peculiari et proprio illi auctori quem intelligere volumus; vel 3° *strictissime*, et in individuo, pro usu vel modo loquendi singulorum locorum quos interpretari volumus. Iamvero manifestum est cum loquimur de usu loquendi ut est criterium distinctum interpretationis non posse illum considerari tertio illo modo, seu in concreto et in individuo, sic enim consideratus iam supponit interpretationem factam, seu auctoris mentem iam cognitam; imo in hoc casu nec vocari potest proprie usus loquendi (1). Oportet igitur accipere usum loquendi primo modo seu pro lingua et modo loquendi totius gentis vel hominum classis ad quam auctor pertinebat, vel etiam secundo modo seu pro peculiari loquendi ratione illius auctoris quem interpretamur, dummodo tamen haec peculiaritas *constans* sit in illo auctore, et facile ex eius lectione dignoscatur, non autem pertineat ad unum vel alterum locum de cuius sensu nunc quaeritur. Hisce declaratis generalis regula est: « Vocabula et sententiae uniuscuiusque scriptoris accipiendae sunt iuxta eam significationem quam habebant apud eam gentem, et illa aetate ad quam scriptor pertinet, vel iuxta eum modum qui forte eidem scriptori proprius et familiaris est, nisi graves rationes aliunde petitae contrarium suadeant. » Postrema verba huius formulae limites assignant, intra quos coercendum est criterium de quo loquimur. Usus enim loquendi non est unicum et independens interpretationis criterium, sed una cum aliis criteriis seu logicis seu historicis spectandum est, et ex omnium consideratione interpretatio facienda, ut diximus cum de variis elementis loqueremur quae ad sensum humani sermonis determinandum concurrunt, et ut clarius apparebit in sequentibus Capitibus. Ceterum ubi alia criteria interpretationis non obstant recedere non

(1) Cum enim dicitur *usus* eo ipso indicatur non illud quod est singulare et individuum, sed quod est generale aliquo modo et commune, seu quod frequenter et plerumque fit.

oportet a consueta verborum significatione. Est autem hoc criterium tum *negativum*, tum *positivum*. Negativum quidem ad excludendam interpretationem falsam, scilicet: omnis interpretatio quae sine sufficienti ratione repugnat usui loquendi reiicienda est. Positivum autem ita: omnis interpretatio quam usus loquendi suggerit, si nihil obstet ex parte aliarum regularum, uti vera est habenda.

Postremo aliquid addendum est de ratione inveniendi seu addiscendi usum loquendi. Quae quidem quaestio licet videatur mere philologica, vel critica, magni tamen momenti est etiam in re hermeneutica: nam ex recta vel prava methodo, quam quis sequitur in usu loquendi investigando, recta vel prava interpretatio magna ex parte pendet, qua in re a recentioribus philologis multimode et gravissime peccatum est in Sacra Scriptura tractanda, ut postea videbimus. Quod pertinet igitur ad modum inveniendi usum loquendi, distinguendae sunt linguae vivae et adhuc vernaculae, a linguis mortuis et antiquis. Circa primum genus linguarum inutile esset de mediis eas addiscendi disserere, cum eas possimus ab eorum magisterio et consuetudine addiscere, qui eas linguas loquuntur inde a teneris annis. Si vero agatur de linguis mortuis et antiquis merito quaeritur undenam earum certam et accuratam notitiam nobis comparare possimus, cum nulli sint qui iis linguis nunc utantur, et in solis monumentis scriptis ac libris supersint. Inter multa media a criticis et philologis assignata quaedam sunt *primaria*, et proprie constituunt *fontes* unde hauriri potest notitia usus loquendi, alia sunt *secundaria*, quae potius *subsidia* quam fontes dicenda sunt.

1° *Fontes* itaque, nihil aliud sunt nisi *testimonia* fide digna, illorum scilicet, qui linguam, de qua quaeritur, callebant, et loquebantur, ac proinde de vocum et phrasium significatione testari potuerunt. Et merito quidem hi dicuntur *fontes* notitiae usus loquendi: nam quas notiones homines certae nationis et aetatis huic vel illi vocabulo aut phrasi adnectere soliti fuerint est quaestio facti, quae proinde per testes idoneos dirimenda est. Rursus autem fontes isti, seu testes dividi possunt in *immediatos* seu *directos*, et *mediatos* seu *indirectos*. Testes immediati et directi ad sequentes revocari possunt.

1°) *Scriptores illi qui eam linguam loquebantur*, de qua quae-

ritur, imprimis vero qui eadem prorsus aetate floruerunt ad quam pertinent auctores explicandi: quin imo ipsi isti auctores inter primarios hosce testes recensendi sunt. Siquidem isti omnes non raro vim et potestatem dictionum quas adhibent clare definiunt, adductis exemplis, adhibitis eorum synonimis, vel respondentibus vocibus alterius linguae. Ita de potestate vocum et phrasium latinarum quae a Cicerone adhibentur testimonium latinorum classicorum scriptorum in genere recipiendum est, imprimis vero eorum qui aevo Augusti floruerunt, et prae ceteris ipsius Tullii, qui in variis locis suorum operum puta in libris *de Officiis*, et *de Oratore* solet multarum dictionum significationem accurate, et subtiliter exponere.

2°) *Versiones, lexica, scholia, glossae, commentarii* aliaque similia opera ab auctoribus confecta qui lingua adhuc vivente floruerunt, eiusdemque voces vel omnes vel aliquas explicant. Huc pertinent ex. gr. opus Varronis de lingua latina, Auli Gellii *noctes Atticae*, Macrobii comm. in Somnium Scipionis. Haec quidem de fontibus immediatis. *Mediati* autem sunt

1°) *Traditio domestica* linguae iam demortuae. Exceptis enim casibus in quibus gens aliqua omnino deleta fuerit, linguae primaevae studium et notitia apud doctos uniuscuiusque gentis conservari solet et fideliter transmitti ad posteros etiam diu postquam eadem lingua ab ore vulgi recessit, ut factum est ex. gr. de lingua Latina, et de veteri, seu classica Graecitate. Haec autem traditio potissimum per institutionem, et usum scholarum conservatur, vel etiam per usum religiosum et liturgicum si de lingua sacra sermo sit, ut factum est ex. gr. de vetusta lingua Sanscritica, de Arabica literali, et de Hebraica, Graeca ac Latina.

2°) *Scripta philologica ab iis exarata qui post linguae fatum vixerunt*, illius tamen notitiam accuratam et perfectam habuisse credendi sunt. Huc pertinent versiones immediatae, imprimis illae quae literales ac serviles sunt, lexica a viris doctis confecta qui institutione scholari et maturo studio linguam profunde didicerunt, item scholia, commentarii philologici, denique opera grammaticalia et critica de linguae ipsius indole, proprietatibus, literatura etc.

Hi quidem sunt fontes tum immediati tum mediati unde hauriri potest cognitio linguae demortuae. Quos inter aliquod discri-

men auctoritatis, et utilitatis admittendum esse per se patet. Nam si auctoritas spectetur, maior ea est in testibus immediatis, quam in mediatis; rursus vero in variis testibus utriusque ordinis maior vel minor auctoritas pendet ex antiquitate, doctrina, diligentia aliisque dotibus uniuscuiusque. Si vero spectetur utilitas, seu practicus usus, paulo diversum ferendum erit iudicium. Practice enim ad linguam mortuam ediscendam maiorem et faciliorem usum praestant testes mediati et recentiores, quam immediati et coaevi (1); nam illi accuratius et subtilius indolem linguae investigarunt, et per longum et assiduum laborem, multorum simul accedentibus studiis, conati sunt pleniorem notitiam illius linguae aliis tradere lingua eis vernacula, vel certe familiari, ut videre est in grammaticis et lexicis recentiorum ex. gr. Henrici Stephanii pro lingua Graeca, et Forcellini pro Latina: dummodo tamen certum sit laudatos testes ex fontibus immediatis diligenter hausisse, quae tradunt, eaque fideliter exposuisse. Diversus quoque est singulorum testium usus pro maiori scilicet vel minori linguae notitia quae ex unoquoque hauriri potest. Et sub hoc respectu primum locum tenent *lexica* (quibus opera grammaticalia coniungenda sunt): in his enim non unum vel alterum vocabulum, aut quaedam tantum eius significatio explicatur, ut in glossis fieri solet, sed omnia linguae vocabula et secundum omnes vel praecipuas quas habere possunt significationes, idque ex generali et constanti usu non autem in casibus specialibus, et in particulari aliquo contextu, ideoque omnes linguae opes complectuntur. Secundum locum tenent *scholia* et *glossae* licet lexicis generatim antiquiores sint (2). Non enim omnia vocabula, omnesque significationes

(1) Quinimo ordinarie loquendo a testibus mediatis et recentioribus omnino incipiendum est; cum enim testes immediati et coaevi plerumque ea ipsa lingua scripserint quae nobis ediscenda est, impossibile esset eos consulere et intelligere nisi prius eiusdem linguae aliquam saltem notitiam hauserimus a testibus mediatis, qua notitia comparata, tum demum ipsos fontes immediatos adire licebit, ut ex eorum lectione et studio pleniorem et accuratiorem linguae cognitionem acquiramus.

(2) Hoc autem discrimen admitti solet inter *scholia*, et *glossas* proprie dictas, quod illa ipsum sensum auctoris exponant in locis difficilioribus iuxta contextum, historiam, rei naturam ceteraque hermeneutica subsidia; *glossae* vero proprie dictae potius significationem vocum obscuriorum breviter explanent.

explicant, sed eas tantum quae apud auctorem cui appositae sunt occurrunt; et insuper non solum usui loquendi innituntur sed etiam contextui, aliisque adminiculis interpretationis. Succedunt tertio loco *commentarii* qui generatim loquendo glossis recentiores sunt, quamvis sub alio respectu possunt saepe illis anteponi, quod scilicet uberiorem philologicae eruditionis copiam contineant. Postremo loco veniunt *versiones*, quae licet antiquissimae sint, reliquis tamen fontibus postponendae sunt, saltem ordinari eloquendo. Versiones enim sensum textus originalis simpliciter referunt prout ex contextu, ex rei natura aliisque criteriis eruitur, et quidem servata proprietate linguae, in quam translatio facta est. Quare difficile est singulorum vocabulorum originalium vim et potestatem ex sola versione determinare. Praeterea aliud incommodum accedit quod saepe suspicio adest ipsam antiquam versionem decursu aetatum aliquatenus corruptam fuisse, aut incertum est an alias lectiones textus sequuta fuerit paulo variantes ab hodiernis ipsius textus exemplaribus. Et haec quidem de *fontibus*.

2° *Subsidia* vero philologica revocantur ad examen philosophicum ipsius linguae cuius usum quaerimus. Examen autem hoc complectitur comparationem ipsius linguae vel *internam* vel *externam*. Comparatio interna comprehendit *studium etymologiae*, et *analogiae linguae* ipsius: comparatio externa est collatio linguae cum *aliis linguis*, vel *dialectis affinibus*.

Dicamus breviter de singulis.

Investigatio etymologica versatur in deducenda significatione *derivatorum* ex significatione *radicis*, et significatione *compositorum* ex notione *simplicium componentium*. *Analogiae* studium ad hoc revocatur ut ex significatione *formarum*, *vel loquutionum similium* statuatur potestas obscuriorum dictionum. Demum scopus *comparationis externae* hic est, ut vis et significatio alicuius vocis vel formae determinetur ex vi et significatione, quam habet eadem vel similis dictio in *linguis vel dialectis cognatis*. Dicuntur autem cognatae linguae vel illae, quae ex communi stipite ortum habent, ut, puta, linguae Italica, Hispanica, Lusitanica ex lingua latina, quae idcirco inter se comparatae linguae *sorores* vocari solent, vel illae quarum una ab altera procedit, ideoque *filiae* respectu linguae *matris* appellantur, ut ex. gr. linguae su-

perius memoratae in ordine ad linguam latinam. Si vero non solum cognatae et similes sunt inter se, sed in substantialibus omnino conveniant, et tantum in quibusdam accidentalibus differant vocantur potius *dialecti* quemadmodum sunt ex. gr. quatuor praecipuae dialecti Graecae linguae, et intra fines linguae et regionis Italicae dialecti Veneta, Mediolanensis, Bononiensis etc.

De his internis, externisque *subsidiis* hoc primum statuendum est, non esse unice aut principaliter ex iis stabiliendum usum loquendi (seu potestatem vocabulorum, et dictionum alicuius linguae mortuae), sed secundo loco habenda esse, ut scilicet per ea confirmetur et illustretur usus loquendi per fontes illos primarios et externos superius memoratos iam inventus ac constitutus. Huius rei ratio est ea, quam superius innuimus, nempe quod quaestiones facti per testes idoneos primario dirimendae sunt, non autem per internas et philosophicas rationes, seu coniecturas. Praeterea id confirmatur ex diligenti inspectione ipsorum subsidiorum, ex qua manifesta fit eorum fallacia in pluribus casibus. Quod utinam attendissent recentiores philologi, quorum plurimi nimium concedentes huic philosophicae linguarum investigationi, neglectis testimoniis ac domestica traditione, plures novas et insuetas significationes vocibus tribuerunt, atque ita sensum plurium locorum etiam Sacrae Scripturae omnino perverterunt. Itaque *investigatio etymologica* linguae antiquae, licet non spernendum subsidium praebeat in valore derivatorum vel compositorum perspiciendo, per se tamen tutam normam non constituit. Saepe enim fit ut radicis significatio in derivatis paullisper immutata sit ex consuetudine vel alia de causa, aut ex duplicis componentis significatione tertia quaedam in composito exurgat quae ex illis divinari non possit. Ita ut e linguis notioribus exempla afferamus, graecum vocabulum αναγινοσκω componitur ex ανα quod est *rursus*, et γινοσκω quod est *cognoscere*, quis unquam posset ex his divinare significationem *legendi*, quae verbi illius propria est? ita etiam verbi καταγινοσκω significatio *condemnandi* vix unquam colligi posset ex sola notione componentium. *Analogia linguae* et ipsa multa praestat commoda in linguarum usu dignoscendo: imprudenter tamen quis confideret, neglecta traditione ac fontibus. Nulla enim est lingua quae suas anomalias et exceptiones non habeat, in quibus proinde analogi

deficit, et in errorem inducere potest. Ita ex. gr. analogia latinae linguae est quod verba desinentia in *o* activa sint, passiva vero in *or:* falso tamen exinde concluderes verba *vapulo* et *veneo* activam significationem habere, aut viceversa *sequor* et *furor* passivam. Denique *comparatio externa,* seu cum dialectis vel linguis cognatis, multis erroribus occasionem praebere potest, etiamsi intra debitos limites contineatur, et non ad linguas nimis diversas extendatur, ut a nonnullis fit cum magna laboris ac temporis iactura. Sane, licet eadem vocabula vel radices in pluribus cognatis linguis reperiantur, non semper tamen significatio eadem mansit, ac proinde ab una lingua ad aliam conclusio non semper valet, nisi forte omnes omnino dialecti et linguae affines in eamdem significationem conspirarent, quod validum certe argumentum, sed admodum rarum, praeberet. Exempla fere innumera afferri possent ex linguis occidentalibus: ita ex: gr: vox *parentes* apud Latinos genitores designat, in linguis vero italica et gallica omnes propinquos; vox *pecus* apud Latinos genericam habet significationem, apud Italos vero specificam pro ove, vice autem versa voces *denarium, domina,* specifice apud Latinos, generice vero apud Italos sonant. Ita etiam, verbum *stare* multo latiorem significationem habet apud Italos et Hispanos quam apud Latinos. Multa alia exempla afferri possent ex linguis Germanica, Anglica, Batavica aliisque familiae Teutonicae inter se comparatis.

Haec pauca de usu loquendi generatim inspecto adnotasse sufficiat. Nunc ad rem nostram propius accedemus et considerabimus in specie usum loquendi biblicum, eius indolem, et rationem qua nobis discendus est. Verum operae pretium duximus hanc quaestionem in duas partes dividere; nam Scriptura Sacra ad nos pervenit, et in manibus fidelium versatur duobus modis, scilicet vel in textibus originariis, seu illa ipsa lingua, qua singuli libri a suis auctoribus scripti sunt, vel in variis versionibus, seu linguis ab originaria diversis, imprimis vero in Vulgata latina versione, quae solemniter ab Ecclesia probata est et authentica declarata. Cum igitur quaerimus notitiam usus loquendi biblici possumus hoc intelligere vel de usu loquendi, quatenus in textibus et linguis originariis sacrorum Librorum reperitur, vel de usu loquendi quatenus in versionibus extat, puta in versione Vulgata, quae licet

latina dicatur et sit, tot tamen peculiares loquendi modos praeseferat, ut vere dici possit proprium usum loquendi habere, necessario investigandum interpretibus et addiscendum. Itaque secundum hunc duplicem respectum distincte tractabimus de usu loquendi Sacrae Scripturae.

ARTICULUS II.

DE USU LOQUENDI BIBLICO DIRECTE CONSIDERATO IN TEXTIBUS ET LINGUIS ORIGINARIIS SACRAE SCRIPTURAE.

Quaenam sint linguae originariae quibus Sacri Libri conscripti fuerunt saepe in Critica Introductione diximus. Sunt scilicet tres: *Hebraica, Chaldaica,* et *Graeca.* Hebraica quidem lingua libri omnes protocanonici V. T. exarati fuerunt, et in eadem lingua adhuc supersunt, et constituunt proprie dictum *Textum hebraicum.* Chaldaica lingua licet quidam integri libri conscripti fuerint nunc tamen tantummodo quaedam capita extant in Libro Danielis (II. 4-VII. 28) et in Libro I Esdrae (IV. 8-VII. 26). Demum Graecam linguam praeseferunt septem libri deuterocanonici eiusdem V. T. et integrum N. T. (1) Itaque nobis agendum est in hoc articulo tum de usu loquendi hebraico V. T., cui affinis est chaldaicus partium Danielis et Esdrae, tum de usu loquendi graeco Agiographorum utriusque Testamenti. De utroque vero triplicem quaestionem instituemus: 1° De peculiari indole seu natura praefati usus loquendi. 2° De eius notitiae utilitate atque valore in hermeneutica Biblica. 3° De recta methodo linguas Biblicas ediscendi, quatenus id cum recta Scripturarum intelligentia connexionem habet.

(1) Haec intelligenda sunt iuxta ea quae diximus in Critica Introductione scilicet quod nonnulli ex laudatis libris a suis auctoribus prodierunt lingua aliqua Semitica, idest vel Hebraica, ut Baruch 1. Machabaeorum et Ecclesiasticus, vel Chaldaica ut Iudith et Tobias vel dialecto Syro-chaldaica ac Hierosolymitana, ut Evangelium Matthaei, nunc tamen, deperdito originali textu, horum librorum Graeca versio ad instar textus habetur: coeteri vero originario in lingua Graeca apparuerunt.

§ I. De indole hebraici et graeci Textus Sacrae Scripturae. Seorsim dicendum est primum de textu hebraico et chaldaico, tum vero de textu graeco.

I. De Textu hebraico eiusque indole pauca adnotasse sufficiat: cum enim alii libri praeter Sacram Scripturam non supersint Hebraica lingua conscripti ante eiusdem linguae fatum, quidquid grammatici et philologi de hebraico sermone tradunt ad Sacrum textum omnino pertinet, et ab iis propterea ediscendum est. Praestabit tamen pauca ex his colligere, aut in mentem revocare.

Lingua Hebraica ad illam linguarum familiam pertinet, quas veteres solebant *Orientales* appellare, recentiores vero *Semiticas* vocare amant, quamvis neutra appellatio accurata sit. Praecipuus huius familiae ramus constituitur ipsa lingua Hebraica, una cum *phoenicia*, et *punica*, seu carthaginiensi, quae vix ab ea differebant, et dialecto, uti aiunt, *neo-hebraica*, quam recentiores Iudaeorum doctores ex veteri lingua cum extraneis elementis plus minus commixta, et in formis leviter immutata, sibi paulatim efformarunt. Diu inter criticos quaestio agitata est, utrum lingua Hebraica primitiva generis humani lingua dicenda sit, ab ipso Deo protoparentibus communicata. Antiquiores plerique affirmabant, recentiores fere omnes negant: ex progressu enim philologiae comparatae, seu scientiae, uti vocant, linguisticae, philologi plerique in hanc sententiam devenerunt, primitivam hominum linguam nusquam amplius existere sed eius tantum vestigia et veluti fragmenta in linguis nunc notis superesse ac praecipue in illis quae antiquiores sunt, et linguae *matres* seu stipites familiarum appellantur. Non est hic locus argumenta hinc inde afferri solita exponendi aut propugnandi (1).

Licet hebraica lingua in variis libris V. T. paullisper differat,

(1) Qui pleniorem harum rerum notitiam cupiunt adire possunt celebriores linguisticae scientiae tractatores, Schlegel, Adelung, Müller aliosque recentiores; ex his tamen plerique cum magna cautela legendi sunt, utpote qui vel praeiudiciis occupati, vel scientiae religionis ignari saepe erroneas aut periculosas opiniones sequuntur. Placet tirones remittere ad duas priores *praelectiones* Card. Wiseman *De connexione inter scientiam et revelatam religionem*, nec non ad alium auctorem nunc parum notum, sed eruditione et solido iudicio praestantissimum P. Bonif. Finetti in: *Trattato della Lingua Ebraica e sue affini*, Venezia 1756. Lezione 1. et 3.

universa tamen eius indoles eadem ubique est. Haec autem sequentibus hisce proprietatibus constat, quae fere communes sunt etiam laudatis chaldaicis pericopis. Singula vocabula consonis tantum literis scribuntur, quemadmodum generatim in tota stirpe Semitica: radices ut plurimum triliterae sunt: voces compositae fere nullae praeter nomina propria: in quibusdam vero orationis partibus magna inopia observatur. Et haec quidem partem *lexicalem* linguae spectant. Quod attinet autem *characterem grammaticalem* imprimis nomina genus tantum masculinum et foemininum habent, neutro carent, cuius loco saepe faemininum usurpatur; articuli desunt, sed eorum loco praefixum *he* demonstrativum absque generis, casus et numeri distinctione usurpatur: pronomina pauca et imperfecta, sed eorum locum suffixa plerumque tenent: casuum diversitas non quidem nominis inflectione et desinentia exprimitur, sed, indeclinabili manente forma nominis, vel positione, vel praefixi vel pronunciatione aut tantum sensu distinguitur. Formae comparativae omnino desunt, eaque relatio vario artificio, aut circumlocutione exprimitur. In verborum coniugatione magna apparet diversitas a nostris linguis: imo coniugationes proprie dictae non existunt, sed unum idemque verbum mutata paullisper literarum positione, aut pronunciatione, vel assumptis auxiliariis literis, diversas *formas* induit diversasque significationes: modorum et temporum formae admodum paucae sunt, caeterae vero propriis quibusdam modis, et vocum constructionibus supplendae sunt. Universim inspecta Hebraica lingua tum in copia verborum, tum in numero et distinctione formarum grammaticalium Arabica longe inferior est, Aramaicae vero vel aequatur vel paullisper antecellit. Haec quidem universae Hebraicae linguae communia sunt. Diximus tamen quasdam diversitates observari inter linguam diversorum librorum. Huc enim pertinent quae in superiori articulo dicta sunt de variis mutationibus quibus linguae obnoxiae sunt, et de causis unde oriri solent. Quinimo mirandum est non ita graves apparere mutationes in lingua V. T., cum eius libri per totum spatium duodecim fere saeculorum conscripti fuerint. Sed id repetendum est ex peculiari tenacitate, et traditionali charactere populorum, et linguarum orientalium. Nihilominus tamen mutationes non defuerunt. Et quidem in Pentateucho antiquissimo inter Hebraeorum scripti

multa occurrunt archaica, sive in vocibus sive in formis, puta in pronomine foeminino, in pronomine demonstrativo plurali, in foemininis quibusdam masculinam formam servantibus, et aliis nonnullis, quorum exempla adducta sunt in prima parte Introductionis Criticae Sect. II. Cap. II. a. 3. In posterioribus etiam libris aliqua differentia occurrit si conferantur libri circa tempus captivitatis Babylonicae, vel postea conscripti cum antiquioribus: in illis enim plus minusve recurrunt elementa peregrina imprimis vero Aramaica, qualia sunt ex: gr: frequens usus שׁ praefixi loco pronominis relativi אֲשֶׁר item voces nonnullae, ut יָחָם *genus, familia,* גּוּפָה *corpus.* זְמַן *tempus,* מְדִינָה *provincia,* בִּירָה *arx, sedes regia* et aliae plures, donec in posterioribus libris integrae pericopae Aramaica dialecto exaratae occurrunt. Utrum locorum etiam et regionum diversitas mutationibus originem dederit, seu variis *dialectis* Hebraicae linguae, certo definiri nequit. Argumenta quae afferri solent ad hoc demonstrandum satis solida non videntur. Quae enim afferuntur ex Evangelio Matth. XXVI. 73, ubi Petrus ad prunas sedens ex *loquela* se Galilaeum prodidit, et ex Actibus Apostolorum II. 7 et 8, ubi pariter ad Galilaeorum loquelam alluditur, vix ad rem pertinent. Non enim amplius agebatur de lingua Hebraica proprie dicta, sed potius de idiomate Syro-chaldaico, quo Palestinenses tunc vulgo utebantur. Et licet exinde posset utcumque inferri vel praesumi etiam antiquius, et in ipsa lingua Hebraica eamdem diversitatem apud Galilaeos observatam fuisse, difficile esset demonstrare eam ad ipsius linguae naturam pertinuisse, et non tantum ad pronunciationem, quod tantum citata loca innuere videntur: certe diversitas illa in voce *scibbolet* efferenda, quae occasionem dedit stragi Ephraimitarum (Iud. XII. 6) nonnisi pronunciationem vocis respicit. Mutationes quoque politicae, et religiosae nonnullas variationes in vocum significatione induxerunt, quarum exempla affert Iahnius ex Ernestio. Ita ex: gr: vox נְתוּנִים *dati, donati,* in Pentateucho *Levitas* designat (Num. III. 19, VII. 17 et 19), post tempora vero captivitatis sub chaldaica forma נְתִינִים designat *mancipia* templo donata. Ita etiam vox אִי, אִיִּים quae in Pentateucho *regionem maritimam* vel *oram,* imprimis maris mediterranei significat, deinceps adhibita est vel ad quamcumque remotam regionem designandam (verbi gr. Ps. LXXII. 10, XCVII. 1), vel

speciatim *insulam,* ut Esther X. 1. et alibi. Nec desunt exempla vocum Aegyptiacarum, Assyricarum, et Persicarum in posterioribus praesertim libris, ut eruditi viri notarunt. Denique ex peculiari vel indole et cogitandi ratione, vel conditione et adiunctis uniuscuiusque auctoris quaedam propria et singularia occurrunt, ut ex. gr. in Libro Iob, in Ecclesiaste, in Daniele et in Exechiele videre est (1). Quod pertinet in specie ad pericopas chaldaicas, praeter ea quae universae familiae Semiticae propria sunt, quaeque proinde ad eas etiam referuntur, notandum est, in iis attendendam esse peculiarem indolem dialecti Aramaicae. Differunt tamen a lingua paraphraseon chaldaicarum, ex quibus tantum paraphrasis seu Targum Onkelosi ad Chaldaismum Biblicum propius accedit, aliae vero recentiores ab eo non parum discedunt. Huius rei ratio repetenda est vel ab epochae diversitate, vel, ut alii suspicantur, ex influxu, quem lingua Hebraica Esdrae et Danieli familiaris in easdem pericopas ab eis scriptas exercuerit. Quamvis enim in iis plerumque referantur sermones, vel epistolae, aut decreta ex aula regum Babylonis profecta, potuerunt tamen Daniel et Esdras in iis referendis voces et stylum hebraico elemento paullisper immiscere, puta, ut a plebe Hebraeorum facilius intelligerentur. Nec est omittendum Massorethas per punctationem hebraicam hisce partibus applicatam aliquam immutationem saltem in pronunciatione, et in externo habitu verborum in easdem forte invexisse.

II. De indole Graecitatis N. T.

De hac re controversia extitit imprimis saeculo XVII praesertim inter Protestantes. Nonnulli enim, qui *puristae* dicti sunt, contendebant sermonem Graecum quo sacri libri exarati sunt purum et accuratum dicendum esse, alii ex adverso, qui *Hebraistae* vocabantur, asserebant eosdem libros a pura Graecitate longissime

(1) Plura dabunt de indole hebraismi biblici eruditi philologi, qui hanc provinciam ex professo, uti aiunt, illustrarunt, cuiusmodi sunt ex. gr. inter antiquiores Guarinus in *Grammatica Hebraica*. Glassius in *Philologia Sacra*. Lowth in Op. *De sacra Poen. Hebraeorum*. et ex recentioribus imprimis Gesenius tum in *Grammatica Hebraica*. et in *Historia linguae Hebraicae*. tum in suo *Thes. Philolog. critico* eiusdem linguae. Legi quoque meretur supra laudatus Tractatus P. Finetti, *Della lingua Ebraica e sue affinità* nec non accurata et subtilis de hac re tractatio in Kohlgrüber *Hermeneutica biblica generali* §. 27-32 (pag. 42 seqq.).

distare propter Hebraismos, Aramaismos aliaque eterogenea elementa graecis vocabulis commixta. Ut fieri solet in huiusmodi controversiis, ex utraque parte exaggeratum est. Puristae enim pertinaciter negabant idiotismos Semiticos, collectis et corrasis undique exemplis auctorum Graecorum, praesertim Christianorum, et quidem sequioris aetatis, ut ostenderent omnes voces et phrases Sacrorum Scriptorum proprie graecas esse: non attendebant vero quod multa exempla ab eis adducta ad rem non pertinerent, alia possent ex eo explicari quod Christiani scriptores stylum Sacrae Scripturae aliquando imitati fuerint, pro multis denique vocabulis et phrasibus quae iis obiiciebantur tamquam hebraici idiotismi, nulla prorsus exempla, nullasque rationes ad eorum graecitatem defendendam afferre possent. Hebraistae etiam vicissim nimis faciles erant in excludenda graeca origine et indole multarum dictionum, quae optime defendi potuissent. Nunc inter omnes eruditos et criticos tum Catholicos tum Protestantes convenit linguam et stylum Graecum Librorum N. T. (idem plus minus dicendum est de libris deuterocanonicis V. T.) nec classicam Graecitatem referre, nec ad ullam ex notis quatuor dialectis Graecorum revocari posse, sed peculiarem constituere dialectum quam *hebraeo-hellenisticam*, vel *hebraeo-Alexandrinam* appellare placuit. De huius dialecti indole ac proprietatibus multi multa scripserunt (1). Nobis satis erit hic pauca adnotare. Duo sunt quae indolem graecitatis N. T. constituunt ac determinant: primum elementum, et quasi substratum est dialectus Graeca quae seriori aetate per imperium Macedonicum, ac imprimis in Alexandrina provincia, populari et communi usu vitae frequentabatur, « quae quidem Alexandrina dialectus, (inquit Schottius in Isagoge in Libros N. T. §. 23) ab antiquiori et classica Graecitate eo maxime differebat, partim quod quae olim diversis graecorum dialectis propria fuerant in orthographia, pronunciatione, flexione nominum atque verborum, genere substantivorum, vocabulorum formis, singulisque vocibus, promi-

(1) Inter plures auctores qui hac de re scripserunt prae caeteris legi potest Theodorus Beelen in *Gramm. Graecitatis N. T.* quae ad normam grammaticae a Geor. Winero vulgatae exarata est, multis tamen auctoris eterodoxi opinionibus correctis, multisque aliis additis, aut in melius adductis. Vide huius Operis praesertim Sect. I.

scue adhibebat, partim haud pauca secundum analogiam recens formata usurpabat. » Hoc igitur est veluti fundamentum graecitatis Biblicae: siquidem Agiographi et imprimis Apostoli graecam linguam, qualis in populo vernacula erat postquam Hebraei sub dominationem Macedonicam inciderant, usu didicerant. Verum huic graeco elemento alterum, et quidem varium ac multiplex, superinductum et immixtum fuit a nostris scriptoribus, idest, plures voces, phrases et constructiones verborum ex eterogeneis linguis mutuatae, scilicet praecipue ex sermone Hebraico et Aramaico, tum etiam ex Rabbinica dialecto, immo ex lingua quoque latina, aegyptiaca et persica: quod quidem facile explicatur ex adiunctis in quibus Iudaei versabantur cum Apostoli suos libros conscripserunt. Horum omnium exempla accurate referunt recentiores multi biblici scriptores: hic sufficiat praecipua quaedam innuere. Ad *Hebraismos* et *aramaismos* pertinent imprimis voces bene multae omnino hebraicae graecis literis expressae, uti sunt αββα (אַבָּא), ακελδαμα (חֲקַל דְּמָא) *ager sanguinis*, αλληλουια (הַלְלוּיָהּ) *laudate Deum*, βοανεργες (בְּנֵי רַעַשׁ) *filii tonitrui* (Mar. III. 17), Μεσσιας (מָשִׁיחַ) *Unctus*, ρακα (רֵיקָא) *homo vanus, despicabilis*, Ταλιθα κοῦμι (טַלִיתָא קוּמִי) *Puella surge*, (Mar. V. 41), εφφαθα *adaperire* (Mar. VII. 34), item notae voces *amen*, *hosanna* et aliae nonnullae. Deinde vero attendenda sunt formae grammaticae, et loquendi modi ex lingua hebraica vel omnino, vel saltem in eo sensu qui adhibentur derivatae. Huiusmodi sunt ex: gr: δεκαδυο pro δωδεκα (Act. XIX. 7); εγκαινια *encaenia* (Io. X. 22), et εγκαινιζειν *encaeniare* (Hebr. IX. 18.); προσωπον λαμβανειν, *accipere faciem*, idest respicere personam (Luc. XX. 21.), et προσωπολημπτειν (Iac. II. 9;) υιος ειρηνης *filius pacis* Luc. X. 6 pro homine pacifico; ποιειν ελεος (χαριν) μετα τινος *facere misericordiam cum aliquo*; αποκρινεσθαι *respondere* (עָנָה) ubi nulla interrogatio praecessit; ζεθειν την ψυχην τινος *quaerere animam alicuius* (Matth. II. 20); γενεσθαι θανατου *gustare mortem* (Matth. XVI. 28); πορευεσθαι *ambulare* in sensu morali; εξομολογεισθαι *confiteri* cum dativo pro *laudare*, et alia plura. Huc pertinet etiam usus particulae ει (אִם) in formula iurandi Iud. I. 12. Mar, VIII. 12; superlativum expressum per praepositionem εν sequente dativo, ex: gr: Eccli. XI. 3;

Luc. I. 28; adverbium *rursus, iterum* expressum per verbum προστιθεναι *apponere* constructum cum verbo sequente, et alia huiusmodi. Ad *Rabbinismos* pertinet frequens dictio σαρξ και αιμα, *caro et sanguis,* pro homine in genere, vel pro affectibus humanis, praesertim mundanis et carnalibus; παρακλησις του Ισραηλ, *consolatio Israel* Luc. II. 25 pro Messia; καινη κτισις, *nova creatura* Gal. VI. 15: item ratio citandi libros vel Sectiones V. T. ex usu doctorum Iudaicorum, et Synagogarum desumptus est, ut Mar. II. 24 επι Αβιαθαρ, idest, I. Regum XXI. XXII; Mar. XII. 26 επι της βατου, idest, Exodi III. 2 et seqq.; Rom. XI. 2 εν Ηλια idest 3 Regum XIX. 10 seqq.; in Epistolis Pauli, qui Pharisaeorum sectae addictus fuerat, multa observantur praesertim in ratione argumentandi ex textibus Scripturae, quae ad Rabbinorum usum referri possunt. Ad Latinismos pertinent imprimis multae voces omnino latinae in graecum Textum assumptae ex. gr. δηναριον *denarius*, κεντυριον *centurio,* κηνσος *census* (Matth. XVII. 25), κοδραντης, *quadrans*, seu quarta pars assis Matth. V. 26, κουστωδια *custodia* Matth. XXVII. 65, κολωνια *colonia* Act. XVI. 12, λεντιον *linteum* Io. XIII. 4, σουδαριον Act. XIX. 12, σπεκουλατωρ, *speculator,* a *spiculo,* quod gerebat Mar. VI. 27, τιτλος *titulus,* inscriptio, Io. XIX 19, φραγελλιον *flagellum* et γραγελλειν *flagellare* Matth. XXVII. 26 Io. II. 15. Praeterea integrae phrases seu loquendi modi ex lingua latina desumpti occurrunt, ut: συμβουλιον λαβειν *consilium capere* Matt. XII. 14; ικανον ποιειν τω οχλω *satis facere populo* Mar. XV. 15; εργασιαν δουναι *operam dare* Luc. XII. 58, et alia huiusmodi. Ad *Persicas* voces referri solent: αγγαρευειν *angariare,* seu cogere ad opus Matth. V. 41, XVI. 32. al., γαζα *gaza* Act. VIII. 27 pro thesauro, unde vox persico-graeca γαζοφυλακιον *gazophylacium,* idest aerarium Marc. XII. 41, μαγος *magus,* et μαγευειν magicam artem exercere Matth. II. 1. Act. VIII. 9, παραδεισος *paradisus* Luc. XXIII. 43. Ad *Aegyptiacam* linguam nonnulli referunt sequentes voces: βαϊον *ramus palmae* 1 Mach. XIII. 51. Io. XII. 13, οθονιον *linteum* sepulchrale Io. XIX. 40, σινδων *sindon* Matth. XXVII. 59. *Arabicas* voces et phrases in graeco Scripturae Textu inveniri contendunt Michaelis et Boltenius, quae videri possunt simul collectae in A. Arigleri Hermeneu-

tica §. 40; sed plerisque eruditis incerta videntur. Et haec sufficiant de indole usus loquendi originarii Sacrae Scripturae.

§. II. De valore et usu notitiae linguarum originalium in Hermeneutica Biblica.

In hac quaestione media via incedendum est inter duas contrarias et extremas opiniones, eorum scilicet qui linguarum scientiam, eiusque usum aut interdicere volunt in Scripturae studio, aut nimis parvi pendunt, et eorum qui totam fere Hermeneuticam ab hoc studio seu a philologica eruditione pendere autumant. Primam opinionem sectati sunt quidam ex antiquioribus Theologis, alteram passim inculcant recentiores exegetae qui rationalismi placitis imbuti sunt, et nonnulli ex catholicis liberioris scholae imprimis Io. Iahnius. Inter eos qui primam opinionem defendebant nonnulli eousque progressi sunt ut dicerent post declarationem concilii Tridentini de authentia Vulgatae Latinae non amplius licere ad linguas et textus Scripturae originales confugere in Scripturis interpretandis, sed unice latinae Vulgatae adhaerendum esse, praesertim cum textus ipsi, saltem Hebraicus et Chaldaicus, iuxta eorum opinionem interpolati et corrupti ad nos pervenerint. De hac exaggerata et superstitiosa sententia nihil dicemus, tum quia hodie obsoleta est, et nullos habet fautores, tum quia nonnulla contra eam pro data occasione disputavimus in Introductione Critica Par. I. Sect. II. ubi de valore et authentia Vulgatae Latinae agebatur. Alii vero quamvis concederent studium linguarum Biblicarum licitum esse, inutile tamen existimabant, eo quod versionem latinam una cum sacrorum Doctorum commentariis ad omnes usus interpretum abunde sufficere arbitrarentur. Contra istos potissimum utilitatem Biblicae philologiae defendendam suscipimus, ita tamen ut ab excessu et abusu recentiorum philologorum apprime caveamus, de quorum sententia proposuimus seorsim tractare in appendice Sectionis II. huius partis ubi agemus de supremo Hermeneutices biblicae principio. Interim sequentem thesim demonstrare aggredimur.

THESIS IX.

Studium linguarum et Textuum originalium Sacrae Scripturae omnibus quidem sacrarum scientiarum cultoribus utile est, iis vero qui Scripturas profundius intelligere, et adversus impugnantes vindicare satagunt, sub aliquo respectu etiam necessarium.

Si Scriptura in suis originariis linguis tantummodo ad nos pervenisset, inutile esset quaerere de utilitate studii et scientiae earumdem linguarum: tunc enim studium huiusmodi unica via esset ad Scripturarum intelligentiam perveniendi. Verum cum tot existant translationes, seu versiones eiusdem Scripturae in variis linguis, ac imprimis latina Vulgata versio generali Ecclesiae usu, et solemni iudicio approbata, non immerito quaestio institui potest, utrum adhuc utile, aut necessarium sit interpretibus ac Theologis linguas illas ac textus primigenios discere, et consulere. Respondimus autem id universim quidem Theologiae studiosis utile esse, pro quibusdam autem relative necessarium. Quod ut recte intelligatur distinguimus duas classes expositorum S. Scripturae, et duo expositionis genera. Sunt enim qui Scripturas meditantur ad suam tantum et aliorum aedificationem, iique moralem potius et mysticam sequuntur expositionem, omni contentione, ac subtili disputatione seposita, ut in homiliis et pastoralibus concionibus ad plebem fidelium fieri solet. His itaque linguarum biblicarum scientia saepe utilitatem afferre potest, eorumque expositiones accuratiores aliquando reddere: coeterum tamen philologica ista eruditione sine periculo carere possunt. Idem quoque de iis dicendum est, qui mediocri et communi theologica scientia contenti sunt, et ad eam sibi comparandam Scripturarum testimonia ex versionibus depromunt. Alii vero sunt quibus officium incumbit Scripturas docte et profunde exponendi, ratione habita omnium incurrentium difficultatum, quae in ipsa Scriptura passim sese offerunt, et traditas interpretationes non solum doctis lectoribus persuadendi, sed etiam adversus cavillationes adversariorum sive Protestantium sive incredulorum defendendi ac vindicandi. Pro his itaque dicimus non tam

utilem quam necessariam esse, nostra praesertim aetate, sacram philologiam, ut rite muneri suo satisfacere possint: idque demonstramus tum ex testimoniis et praxi Ecclesiae Doctorum, tum ex rationibus intrinsecis et ex rei natura petitis.

Arg. I Ex testimoniis et praxi Sacrorum Doctorum.

Ex multis pauca indicasse sufficiat. Omissis Apostolicis Patribus, quorum multi Orientales erant et Hebraicam linguam noverant, omnes autem graecam Scripturam legebant, Iustinus M. adv. Triphonem Iudaeum saepe ad versionem Aquilae Hebraei textui hebraico superstitiose adhaerentem appellat, ut veritatem interpretationis των LXX confirmet: Origenes, teste Eusebio, non solum in Graecis versionibus perquirendis et conferendis diligentissimus fuit, sed ad studia Sripturarum « linguam etiam hebraicam studiose didicit » quod etiam ex fragmentis eius Hexaplorum loculenter apparet: Eusebius ipse in Lib. X. Praep. Evang. ad Hebraicas voces passim recurrit ad Scripturarum sensum uberius declarandum et firmius stabiliendum; qui etiam ibidem hoc nomine laudat Antiochenum doctorem Dorotheum: « hic, inquit, in Sacris Literis exquisite eruditus fuit; linguae Hebraicae diligenter navavit operam, adeo ut Scripturas hebraicas scienter posset intelligere: hunc nos Scripturas in Ecclesia non incommode explicantem audivimus. » Idem testatur de Luciano M. Nicetas Heracliensis in Proem. in Psalt. Quarto Ecclesiae saeculo S. Hilarius contra Arianos disputans profitetur se graecum textum, graecosque codices cum latinis contulisse ad catholicam veritatem aptius defendendam, quemadmodum ex ipsa lectione eius operis de Trinitate apparet. S. Ephrem pariter in difficilioribus V. T. locis interpretandis ad hebraicas voces frequentissime appellat. Quid autem dicemus de Hieronymo, qui ob philologicam eruditionem ab omnibus celebratus, ac coeteris aptior visus est cui et veteris latinae versionis emendatio, et nova ex hebraeo V. T. translatio committeretur? Ipse in pluribus epistolis et praefationibus testatur tum de suis laboribus in linguis biblicis addiscendis, tum de utilitate quae ex hac notitia omnes interpretes, ac universa Ecclesia percipere potest. Vide praesertim Praefationes duas in Libros Paralipomenon ad Domnionem et Rogatianum, nec non Praefationem in Esdram et Nehemiam ad eosdem; in Epistola autem ad Paulam ita paucis

hanc rem perstringit: « Deus ipse mihi mercedem restituat in futuro, qui scit me ob hoc in peregrinae linguae (hebraicae) eruditione sudasse, ne Iudaei de falsitate Scripturarum Ecclesiis eius diutius insultarent. » Ipse S. Augustinus, quamvis hebraicae linguae ignarus, et in Graecae studio mediocriter versatus, earum tamen notitiam tamquam utilem et aliquatenus necessariam Scripturarum expositoribus in multis locis praedicat imprimis vero Lib. II. De Doctrina Christ. Cap. XI, ubi disputans de obscuris vel ignotis vocibus et phrasibus quae in latina Scripturae versione passim occurrunt: « Contra ignota signa propria, inquit, magnum remedium est linguarum cognitio, et latinae quidem homines linguae, quos nunc instruendos suscepimus, *duabus aliis ad Scripturarum divinarum cognitionem opus habent,* hebraea scilicet et graeca, ut ad exemplaria praecedentia recurratur, si quam dubitationem attulerit latinorum interpretum infinita varietas. » Quod deinceps exemplis et argumentis illustrat. Mittimus aliorum Patrum testimonia et exempla, ut Iohannis Chrisostomi, Epiphanii, Theodoreti, Isidori, Cassiodori, cuius insigne est testimonium in Cap. XV de divinis lectionibus, Bedae Presbyteri, qui trium linguarum hebraicae graecae et latinae notitiam, propter obscuritatem Sacrarum Scripturarum *necessariam* esse affirmet: « ut, inquit, ad alteram recurratur, dum si quam dubitationem nominis vel interpretationis sermo unius linguae attulerit: » mittimus etiam posteriores doctores Alcuinum, Rabbanum Maurum, Humbertum, Cardinalem, Rupertum Abbatem, Euthymium Zigabenum, S. Bonaventuram, Nicholaum Lyranum aliosque scholasticos Doctores, qui idiomatis vel graeci, vel hebraici, vel utriusque gnari fuerunt, eorumque notitia in Scripturis exponendis usui sunt. Sed imprimis ad rem nostram facit auctoritas Romanorum Pontificum, et Conciliorum in studiis linguarum biblicarum commendandis et promovendis. Clemens PP. V praecedentium Pontificum et Doctorum exempla sequutus in Concilio Viennensi decretum de linguarum Hebraicae, Arabicae, et Chaldaicae studiis edidit, quod postea inter *Clementinas* relatum est tit. I. De Magistris. In hoc decreto praecipit Summus Pontifex, Sacro approbante Concilio « scholas in subscriptarum linguarun gentibus ubicumque Romanam Curiam residere contingat, nec non in Parisiensi, et Oxoniensi, et Bononiensi, et Salamantino studiis pro-

vidimus erigendas, statuentes, inquit, ut in quolibet locorum ipsorum teneantur viri catholici sufficientem habentes Hebraicae, Arabicae et Chaldaeae linguarum notitiam, duo videlicet uniuscuiusque periti, qui scholas regant inibi, et libros de linguis ipsis in latinum fideliter transferentes alios linguas ipsas sollicite doceant. » Ex hoc tempore Catholici Theologi ardentius in studia linguarum biblicarum incubuere: quibus animum et stimulos addiderunt subsequentes Romani Pontifices, Leo X, sub cuius auspiciis prodiit polyglotta editio Sacrae Scripturae a Card. Ximenes curata, Gregorius XIII, qui in variis constitutionibus ad nova clericorum collegia erigenda specialem mentionem de graecis hebraicisque literis ingerit, Paulus V qui in omnibus Regularium Ordinum scholis mandavit ut aliqui essent « Linguarum Hebraeae, Graecae et Latinae, in maioribus vero et celebrioribus etiam Arabicae doctores; » Clemens XI qui haec studia tum verbis, tum factis egregie fovit, ut nihil dicamus de posterioribus postremis summis Pontificibus. Hisce addi possent etiam fundatores vel reformatores religiosorum ordinum, quorum in hac re eximia semper fuerunt merita: S. Raimundus a Pennafort suis fratribus Praedicatoribus praedictarum linguarum studium iniunxit, generale capitulum Romanum Fratrum Minorum anno 1612, et capitulum Toletanum 1633, et alterum 1682 linguarum Hebraicae, Arabicae et Graecae studium praecipit. S. Ignatius Lojola in suis constitutionibus Societatis Iesu idem injungit, idem etiam praecipiunt constitutiones Ordinis Fratrum Servorum B. M. V. Quae exempla et testimonia, coeteris etiam omissis, ad nostram propositionem firmandam sufficerent.

Arg. II. Ex internis rationibus petitum.

Inutile esset hic rationes afferre ad generalem utilitatem linguarum biblicarum ostendendam, praesertim post ea quae superius dicta sunt de Sanctorum Patrum Ecclesiaeque usu. Itaque potius alteram Theseos partem confirmabimus, quae relativam scientiae linguarum biblicarum necessitatem pro doctoribus et expositoribus Sacrae Srcripturae respicit. Ita porro de his argumentari licet. Officium perfecti expositoris Sacrae Scripturae, et Catholici doctoris duplex est: Scripturas scilicet docte et profunde interpretari, et catholicas interpretationes, ipsarumque Scripturarum auctoritatem adversus haereticorum vel incredulorum cavillationes tueri.

Iamvero ad utrumque officium recte ac utiliter implendum requiritur notitia linguarum biblicarum.

1° Requiritur ad profundiorem Scripturae intelligentiam. Et sane: tunc tantum inutilis aut minus necessaria esset dicenda linguarum originalium cognitio si versiones Scripturae, quibus utimur, in omnibus prorsus et perfectissime textum originarium repraesentarent, ita ut idem prorsus esset sive textum sive versionem consulere. Sed hoc longe a veritate abest. Nulla enim versio est, nec ipsa Vulgata latina, quae textum originarium tam perfecte et adaequate repraesentet. Qui igitur vult perfecte et adaequate sensum Scripturae in omnibus intelligere, et aliis exponere oportet ut ad fontes originarios aliquando confugiat, ut in iis melius intelligat quod in versionibus obscure, aut minus perfecte positum est. Quod autem ita se habeant versiones cum textu comparatae facile probari potest tum a priori, tum a posteriori et ex facto ipso. Et 1°) quidem veluti *a priori,* seu ex ipsa natura versionis in genere consideratae. Omnes enim sciunt unamquamque linguam suas proprietates habere et proprios loquendi modos, qui non possunt semper in aliam linguam commode transferri, idque praesertim cum de linguis agitur diversarum familiarum ac diversae omnino indolis, quemadmodum certe sunt linguae Hebraica, Chaldaica et Graeca biblica comparatae cum Latina aliisque nostris Occidentalibus. Fit enim saepissime ut interpres cogatur aut idiotismos linguae originalis conservare, seu verbatim reddere, et tunc obscurus evadit, vel circumlocutionibus uti, atque ita vim et energiam originalis textus extenuat. Hinc igitur fit ut versiones non possint esse undequaque perfectae, etiam si supponamus interpretes maxima scientia praeditos, summa diligentia usos, ac moraliter veluti infallibiles fuisse: quemadmodum ex: gr: accidit graeco interpreti libri Ecclesiastici, et S. Hieronymo in versione V. T., qui tamen ambo fassi sunt difficultatem imo impossibilitatem perfecte reddendi et transfundendi in versionem totam vim verborum originalium. Quid autem dicemus, si etiam dubitare aliquando liceat de interpretis sive scientia, sive attentione, sive studio? Quae certe semper et in omnibus locis perfecta fuisse humana fragilitas credere non permittit. 2°) vero *a posteriori,* seu ex ipsa versionum quae extant consideratione idem ostendi potest. *Primo* enim versiones

saepe saepius inter se discrepant in uno eodemque loco reddendo: cum autem omnes simul verae esse nequeant oportet ut aliquae ex illis minus recte textum originalem reddiderint. Quomodo autem iudicabit theologus et interpres quaenam versio sit praeferenda, nisi ipsum textum adeat, iuxta monitum Augustini superius allegatum? Neque iuvat reponere in conflictu versionum semper praeferendam esse Vulgatam latinam iuxta Concilii Tridentini decretum: siquidem, ut alias ostendimus, vi illius decreti vulgata latina non fuit praeposita omnibus aliis versionibus indiscriminatim, sed tantum latinis quae tunc temporis circumferebantur. Praeterea ibidem ostendimus approbationem illam non esse ita stricte accipiendam ac si Vulgata ipsa ab omnibus prorsus defectibus immunis et omnibus numeris absoluta declarata fuerit. *Secundo* plura exempla ex versionibus et ipsa Vulgata latina afferri possunt ad confirmandam veritatem eorum quae diximus. Sive enim ex linguae vitio et imperfectione, sive alia de causa plura occurrunt *obscura*, quaedam *ambigua*, quaedam *enervata* si cum textibus originalibus comparetur. Obscura loca passim offenduntur in versione Prophetarum, in libris Sapientialibus, et praecipue in libro Psalmorum. Quis enim ex: gr: obscuram non reputabit descriptionem quatuor animalium Ezech. I. 5. 25 ubi *pennae* ponuntur pro alis, *pedes* pro cruribus, vox *quatuor* in fine incisi, quae ambiguitatem praesefert, quae omnia ex lectione textus Hebraici clariora fiunt? Quis non haesitabit in illis verbis Eccli. LI. 13 « Et pro *morte defluente* deprecatus sum? » Quis clarum dixerit quod in Ps. CXXI legitur de Hierusalem: « quae aedificatur ut civitas *cuius participatio eius in idipsum?* » Aut quod legitur in Ps. LXXIII: « *Posuerunt signa sua signa, et non cognoverunt sicut in exitu super summum?* » vel illud Ps. XVI: « Domine *a paucis de terra divide eos in vita eorum:* de absconditis tuis adimpletus est venter eorum? » Aut illud Ps. XX: « quoniam pones eos dorsum: *in reliquiis tuis praeparabis vultum eorum?* » Et alia satis multa non minus obscura quae legentium et psallentium ingenium torquere solent. Ad loca *ambigua* ex defectu latinae linguae pertinent ex: gr: illud quod legitur in Ps. CIX: « Tecum *principium* in die virtutis tuae, » ubi vox *principium* non initium significat, sed principatum, vel potentiam; item illud Ps. CXXVI: « Sicut sagittae in manu potentis ita

filii *excussorum* » quae postrema vox latina potest accipi sive active, sive passive, textus tamen הַנְּעוּרִים et graeca versio των LXX (ἐκτετιναγμένων) docent passive accipiendam esse. Item illud Ps. CXXXVIII: « Non est occultatum *os meum a te* » quod potest esse vel *os oris*, vel *os ossis*, quod alterum omnino tenendum esse indicat originaria vox hebraica עֲצְמִי et graeca των LXX τὸ ὀστοῦν μου: item in cantico Zachariae Luc. I. vox *Oriens* non est participium verbi *orior* quasi Deo tributum, sed est substantivum, idest, *sol Oriens*, nam in graeco textu nullum est participium, sed nomen ανατολη; quemadmodum etiam in cantico B. M. V. ubi legitur « dispersit superbos mente cordis *sui* » illud *sui* referri posset vel ad Deum, vel ad superbos, quod tamen alterum docet graecus textus διανοία καρδίας ἀυτῶν. Item dicas de verbis: Ps. CXI. 2: « generatio *rectorum* benedicetur » et de aliis plurimis quae in Vulgata quidem ambigua sunt, in textu autem sive Hebraico sive Graeco certa ac definita. Denique plura exempla ex ipsa Vulgata afferri possunt in quibus *vis et energia* verborum originalium plus minus enervata vel extenuata apparet. Ita ex. gr. Gen. I. 2 ubi Vulgata legit: « Spiritus Dei *ferebatur* super aquas, » in textu habetur vox מְרַחֶפֶת quae, teste ipso Hieronymo, melius verti posset *incubabat*, scilicet more avium quae incubando ova foecundant, quod multo pulchriorem et profundiorem efficeret sensum: ita etiam ibidem v. 3 creatio lucis multo efficacius et elegantius sonat in textu per verbum substantivum הָיָה quam in versione per verbum *fieri:* ita quoque celebre vaticinium Isaiae de Virgine paritura Emanuelem maiorem vim praesefert in textu hebraico ubi loco formae futurae *concipiet, pariet* habentur duo participia praesentia voci הָעַלְמָה apposita, scilicet הָרָה וְיֹלֶדֶת *virgo pregnans et pariens.* In canticis vero aliisque partibus poeticis id plerumque fit. Accedunt ea loca in quibus textus Hebraicus habet nomen Dei tetragrammaton יהוה, quod non semper in Vulgata latina redditur per *Deum*, sed aliquando per *Dominum*, tamquam si esset vox אֱלֹהִים, et tamen valde interest scire utrum ex illis nominibus adhibitum sit; primum enim est nomen Dei proprium, et nunquam nisi de Deo usurpatur, alterum etiam ad creaturas passim extenditur: hinc vaticinia Prophetarum ex: gr: Ier. XXIII. 6 quae primum illud nomen Messiae tribuunt, apodic-

ticum praebent argumentum pro Christi divinitate si accipiantur in textu, si vero afferantur secundum Vulgatam, ubi vox *Dominus* recurrit minorem probandi vim habent. Huc etiam pertinent omnia illa loca, in quibus sacer Scriptor ex nominum etymologia, vel ex alliteratione rem aliquam illustrat, aut ostendit: cum enim eadem ratio verborum et radicum non inveniatur in aliis linguis, ex. gr. in Latina, necesse est ut Hebraicam linguam vel Graecam ignorantibus eadem loca in versionibus obscura aut prorsus inintelligibilia videantur: ut ex. gr. cum Gen. IV. 1. Heva dicitur filium suum appellasse *Cain* quia, inquit: « *possedi hominem* per Deum. » alium vero filium vocasse *Seth* quia: « *posuit*, inquit, mihi Deus semen aliud pro Abel. » Idem postea dicitur factum de Abramo cui Deus nomen mutavit in *Abraham* eo quod esset *pater multarum gentium*, item nomen Iacob in *Israel* post luctam quam habuit cum Angelo, et ita de aliis multis: Ieremias in principio prophetiae suae I. 11. dicit se in visione vidisse *virgam vigilantem*, cui Deus respondet: « bene vidisti, quia *vigilabo* ego super verbo meo ut faciam illud: » quid sit *virga vigilans* in Latina lingua intelligi non potest, sed cessat difficultas in hebraico textu, ubi vox שָׁקֵד significat *amygdalam* et simul *vigilantem*: cum igitur propheta, virgam seu ramusculum illius arboris vidisset, Deus alludens ad alteram significationem vocis occasionem sumit ea verba subiungendi quae modo allata sunt. Huiusmodi allusiones et verborum lusus frequentissimi sunt in Prophetis; quorum exempla suppeditat etiam historia Susannae, ubi Daniel seniores illos confundere volens, ex nominibus arborum, sub quibus singuli dicebant se vidisse Susannam colloquentem cum sociis, occasionem sumit divinum iudicium eis comminandi, et praedicendi Dan. XIII. 54 seq. 58 seq. *Tertio* denique plures versiones non omnino incorruptae ad nos pervenerunt, imo in rebus levioris momenti omnes plus minus immutationes subierunt, ut imprimis factum novimus in versione graeca των LXX, nec ab iis prorsus immunis evasit ipsa Vulgata latina. Ex hisce omnibus apparet necessitas consulendi atque ideo intelligendi originarios Scripturae textus, iuxta sensum in Thesi expositum.

2° Sed concedamus parumper versiones esse perfectissimas, et ita adaequatas ut inutile esset textum adire ad sensum Scripturae

melius intelligendum. Etiam admissa hac hypothesi, adhuc maneret necessitas notitiae linguarum biblicarum pro iis doctoribus ac theologis de quibus loquimur. Attendendum est enim alterum eorum officium vindicandi et defendendi contra adversarios Scripturam, eiusque catholicam interpretationem. Quomodo enim id praestabit theologus et interpres sine linguarum scientia, cum ex hac potissimum recentiores haeretici et rationalistae pugnare soleant, et in philologia suum veluti palladium constituant? Nec dicas defectum philologicae eruditionis suppleri commode posse per tot virorum doctorum expositiones, et commentarios, in quibus difficultates ex philologia petitae solutae inveniuntur. Qui enim hoc diceret non attenderet 1°) argumentum iam supponere veritatem nostrae Theseos, seu utilitatem ac necessitatem linguarum biblicarum: nisi enim eas probe calluissent docti illi ad quos confugiunt nunquam potuissent philologicas difficultates tam recte expendere ac ventilare; 2°) In commentariis non semper omnia quae opus sunt inveniri: multa enim saepe inobservata et intacta praetereunt, multa etiam a recentioribus adversariis nova et speciosa prolata sunt quorum ratio ab antiquioribus haberi non poterat: demum commentatores in difficultatibus solvendis plerumque non consentiunt, alii enim alias responsiones proponunt: quomodo autem iudicabit Theologus quaenam responsio vera sit, aut quaenam caeteris aptior ad satisfaciendum adversariis, nisi earum fundamenta expendere possit, quod in hypothesi facere nequit qui linguarum scientia caret? 3°) tandem quaecumque supponatur commentatorum peritia, et etiamsi omnes consentirent, nihilominus tamen perfecti Theologi ac doctoris est propriis armis pugnare, non alienis, quae ipse tractare nesciat; aliorum enim responsiones ex philologia desumptas qui linguarum ignarus est, nec recte intelligere, nec ab adversariorum difficultatibus, qui certe iis non acquiescent expedire poterit.

At enim, inquiunt, hisce omnibus obstat exemplum Sanctorum Patrum et Doctorum Scholasticorum. Hi enim ut plurimum Hebraicae et Graecae linguae notitia carebant, et tamen optimi fuerunt interpretes, quos duces et magistros sequi debemus in Scripturarum expositione.

Haec obiectio, quae prima fronte gravissima videri posset, fa-

cile tamen solvitur si haec pauca animadvertantur. 1°) Veterum Doctorum in re philologica ignorantia non est plus aequo extendenda. Ut enim nihil dicamus de notitia Graecae linguae, quam omnes certe Graeci Patres, et fere omnes Latini plus minusve callebant, ut ex eorum scriptis apparet, etiam Linguae Hebraicae notitia pluribus ex illis tribuenda est, et saepe etiam profunda et exquisita : horum nomina superius dedimus, quibus nunc addere possemus caeteros Orientales Patres, nempe Syros, Chaldaeos, Arabes quibus ob linguarum affinitatem indoles Hebraicae linguae apprime nota erat. Quinimo inter latinos Africani Doctores, licet se ignorare linguam Hebraicam fateantur, tamen ob notitiam linguae punicae, quae adhuc vernacula erat, et ab hebraica parum distabat, aptissimi erant ad iudicium ferendum etiam de Hebraicis vocibus, ut ex: gr: apparet ex facto S. Augustini. 2°) Recolendum est nos necessitatem linguarum originalium defendere non omnino absolute, sed potius relative ad quasdam personas, et ad quaedam certa adiuncta. Iamvero Patres et Doctores in adiunctis omnino diversis a nostris versabantur. Imprimis enim quo proximiores erant aetatis Sacrorum Scriptorum eo maiora subsidia in promptu habebant, quibus facilius possent eorum sensum intelligere: deinde non eosdem ac nos habebant adversarios, qui nempe magno eruditionis philologicae apparatu adversus Scripturas et fidem Catholicam pugnarent: veteres enim haeretici ad haec subsidia vix unquam confugiebant. Haec autem multo magis valent de Scholasticis Doctoribus, qui, sepositа eruditione, theologicam scientiam iuxta philosophiae peripateticae principia ac methodum pertractabant, item iuxta conditionem illius aetatis, eorumque adversariorum. 3°) Denique cum debita ipsis Patribus et Doctoribus reverentia responderi posset plures ex eis meliores futuros fuisse interpretes si hebraice scivissent, ut patet vel ex uno exemplo S. Hieronymi cum plerisque aliis latinis comparati : hinc S. Augustinus saepe dolebat se hebraicarum literarum studio operam non dedisse, eaque potissimum de causa coactus est commentarium literalem in Genesim imperfectum relinquere (1).

(1) Haec copiosius tractata inveniuntur in egregio opuscolo Io. Bern. De Rossi: *De praecipuis causis et momentis neglectae a nonnullis hebraicarum literarum disciplinae.* Aug. Taur. 1769 praesertim Capp. VI et IX.

§. III. De ratione addiscendi et certo determinandi originarium Sacrorum Scriptorum loquendi usum.

Propositum nobis est in hac paragrapho summa quaedam criteria tradere de studio linguarum biblicarum, minime vero regulas practicas et speciales proponere quae philologis et grammaticis docenda relinquimus. Seorsim vero dicemus primum de usn loquendi Hebraico, deinde de Graeco Sacrae Scripturae.

I. Lingua Hebraica (idemque fere de Chaldaica biblica intellige) cum viginti tribus et amplius saeculis demortua sit non potest ex familiaritate cum iis qui eam loquuntur edisci, ideoque ad ea media confugiendum est ex quibus in Articulo I diximus linguarum antiquarum notitiam petendam esse. Recolendum est igitur media illa alia esse externa et positiva, alia vero interna et philosophica; primi autem generis media praecipuo loco habenda esse et proprie *fontes* notitiae usus loquendi appellari, alterius vero generis, seu interna media, secundaria esse, et potius quam fontes appellanda esse *subsidia* ad pleniorem et clariorem linguae notitiam sibi comparandam. Huiusmodi criterium eo magis necessarium est cum agitur de Hebraica lingua, quo magis perniciosi essent errores ex contraria methodo derivati, qui non tantum philologici, sed saepe theologici essent. Quod quidem confirmatur ex facto illorum recentiorum qui nimis in hac re concesserunt internis adminiculis, non satis attenta aut etiam neglecta traditione et veterum testimoniis, ut accidit ex: gr: aliquando Schultensio et Ewaldo (1). His igitur positis, superest tantum aliquid dicendum in specie de

(1) Sciendum enim est philologos in varias scholas divisos esse circa studium hebraicae linguae. Alii enim sequuntur scholam *empyricam* et traditionalem, ut videre est apud antiquiores omnes: alii ex adverso methodum *rationalem* interno linguae examini, seu etymologiae et analogiae studio praecipue innixam, ut saeculo elapso Gussetus, Neuman et Loescher, nuper vero Ewaldus: alii methodum *harmonicam*, (quae etiam schola Belgica dicitur) ab Alberto Schultens fundata, quae praecipue comparationi dialectorum, imprimis Arabicae, insistit: alii demum methodum *empyricam temperatam*, seu *mixtam*, quae profitetur omnia media tum externa tum interna simul adhibere, et amico foedere coniungere; quam scholam inter recentiores repraesentant potissimum W. Gesenius et Iul. Fürstius. Evidens est postremam hanc methodum non solum veram, sed perfectam esse, dummodo tamen in praxi promissa teneantur, et monumentorum ac traditionis semper debita ratio habeatur.

fontibus illis et subsidiis quatenus ad Hebraicam linguam pertinent. Ad *fontes* quod attinet ii possunt ad sequentes revocari. *Directi* fontes nulli sunt praeter libros ipsos V. T.: tota enim literatura rabbinico-hebraica, non exclusa Misna Talmudis ad aetatem pertinet longe posteriorem fato hebraicae linguae. Fontes vero *indirecti* seu *mediati* qui domesticam traditionem in scholis Iudaicis conservatam repraesentant, sunt praecipue: antiquae versiones, codices Talmudici et Midraschici, libri grammaticorum et exegetarum Iudaicorum, Masora, et denique Christiani Doctores qui linguae notitiam a Iudaeorum magistris hauserant, ut sunt imprimis Origenes et Hieronymus. De his pauca notanda sunt. 1° Ex antiquis *versionibus* hic tantum versiones immediatae spectandae sunt, uti patet: in his vero principem locum tenet versio Alexandrina, quae ad tempus vivae linguae Hebraicae propius accedit. Succedunt fragmenta graecarum versionum Aquilae, Symmachi, Theodotionis et caeterarum hexaplarium de quibus alias disseruimus, quaeque a viris linguae hebraicae peritis immediate ex Hebraico textu concinnatae fuerunt, et vim originalium verborum fideliter plerumque reddunt. His accedunt paraphrases chaldaicae Targumin dictae, imprimis Targum Onkelos in Pentateuchum, quod Christi aetate antiquius creditur, et Targum Ionathanis in Prophetas, quod priori proxime accedit sive aetate, sive fidelitate in sensu verborum reddendo. Has excipiunt versio Syriaca simplex seu Phscito, et versio Hieronymiana, quae et antiquissimae sunt et a viris veteris hebraismi peritissimis confectae. Reliquae versiones alias laudatae cum partim mediatae sint partim nimis recentes vix ullum in re nostra usum habent. Versiones autem illae superius memoratae multa quidem suppeditant de usu loquendi hebraico, non tamen omnia, nec eum adaequate repraesentant ob rationes in articulo I traditas, quibus etiam addi possunt quae de versionum defectibus in paragrapho praecedente dicta sunt. 2° Quod pertinet ad codices Talmudicos et Midraschicos, hoc nomine intelligimus utrumque *Talmudem*, Hierosolymitanum et Babylonicum, et *Midraschim*, seu expositiones allegoricas a Iudaeorum doctoribus vulgatas. In hisce operibus passim occurrunt explicatae voces hebraici textus, imprimis Pentateuchi. Quae tamen tum ob linguae obscuritatem, qua et ipsa exarata sunt, tum ob rerum inopiam quae ad rem

grammaticam et lexicalem pertinent, nonnisi exiguum emolumentum afferre possunt. 3° *Grammatici* et *exegetae* Hebraeorum magno usui esse possunt cum et formarum doctrinam, et lexicographiam satis apte illustraverint ex intima linguae hebraicae cognitione per traditionem accepta. Obstat tamen quod omnes recentiores sint, et qui ex eis antiquiores habentur ab Arabum magistris, quos duces sequuti sunt, nimis pendeant: celebriores nobisque utiliores ex hoc auctorum genere sunt David Kimchi, et Elias Levita. Exegetae autem Iudaeorum a saeculo XI usque ad XVI floruerunt quorum praecipui sunt, praeter laudatum Kimchi, Aben-Ezra, Salomon Iarchi, Isaac Abarbanel, et Salomon Ben-Melech. Hi omnes tamen non semper tutam praebent normam, cum aliquando coniecturis indulgeant aut superstitiosis et praeconceptis opinionibus ducti a sensu traditionali recedant: generatim tamen inspecti, ob singularem linguae Hebraicae et dialectorum affinium peritiam, nec non ob conservatam in plerisque rebus veterum traditionem et sensum, fidem faciunt et omnino consulendi sunt. 4° *Masora* licet in critico textus hebraici examine potissimum versetur, saepe tamen etiam notas grammaticales et lexicales exhibet, quae utpote a praecipuis Hebraeorum magistris et quidem Palaestinensibus profectae, et a vetustiore traditione haustae magni faciendae sunt. Hi quidem sunt fontes externi sive directi sive indirecti ex quibus praecipue hauriendus est usus loquendi Hebraicus.

Ad subsidia vero *interna* quod pertinet diximus ea generatim revocari ad tria, idest etymologiam, analogiam linguae, et comparationem cum linguis vel dialectis cognatis. Quae omnia etiam ad usum loquendi Hebraicum confirmandum et illustrandum utiliter conferri possunt. Immo ob huius linguae simplicitatem et uniformitatem maioris momenti esse possunt quam in lingua Graeca aliisque occidentalibus. Ad dialectos vero linguasque affines pertinent: primo lingua *Aramaica*, scilicet *Chaldaica*, et *Syriaca*, quibus accedunt pauca quae supersunt ex dialecto *Samaritanorum*, *Zabiorum* et *Palmyrenorum*: deinde *Arabica* lingua ditissima, et longe lateque diffusa, ex qua prodierunt magna saltem ex parte dialecti *Maurica* et *Melitensis*: tertio *Aethyopica* lingua tum vetus, seu Abyssinica, *Gheez* dicta, tum recentior et vernacula, quam *Amharicam* vocant: denique reliquiae linguae *Punicae*, et *Phoeniciae*, quae vix ab

Hebraica discrepant, et *Neo-Hebraica* a Rabbinis usitata, quae ut veteris Hebraicae soboles habenda est. De harum linguarum collatione ita statuendum est. Ex convenientia vocabulorum, praesertim radicalium, eorumque usus in praefatis linguis maxime illustrari et confirmari potestatem hebraicarum dictionum, quae quidem confirmatio eo certior est quo plures linguae in eadem significatione conveniunt: verum hic recolenda sunt quae superius diximus de huius subsidii defectu et fallacia, ea potissimum de causa quod saepe eadem vox eademque phrasis in diversis dialectis licet eadem maneat paullisper tamen diversam significationem induit: quod etiam de Semiticis dialectis seu linguis verum esse constat. Coeteris etiam paribus, non idem valor omnibus linguis tribuendus est, sed spectanda est maior vel minor uniuscuiusque antiquitas, copia, et cum hebraica lingua affinitas. Quod pertinet ad antiquitatem difficile est definire utrum Hebraica, an Aramaica, vel Arabica per se antiquior sit: verum in ordine ad nostram cognitionem Aramaica lingua sub hoc respectu coeteris praestat: ex ea enim supersunt monumenta coaeva Hebraicis Scripturae Libris, uti sunt partes chaldaicae Danielis et Esdrae, quibus addi possunt antiquae Assyriorum inscriptiones cuneiformibus litteris seu characteribus exaratae, et fortasse etiam Targum Onkelosi, contra vera monumenta Arabicae linguae vix saeculo VI aerae vulgaris incipiunt, Aethyopicae etiam nonnisi Christiana monumenta inde a Saeculo IV supersunt. Ratione copiae, praesertim lexicalis, Aramaica dialectus paulo inferior videtur Hebraica, idemque dicendum est de Aethyopica, Arabica vero longe superior, quemadmodum etiam non parum Hebraicam superat Rabbinica seu Neo-hebraica dialectus. Demum si affinitas spectetur procul dubio affinior est hebraicae linguae Chaldaica, quam Arabica, et Aethyopica cum suis derivatis. Quod quidem de Aethyopica omnes concedunt, de Arabica vero quidam aliter sensisse videntur, ut Schultens eiusque asseclae, qui ei primas partes in dialectorum comparatione tribuerunt: sed immerito prorsus non solum quia, ut diximus, nulla supersunt huius linguae monumenta nisi pluribus saeculis recentiora Hebraeorum libris, sed etiam quia plurimas et gravissimas mutationes decursu temporum subiit, adeoque fallacem saepe normam praebeat, si quis vellet ex usu et significatione vocum Arabicarum determinare valorem hebraicarum dictionum. Lite-

ratura Arabica ditissima quidem est, cum per duodecim et amplius saecula exculta fuerit et omnis generis libris literariis et scientificis abundet, verum haec ipsa copia ostendit non posse ex ea certum argumentum desumi pro usu linguae Hebraicae quae a tot saeculis demortua est et nullum incrementum nullamque evolutionem aut immutationem quemadmodum Arabica subire potuit. Quapropter, omnibus perpensis, in dialectorum comparatione primus locus tribuendus est Aramaicae linguae, una cum fragmentis Phoeniciis ac Punicis, quae tamen non ita multa sunt nec adeo magni momenti; tum vero Arabicae linguae, et quidem praecipue veteri et literali, qualis habetur in Corano Mahometis aut in monumentis eo antiquioribus, uti sunt carmina Hamasae et Moallakat et quaedam Kuficae inscriptiones. (1) Succedit Neo–hebraica dialectus, quae licet multa eterogenea admixta habeat, tamen propter scholasticam traditionem quam Rabbini apprime possidebant saepe magnam lucem affundit praesertim formis grammaticalibus necnon significationi familiarum phrasium et proverbiorum: huius dialecti usus in operibus Rabbinorum exegeticis, cabbalisticis, philosophicis, literariis copiosissime suppetit postremo loco habenda est Aethyopica lingua cum Amharica quae et ab hebraica longius discedit, et in paucis monumentis superest.

II. De studio usus loquendi Graeci Sacrae Scripturae.

Multo facilius comparari potest notitia Graecae linguae N. T. quam Hebraicae. Hic enim copia mediorum etiam ex eis quae immediata et directa appellantur praesto est. Itaque cum graecitas biblica peculiaris quaedam dialectus sit ex multis elementis conflata, diversi fontes pro hac elementorum diversitate assignari possunt. Omissis autem latinis fontibus omnibus notis et ex quibus pauca tantum in graecum textum Scripturae derivata sunt, considerandi sunt fontes graecitatis biblicae 1° Quatenus est Graeca, et in specie Alexandrina, 2° Quatenus est Aramaica seu in genere Semitica;

(1) Vetusta Arabica lingua in re nostra certo praeferenda est vulgari et recentiori, quae ab illa non parum distat. Inde tamen non sequitur linguam illam primo loco habendam esse, et Aramaicae praeferendam; siquidem eius monumenta quae supersunt decem saltem saeculis a linguae hebraicae fato distant, quo temporis spatio credendum est plures mutationes in ea factas fuisse, quemadmodum post tempora Mahometis in pluribus immutata est.

3° Quatenus est Christiana. 4° Denique quatenus est singulis quibusdam Agiographis propria.

Quatenus Graeca et Alexandrina est, fontes ad eius notitiam adquirendam sunt Graeci auctores, ex quibus tamen scriptores sequioris aevi et minus politi praeferendi sunt antiquioribus et elegantioribus, inter omnes autem praeferendi Iudaeo-graeci, quales sunt Philo (Alexandrinus), et Iosephus Flavius. Quatenus est Semitica, eius fontes sunt imprimis Versio Alexandrina, tum vero coeterae versiones Graecae seu Graeco-Iudaicae V. T.: item ipsi libri Hebraici, et scripta Syriaca, Chaldaica, ac Rabbinica. Quatenus Christiana est ad fontes christianos primitivos revocanda est, imprimis ad scripta Patrum Apostolicorum, quae omnia graeca sunt, praesertim ubi sensum dictorum N. T. exponunt: ipsa tamen lectio librorum N. T. et attenta comparatio locorum ad hoc fere sufficit. Demum ut est singulis Agiographis propria eius usus addiscendus est tum ex diligenti consideratione, et quadam familiaritate in lectione uniuscuiusque libri, tum ex expositionibus et observationibus veterum Doctorum.

Haec quidem de fontibus et subsidiis unde certa linguarum biblicarum notitia haurienda et stabilienda est. Cum tamen pauci sint qui per se ex ipsis fontibus eas linguas ediscere aut volunt, aut possunt, plerique vero contenti sint earum cognitionem sibi comparare ex recentiorum grammaticis ac lexicis, res summi momenti est inquirere utrum hi recentiores recta methodo, et accurato fontium usu indolem earumdem linguarum biblicarum investigaverint, atque aliis sine errore tradiderint, an vero proprio ingenio levibusque coniecturis indulgentes falsa atque incerta sectati fuerint. Itaque in gratiam tyronum animadvertere iuvabit pro lingua hebraica opera grammaticalia et lexicalia Sanctis Pagnini, et Io. Buxtorfii repraesentare scholam traditionalem et pure empyricam, proindeque tutam normam discentibus praebere, licet non undequaque perfectam ob neglecta alia subsidia: lexicon vero Simonis, et *Lexicon manuale Gesenii* cum eius *Grammatica,* imprimis vero eiusdem *Thesaurum philologico-criticum linguae hebraicae et chaldaicae Veteris Testamenti* Lipsiae 1829 prae coeteris repraesentare recentiorum methodum temperatam, seu mixtam, in qua scilicet debita ratio habetur interni examinis linguae, et comparationis dia-

lectorum, simul vero fontium et testium traditionis auctoritas observatur (1). Grammaticam iuxta veterum et recentiorum studia brevius, sed accurate tradit C. H. Vosen: *Rudimenta linguae hebraicae Scholis publicis et domesticae disciplinae brevissime accommodata* editio 4ª curante Kaulen, Friburgi 1872. Ad Graecum vero textum quod attinet caeteris praestant G. B. Winer: *Grammatica linguae N. T.* (germanice) editio 5ª Lipsiae 1844, quam tamen in nonnullis emendavit, et in aliis ampliavit et perfecit ex catholicis Io. Theodorus Beelen in opere latino: *Grammatica Graecitatis Novi Testamenti.* Lovanii 1858: ex lexicis autem excellunt Wahl: *Clavis philologica Novi Testamenti.* Lipsiae 1829, eiusdemque editio minor Lipsiae 1831, item Wilke: *Clavis N. T. philologica* ib. 1841, et Schleussner: *Novum Lexicum graeco-latinum in N. T.* editio 4ª Lipsiae 1819, sed caute legendi sunt, praesertim hic postremus. Omittimus auctores indicare pro aliis linguis affinibus, quarum tamen studium, ut ex superius dictis colligitur, summopere commendandum est (2).

ARTICULUS III.

DE USU LOQUENDI BIBLICO INDIRECTE CONSIDERATO IN VULGATA LATINA VERSIONE

Quae hucusque disseruimus ad originarium loquendi usum sacrorum Scriptorum pertinent. Quoniam vero cognitio originalium linguarum, saltem accurata et perfecta, plerisque deest, qui coeteroquin Scripturarum lectioni attendere debent, ideoque Scripturam in versionibus et imprimis in Vulgata latina meditari atque intelligere satagunt, necessarium erit aliquid dicere de usu loquen-

(1) Notandum tamen est in hisce operibus quaedam, licet raro, offendi, quae catholico homini probari non possunt. Hinc optime de studiosa iuventute meritus est I. P. Migne Bibliothecae Universalis editor cum eiusdem Gesenii lexicon a celebri P. Drach emendatum rursum edidit una cum grammatica eiusdem Gesenii latine reddita a F. Tempestini, aliis quoque adiectis, sub titulo: *Catholicum lexicon hebraicum et chaldaicum in V. T. libros.* Parisiis 1863.

(2) De his consule copiose et accurate tractantem laudatum Ios. Kohlgruber in *Hermeneutica biblica* §. 49. pag. 83–84.

di Scripturae quatenus in eadem Vulgata exhibetur. Siquidem quamvis haec versio Latina dicatur, non tamen puram et simplicem latinitatem praesefert, sed quamplurimas proprietates, seu idiotismos, linguarum originalium retinet, qui pluribus in locis eam difficilem et obscuram etiam latine scientibus reddunt: « Scriptura nostra (inquit Augustinus Tract. X. in Io. Cap. II) quomodo loquitur sic intelligenda est, habet enim linguam suam; quicumque hanc linguam nescit turbatur. » Oportet igitur ipsius Vulgatae latinae usum loquendi investigare et discere. Ad hunc finem obtinendum nunnulla sapientissime tradit laudatus S. Doctor in Lib. II. De Doctrina Christiana, quae ad tria potissimum revocari possunt.

1° Tota vulgata diligenter et integre perlegenda est.

« Erit igitur (inquit cap. VIII) divinarum Scripturarum solertissimus indagator, qui primo totas legerit, notasque habuerit, etsi nondum intellectu iam tamen lectione » et in Cap. IX. « In his omnibus libris (canonicis) timentes Deum et pietate mansueti quaerunt voluntatem Dei. Cuius operis et laboris prima observatio est, ut diximus, nosse istos libros, etsi nondum ad intellectum, legendo tamen, vel mandare memoriae, vel omnino incognitos non habere. » Assidua enim lectione paulatim assuescimus peculiaribus loquendi modis, et sensim sine sensu ex contextu et locorum comparatione eorum significationem intelligimus.

2° Obscuriores locutiones ex clarioribus locis illustrandae et definiendae sunt.

« Deinde (prosequitur S. Doctor in eodem cap.) illa quae in eis aperte posita sunt vel praecepta vivendi, vel regulae credendi solertius, diligentiusque investiganda sunt, quae tanto quisque plura invenit, quanto est intelligentia capacior..... tum vero facta quadam familiaritate cum ipsa lingua divinarum Scripturarum, in ea quae obscura sunt aperienda et discutienda pergendum est, ut ad obscuriores locutiones illustrandas de manifestioribus sumantur exempla, et quaedam certarum sententiarum testimonia dubitationem incertis auferant. In qua re memoria valet plurimum, quae si defuerit non potest his praeceptis dari. » Ad memoriam tamen iuvandam sequens etiam monitum praebet.

3° Locutiones illae obscurae speciatim memoriter retinendae

sunt (aut etiam chartae mandandae) ut, data opportunitate, earum explicationem quaeramus.

« Nulla sane, inquit cap. XIV, sunt magis mandanda memoriae (seu scripto) quam illa verborum locutionumque genera, quae ignoramus, ut cum vel peritior occurrerit, a quo quaeri possint, vel talis lectio, quae vel ex praecedentibus, vel consequentibus vel utrisque ostendat quam vim habeat, quidve significet quod ignoramus, facile, adiuvante memoria possimus advertere et discere. »

Si haec monita studiosi prae oculis habeant et sedulo exequantur, multum certo proficient in intelligentia Sacrae Scripturae. Ut tamen hunc laborem aliqua ratione levemus, operae pretium duximus hic subiicere et explicare praecipuos quosdam idiotismos, seu peculiares loquendi modos Vulgatae latinae, qui maiorem difficultatem legentibus creare solent. Ne autem confusio oriatur ex indigesta exemplorum mole, atque ut memoriae etiam consulamus, idiotismos dividemus in tres generales classes, prout versantur vel circa *nomina* (substantiva aut adiectiva et pronomina), vel circa *verba* et *phrases,* vel demum circa *particulas* sermonis.

I. De idiotismis *nominum,* et *pronominum* in Vulgata Latina.

Omissis nominibus pure Hebraicis, quae in vulgata occurrunt, notamus praesertim sequentes idiotismos in usu nominum, et pronominum.

1° Concordantia casuum aliquando non servatur. Sic ex: gr: 2 Cor. VIII. 23 « Sive pro Tito, qui est socius meus, et in vos adiutor, sive *fratres nostri* apostoli Ecclesiarum gloria Christi » ubi nominativum ponitur pro dativo « pro fratribus nostris. » Ita etiam Ephes. II. 2. *Spiritus* loco accusativi Spiritum: « Et vos cum essetis mortui delictis et peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundum saeculum mundi huius, secundum principem potestatis aëris huius, *Spiritus* qui nunc operatur in filios diffidentiae. » Item in Ps. XI. 4: « Quousque irruitis in hominem.... tamquam *parieti* inclinato, et *maceriae* depulsae? » idest in parietem et maceriem.

2° Item nominum et pronominum genera aliquando permutantur.

Masculino nomini pronomen neutrum additur Sap. I. 7: « *Spiritus* Domini replevit orbem terrarum, et *hoc* quod continet omnia

scientiam habet vocis » ubi pro *hic* ponitur *hoc*, servato scilicet genere originariae vocis πνευμα.

Foemininum saepe pro neutro absolute ponitur more Hebraicae linguae, quae foeminina forma utitur, pro neutra, qua caret. Ita in Ps. XXVI. 4. « *Unam* petii a Domino, *hanc* requiram » idest *unum*, *hoc;* et in Ps. CVIII. 26: « Et sciant quia manus tua haec: et tu Domine, fecisti *eam* » scilicet *hoc*. Et in Ps. CXVIII. 50: « *Haec* facta est mihi, quia iustificationes tuas exquisivi » pro: *hoc factum est*. Vide etiam Ps. XXXI. 6 et al.

3° Substantivum aliquando geminatur sive in singulari, sive in plurali numero ad varia significanda. Aliquando significat multitudinem vel universitatem: ita Ps. CXLIV. 4: « *Generatio et generatio* laudabit opera tua » idest *multae generationes*, et Ps. CXXI. 4: « *Tribus tribus* Domini » idest *omnes tribus*, et in Ps. LXXXVI: « *Homo et homo* natus est in ea » idest *plurimi homines:* et 4 Reg. III. 16 Elisaeus conversus ad exercitum qui siti adigebatur ad necem: « Facite, inquit, alveum torrentis huius *fossas et fossas* » idest *multas fossas*.

Alias haec repetitio designat vitiosam diversitatem, vel duplicitatem rei. Ita Prov. XX. 23: « Abominatio est apud Dominum *pondus* et *pondus* » idest *statera dolosa*, ut ibidem additur, seu *diversa pondera* ut est in Deut. XXV. 13. Item Ps. XI. 3: « Labia dolosa in *corde* et *corde* loquuti sunt » seu in *corde duplici* et quasi a seipso diverso.

4° Pro adiectivo seu qualificativo saepe ponitur aliud substantivum in casu genitivo qualitatem designans. Hinc illae frequentissimae dicendi formae: *Turris fortitudinis* pro *turri valida* et *munita; virga directionis* (Ps. XLIV. 7) pro *virga recta* seu *sceptro aequo; homo pacis meae*, idest, *mecum pacificus; vir sanguinum* idest crudelis, sanguinarius; *mulier virtutis* (Ruth. III. 11) seu virtuti dedita; *labia scientiae* (Prov. XX. 15) seu docta, e quibus fluit scientia; *homo peccati* seu maximus peccator (2. Thess. II. 3), et aliae huiusmodi.

5° *Comparativum* et *superlativum*, quae in hebraeo propria forma carent, etiam in Vulgata variis modis aliquando exprimuntur a latino usu abhorrentibus.

Et comparativum quidem sequentibus modis denotatur. Ali-

quando per simplex positivum: ita Ps. CXVII. 8: « *Bonum* est confidere in Domino, *quam* confidere in homine » idest, *melius quam* (item v. 9.) Ita etiam Matth. XVIII. 8: « *Bonum* tibi est ad vitam ingredi debilem vel claudum, *quam* duas manus, et duos pedes habentem mitti in ignem aeternum. » Aliquando exprimitur per particulas *a ab* cum ablativo more hebraico, ubi particula מִן vel praefixum מ inservit comparativo: ita Eccli. XXIV. 39. « A *mari* abundavit cogitatio eius, et consilium eius *ab abysso* magna. » Aliquando exprimitur affirmando maius, et negando minus ita Is. LXIII. 16: « Abraham *nescivit* nos, et Israel *ignoravit* nos; tu Domine pater noster, redemptor noster; » ubi certe primum membrum non potest accipi pro negatione, sed comparationi inservit, quasi diceret: Tu es Pater noster *magis quam* Abraham, et Iacob. Ita Os. VI. 6: « Quia misericordiam volui, et non sacrificium » idest *magis quam* sacrificium. Aliquando non solum negatur minus, sed contrarium de eo asseritur: ita Mal. I. 2 et 3, et Rom. IX. 13. « Iacob dilexi, Esau autem *odio habui* » idest, *amavi minus* quam Iacob: quo etiam pertinet notum illud effatum Christi: « Si quis non *odit* Patrem suum, et matrem, et uxorem etc., » quod non est certe accipiendum absolute, sed in sensu comparativo.

Superlativum vero item variis modis exprimitur. Aliquando repetito nomine in genitivo plurali, unde illa notissima: *Sanctum Sanctorum, Coeli coelorum, Canticum canticorum, vanitas vanitatum* etc. pro loco *sanctissimo*, coelis *altissimis*, cantico *sublimissimo* etc. Aliquando exprimitur adiecto nomine Dei: hinc Ps. XXXV. 7 *Montes Dei*, idest montes altissimi; Ps. LXXIX. 11 *Cedros Dei*, pro cedris excelsis; item *flumen Dei* (Ps. LXIV. 10); *ignis Dei* (Iob. I. 16); *princeps Dei* (Gen. XXIII. 6.), et alia similia. Demum aliquando nomen, seu adiectivum bis vel ter repetitur, ut Is. VI. 3 « *Sanctus, Sanctus, Sanctus* Dominus Deus exercituum » seu sanctissimus, infinite sanctus.

6° Usus pronominum saepe discedit a consuetudine Latinorum. Saepissime pronomen personale redundat, praesertim post pronomen relativum. Ita Ps. XXXIII. 29: « Date *Domino* gloriam nomini *eius* » idest date gloriam nomini Domini; Ps. CXLV. 5: « Beatus *cuius* Deus Iacob adiutor *eius*. » Item Ps. XLIV. 17: « Mons *in quo* beneplacitum est Deo habitare *in eo*. » Ps. CIV. 26: « Misit

Moysen servum suum, Aaron *quem elegit ipsum* » et alibi saepissime. Aliquando genitivum nominis resolvitur in nominativum absolutum, et pronomen personale in casu genitivo. Ita Ps. LVI. 5. « *Filii* hominum *dentes eorum* arma et sagittae » idest dentes *filiorum hominum;* item Ps. X. 4 « *Dominus* in coelo *sedes eius* » idest *Domini* sedes in coelo; cui simile est illud Ps. CII. 15 « *homo* sicut foenum *dies eius* » idest *hominis* dies sicut foenum. Aliquando pronomen personale praecedit nomen ad quod refertur, ut est illud Ps. LXXXVI. 1 « Fundamenta *eius* in montibus Sanctis, diligit Dominus portas *Sion* etc. » ubi *eius* ad sequens nomen Sion refertur. Aliquando etiam absolute ponitur pronomen sine nomine, quod subintelligitur, ut est illa formula imprecatoria, et confirmatoria frequenter in libris Regum occurrens « *Haec* faciat mihi Deus, et *haec* addat » quin ulla res mala sive antea sive postea nominetur.

7° Denique plura occurrunt nomina et adiectiva, quae vel parum latina sunt, vel saltem in significatione non latina accipiuntur, ex quibus nonnulla indicasse sufficiat. Vox *vitulamina* Sap. IV. 3. adhibetur ad designandos propagines seu malleolos plantarum ex graeco μοσχευματα (quia μοσχος vitulum significat): *lignum* accipitur pro arbore passim: *verbum* saepe accipitur pro *re* vel *negotio: salutare, salutaris* pro salute, quae ab aliquo affertur: *Iustificationes* pro divinis praeceptis: *adinventiones* pro studiis, vel cogitationibus: *cornu* passim pro potentia, aliquando pro *tumulo*, vel *colle* ut ex. gr. Is. V. 1: *commune* pro immundo (legaliter), vel illoto, unde Petrus Act. X. 14 « Nunquam manducavi omne *commune*, et immundum » et 1. Mach. I. 50 dicitur Antiochum iussisse « immolari carnes suillas, et *pecora communia* » seu legaliter immunda: hinc etiam illud Mar. VII. 5 « *Communibus manibus* manducare: » *Anima* pro *vita* passim; aliquando pro toto homine, imo etiam pro corpore sive vivente, sive mortuo, ut est illud Ps. CIV. 18. de Iosepho Patriarcha: « Ferrum pertransivit animam eius » et illud Num. VIII. 10: « Immundi super *animam* hominis » idest super cadavere; et Agg. II. 14: « Pollutus in *anima.* » Item etiam vox *filius* latissimam habet significationem pro qualibet fere habitudine unius rei ad alteram: hinc *filius mortis* 1. Reg. XX. 3 est reus mortis, *filius olei* Is. V. 1 est pinguis, *filii areae* Is. XXII

sunt grana, *filia pharetrae* Thren. III. 13 est sagitta; item illa notissima *filii lucis, filius perditionis, filius pacis* (Luc. X. 6) *filii subtractionis* (Hebr. X. ult.) et alia similia. *Baculus panis* Exech. IV. 16, V. 16 est victus. Frequentia etiam sunt *calix* pro portione quae alicui contingit, *funis* vel *funiculus* pro haereditate, et alia quamplura.

II. De idiotismis verborum et phrasium.

1° Tempora verborum passim inter se mutantur. Ita praeteritum pro praesenti frequentissime: « Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit etc. pro abit, stat: Hebraei enim formam praesentis indicativi non habent. Aliquando praeteritum pro futuro accipitur: ita Ps. XLII. 3: « Emitte lucem tuam, et veritatem ipsa me *deduxerunt*, et *adduxerunt* in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua » idest deducent et adducent: Item Is. XVI. 1: « Nocte vastata est Ar Moab, *conticuit*: quia nocte *vastatus est* murus Moab, conticuit » idest vastabitur, conticescet; item Ioel I. 9, 10 et alibi saepe apud Prophetas. Demum futurum pro praeterito, vel praesenti: ita Deut. XXXII. 39: « Ego *occidam*, et ego vivere *faciam*: percutiam: et ego *sanabo* » quae non futurum, sed praesens tempus indicant. Ps. XXXIV. 13: « Humiliabam in ieiunio animam meam, et oratio mea in sinu meo *convertetur* » idest convertebatur: Habac. III. 3: « Deus ab Austro *veniet* » et vers. 5: « Ante faciem eius *ibit* mors; et *egredietur* diabolus ante pedes eius; » idest, venit, ivit, egressus est; nam ibi loquitur de iis, quae olim acciderant in peregrinatione per desertum: vide etiam Ps. I. 2, Am. III. 4, Iud. VIII. 15, et alibi.

2° Verbum geminatum (participium, vel gerundium cum indicativo) saepe adhibetur ad emphasim addendam, seu loco verbi vehementioris. Ita Ps. CXVII. 18: « *Castigans castigavit* me Dominus » idest vehementer castigavit. Habac. II. 3: « Quia *veniens veniet* » idest cito, et certo veniet. Thren. I. 2: « *Plorans ploravit* in nocte » seu valde ploravit. Act. V. 28: « *Praecipiendo praecepimus* vobis ne doceretis in nomine isto » seu graviter, et districte praecepimus: clarissimum huius phrasis exemplum occurrit in verbis Saulis a Davide placati 1 Reg. XXVI. 25: « Benedictus tu, fili mi David: et quidem *faciens facies*, et *potens poteris* » seu multa facies, et multum poteris.

3° Verbum *addidit*, vel *adiecit* saepe adhibetur pro adverbio *iterum* ad exprimendam repetitionem alicuius actionis. Ita in historia Samuelis pueri 1 Reg. III. 8: « et *adiecit* Dominus, *et vocavit* » idest, iterum vocavit: et vers. 21: « *Addidit* Dominus *ut appareret* » pro iterum apparuit: ita Luc. XX. 11. 12: « Et *addidit* alterum servum *mittere*.... et *addidit* tertium *mittere*, » et alibi.

4° Quaedam verba et phrases plures significationes inter se valde diversas habent in variis locis. Ita ex. gr. verbum *ludere* saepe quidem in sensu ordinario accipitur, sed alias est *pugnare*, ut 2 Reg. II. 14: « Surgant pueri et *ludant* » ex quo *lusu* omnes ad unum mortui sunt: alias est *persequi*, vel vexare, ut Gen. XXI. 9: « Vidit Sara *ludentem* Ismael cum Isaac » quod de persequutione intelligendum esse docet Paulus Gal. IV. 29: alias est *idola colere* ut Ex: XXXII. 6: « sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt *ludere* » quod ibi intelligendum esse de cultu vituli aurei apparet tum ex contextu, tum ex Paulo 1 Cor. X. 7. Item verbum *prophetare* proprie quidem accipitur pro futura praedicere, sed aliquando pro *laudare Deum*, vel canere Dei laudes, ita 1 Par. XXV. 1: « Igitur David et magistratus exercitus segregaverunt in ministerium filios Asaph, et Heman, et Idithun, qui *prophetarent* in citharis, et psalteriis, et cymbalis: » ibid. vers. 2: « sub manu Asaph *prophetantis* iuxta regem, » et vers. 3: « Idithun qui *in cithara prophetabat* super confitentes et laudantes Dominum. » Alias est *prophetiam confirmare*, ut Eccli. XLIX. 18. ossa Iosephi dicuntur prophetasse, idest confirmasse praeterita vaticinia: « Et ossa ipsius visitata sunt, et *post mortem prophetaverunt:* » Alias quoque est *miraculum patrare* (cum de propheta agitur): ut de Elisaeo, ad cuius ossium contactum mortuus revixit, dicitur Eccli. XLVIII. 14: « Mortuum *prophetavit* corpus eius. » Pariter phrasis *portare iniquitatem* duos habet sensus plane diversos, et contrarios; aliquando enim significat *auferre iniquitatem*, seu *veniam impetrare*, ut Lev. X. 17: « Cur non comedistis hostiam pro peccato in loco sancto, quae Sancta Sanctorum est, et data vobis *ut portetis iniquitatem* multitudinis, » idest, auferatis: item Ex. XXVIII. 38: « *Portabitque Aaron iniquitates* eorum, » seu removebit, et veniam impetrabit: item clarissime 1 Reg. XV. 25 Saul peccatum suum confessus ait ad Samuelem: « sed nunc *porta*

quaeso, *peccatum meum*, et revertere mecum ut adorem Dominum. » Alias contra significat *luere poenas* pro peccato sive proprio, sive alieno: ita Lev. XVII. 16: « Quod si non laverit vestimenta sua, et corpus *portabit iniquitatem suam*, » idest punietur: et ibid. XXIV. 15: « Homo qui maledixerit Deo suo *portabit peccatum suum:* » eodemque sensu intelligendum est celebre vaticinium Isaiae LIII. 11. de Christo patiente: « Et *iniquitates* eorum *ipse portabit.* »

5° Demum plura verba vel phrases in Vulgata latina occurrunt vel minime latina, vel in significatione parum latina. En quaedam exempla. *Confiteri alicui* pro laudare passim. *Sustinere aliquid* vel *aliquam* pro expectare. *Exultare* in sensu activo pro extollere, ut Ps. L. « *Exultabit* lingua mea *iustitiam* tuam. » *Mortificare* pro occidere, et *mortificati* pro occisi. *Vocari* pro esse ut Luc. I. 32 et alibi passim: *manducare panem* saepe pro prandere. *Corrigere* pro regere, item pro librare, suspensum tenere, ut Ps. XCV: « Etenim *correxit* orbem terrae, qui non commovebitur. » In Ps. XCII. substituitur *firmabit*. Item in Ps. XCVI: « Iustitia et iudicium *correctio* sedis eius. » *Praeparare*, vel *parare* accipitur pro *stabilire;* ita Ps. LXXXVIII: « *Praeparabitur* veritas tua in eis (coelis) » et vers. seq. « Iuravi David servo meo: usque in aeternum *praeparabo semen tuum*, » item Ps. XCII: « *Parata* sedes tua ex tunc. » *Communicare* accipitur pro inquinare, immundum reddere, ex significatione vocis *commune* alias explicata. Ita ex. gr. Mar. VII. 15: « Quae de homine procedunt illa sunt, quae *communicant* hominem. » *Manducare* vel *vorare aliquem*, vel *carnes alicuius*, est vexare, opprimere. *Revelare aurem* alicuius est manifestare aliquid alicui (1 Reg. IX. 15, XX. 15 etc.) *Ingredi et egredi* pro omnibus actis vitae. *Domum aedificare* alicui, est prolem concedere (Ex. I. 21, 2 Reg. VII. etc). Item *dare* vel *parare lucernam*, aut *extinguere lucernam*, sobolem dare, vel auferre (3 Reg. XV. 4 Iob. XXI. 17. Ps. CXXXI. 17). *Osculari manum suam*, accipitur pro adorare, ut Iob. XXXI. 17. *Aperire os suum ad Dominum*, est votum facere Iúd. XI. 35. 36. *Applicare arcam Dei*, vel *applicare ephod* in libris Regum absolute ponitur pro consulere Dominum. *Contrahere manum* ibid. pro cessare ab oratione. Hisce addere placet varias

figuras grammaticas quibus verba aliquando afficiuntur, quae sunt potissimum sequentes. 1) *Metonymia.* Ps. LI. 7: « *Emigrabit te* » pro emigrare faciet, Rom. VIII. 4: « Spiritus *postulat pro nobis,* » idest postulare facit. *Iustificare* pro iustum habere, vel declarare Ps. L. 6, Is. V. 23. *Obcaecare* vel *indurare,* pro permittere obcoecationem et indurationem passim. 2) *Antiphrasis. Benedicere* pro maledicere Iob. I. 11; II. 5; 2 Reg. XXII. 18. *Sanctificari* pro inquinari, vel pollui ut Deut. XXII. 9. 3) *Hypallage.* Iud. I. 8: « Civitatem miserunt *in ignem,* » seu ignem miserunt in civitatem: Ps. XVIII, 6: « *In sole* posuit tabernaculum suum » idest, solem posuit in tabernaculo suo, seu in loco suo.

III. De idiotismis *particularum.*

1° Praepositiones *a, ab, ex,* ponuntur aliquando pro *magisquam, potius quam, prae.* Exempla nonnulla dedimus in idiotismis nominum pro forma comparativa; quibus nunc addere possumus locum Ps. CXXXVIII 6: « Mirabilis facta est scientia tua *ex me*, » idest, supra me, seu magis quam ego intelligere possim : item Luc. XVIII. 14. de publicano in templo orante ait Christus: « dico vobis descendit hic iustificatus in domum suam *ab illo,* » idest, potius quam ille (pharisaeus). Aliquando etiam praepositio stat loco *coram,* ut Eccli XLI. 21: « Erubescite *a patre* et *a matre* de fornicatione, et *a praesidente* et *a potente* de mendacio, *a principe* et *a iudice* de delicto etc. » Scilicet coram patre et matre, potente etc.

2° Praepositio *ad* nonnunquam accipitur pro *de,* vel *circa:* ita 2 Reg. III. 18: « Dominus loquutus est *ad David* (idest de Davide) dicens: in manu servi mei David salvabo populum meum Israel »: item Hebr. I. 7: « Et *ad Angelos* quidem dicit: qui facit angelos suos spiritus » scilicet *de angelis* dicit. Et in Cap. IV: « Omnia autem nuda et aperta sunt oculis eius, *ad quem* nobis sermo » id est *de quo.*

3°. Praepositio *in* more hebraico locum tenet fere omnium praepositionum, imprimis vero, *per,* et *cum:* vide ex: gr: Eph. I. 3., Luc. XXII. 49 etc.

4°. Item coniunctio *et* aliquando pro causali *ut,* vel *quia:* ex: gr: Ps. XCIV: « Quoniam ipsius est mare, *et* ipse fecit illud, » quasi diceret *quia* ipse fecit illud: ita etiam in Ps. CXVIII: « Da mihi intellectum *et* discam mandata tua » seu *ut* discam.

5° *Quoniam, eo quod,* saepe stant loco *quamvis, etsi.* Ita Is. XII. 1: « Confitebor tibi Domine *quoniam* iratus es mihi » intellige *quamvis* iratus sis: et clarius Ier. VII. 10: « Liberati sumus *eo quod* fecerimus abominationes, » ubi certe causalis particula admitti nequit. Ita etiam in Ps. CXXXVIII. 4: « Et omnes vias meas praevidisti, *quia* non est sermo in lingua mea » scilicet: *etsi* ego taceam, et eas non manifestem.

6°. Similiter *propter quod* aliquando accipitur pro *ideo, idcirco:* ita in Ps. CXV. 1: « Credidi, *propter quod* loquutus sum etc. » idest: *idcirco* loquutus sum.

7°. Particula *si* aliquando ponitur pro interrogativa *num?* Ut ex: gr: Luc. XXII. 49 Apostoli videntes satellites Christum impetentes interrogant: « Domine *si percutimus* in gladio? » Ita etiam discipuli Act. I. 6 Dominum incoelum ab euntem interrogant: « Domine, *si in tempore hoc restitues regnum Israel?* » et Act. VII. 1 « Dixit autem princeps Sacerdotum: *si haec ita se habent?* » Frequentissime autem accipitur pro negativa *non,* praesertim post verba iurandi et promittendi ex: gr: Ps. XCIV. 11: « Quibus iuravi in ira mea: *si introibunt* in requiem meam » scilicet, *non* introibunt. Item Am. VIII. 7: « Iuravit Dominus in superbiam Iacob: *si oblitus fuero* usque ad finem omnia opera eorum, » et Is. XXII. 14: « *Si dimittetur* iniquitas haec vobis, donec moriamini, dicit Dominus » et 3 Reg. XVII. 1 Elias ad regem Achab ait: « Vivit Dominus Deus Israel, in cuius conspectu sto, *si erit* annis his ros, et pluvia » seu *certo non erit.*

8°. Aliquando duae praepositiones una post aliam immediate collocantur contra morem Latinorum: ita 4 Reg. XIV. 27: « Nec loquutus est Dominus ut deleret nomen Israel *de sub* coelo; » cui simile est illud Luc. XVII. 24: « Fulgur coruscans *de sub* coelo » Ps. LXXVII. 70: « *De post* foetantes accepit eum »: item Soph. I. 6: « Avertantur *de post* tergum Domini » et Matth. IV. 25 « *De trans* Iordanem. »

Isti sunt praecipui Vulgatae idiotismi sive nominum, sive verborum, sive particularum. Notandum tamen est non esse hosce temere supponendos, sed verba Vulgatae tamdiu accipienda esse sensu obvio et ordinario quamdiu non sit necessarium ad idiotismum recurrere.

Nemo autem miretur aut doleat Vulgatum interpretem tot

idiotismos ex linguis originariis retinuisse; hoc enim ad eius fidelitatem pertinet, qui cum difficultatem persentiret totam vim textus in versionem transfundendi, aut verum quorumdam locorum sensum certo determinandi, maluit aliquando verbum verbo reddere, quam iudicio suo rem definire, aut quidquam de sensu textus detrahere, seu, ut notat S. Augustinus in Psalm. 50: « Maluit pius interpres minus latine aliquid dicere, quam minus proprie. » Melius certe est habere versionem obscuram alicubi et inelegantem, quam inaccuratam, aut de cuius fidelitate dubitari possit.

Coeterum: « Qui sunt in stylo delicatioris fastidii (inquit idem Augustinus de D. Chr. II. 13) eo infirmiores sunt, quo doctiores videri volunt, bonorumque ingeniorum insignis est indoles, in verbis verum amare, non verba: » addit vero in Cap. XIV: « Quamquam tanta est vis consuetudinis etiam ad discendum, ut qui in Sacra Scriptura quodammodo nutriti, atque educati sunt, magis alias locutiones mirentur, easque minus latinas putent, quam illas quas in Sacra Scriptura didicerunt, neque in latinae linguae auctoribus reperiuntur ». Et haec de usu loquendi vulgatae latinae.

ARTICULUS IV.

De Locutionibus figuratis Sacrae Scripturae

Libri Sacrae Scripturae, utpote a viris Orientalibus exarati, pleni sunt figuratis loquendi modis, in quibus magna ex parte continetur specialis indoles usus loquendi biblici. Quare de hoc agentes visum est in hisce figuris expendendis paullisper immorari.

Sub nomine *figurae* hic praecipue intelligimus locutiones *metaphoricas,* et *similitudines*: quas inter hoc discrimen intercedit, quod in similitudine comparatio inter duas res expresse instituitur, in metaphorica vero locutione alter tantum comparationis terminus exprimitur, primus vero et principalis auditori vel lectori intelligendus relinquitur. Ita ex. gr. cum Iohannes Baptista dicebat: « *Ecce Agnus Dei* » idem est ac si dixisset: Ecce Christus qui est *tamquam Agnus* Deo immolandus, et cum Christus aiebat: *Ego sum vitis vos palmites:* intelligere volebat: Ego sum *tamquam vitis* in ordine ad discipulos sustentandos, et spiritualiter alendos. Metaphorica igitur locutio tunc habetur, cum verba non in suo sensu proprio et ordinario accipiuntur, sed ad rem aliam sub ali-

quo respectu similem denotandam transferuntur, idest cum res aliqua vel sententia per alterius rei similis imaginem menti obiectam repraesentatur. Si haec figura uno vel paucis vocabulis absolvatur appellatur simpliciter *metaphora,* vel *tropus,* ut cum Christus appellatur *Agnus Dei, Leo de tribu Iuda, Ostium, Panis vivus* etc; si vero longior sit et ad integrum sermonis contextum extendatur, accuratiore scilicet imaginis descriptione, eiusque elementorum enumeratione, tunc dicitur *allegoria* (1).

Circa huiusmodi figuras sermonis officium interpretis duplex est: *primo* ut animadvertat ipsas figuratas locutiones, ne scilicet aut figurata pro propriis, aut propria pro figuratis accipiat, *secundo* ut detectas figuras recte explicet, seu figuras intelligat, et exponat quid per illas figuras vel imagines auctor significare voluerit. Quare, ut ordine procedamus, agemus 1° De figuratis locutionibus biblicis generatim inspectis, earumque indole. 2° De modo discernendi figuratas locutiones a propriis. 3° De modo recte explicandi easdem locutiones.

§ I. De indole figurarum biblicarum in universum.

Stylus Sacrae Scripturae Orientalium cogitandi et loquendi modum praesefert, qui cum ferventiore imaginationis vi polleant in figuris sermonis a nostra cogitandi et loquendi ratione multis modis discedunt. Discrimina vero ad haec potissimum capita revocari possunt.

1° Figuratae locutiones *frequentiores* sunt quam in nostris libris, et quidem non solum in partibus poeticis, aut propheticis, sed etiam in historicis et didacticis, ut videre est ex. gr. in libro Geneseos, in libro Ecclesiastici et in libris Machabaeorum. Quaedam exempla superius dedimus inter idiotismos, quibus addi possent alia quamplura: ut ex: gr: *fermentum* pro mala doctrina, *panis doloris* pro lacrymis, *sanguis uvae* pro vino, *lucerna domus* pro primogenito, *filiae Ierusalem, Tyri, Edom* etc. pro variis urbibus a principe urbe dependentibus, *filia maris* pro insula (Is. XXIII. 10), *filii Orientis* pro populis orientalibus, *filius aurorae* pro lucifero, *vir*

(1) Notandum est hic *allegoriam* accipi in sensu grammatico et rhetorico, ut est species sensus literalis improprii seu metaphorici; in praecedenti autem parte tractationis loquuti sumus de allegoria in sensu theologico, quae est species sensus mystici, seu realis, ut ibidem explicatum est.

dexterae pro homine charo, et accepto; *militia coeli* pro stellis; item *flumina vocem elevantia*, et *manibus plaudentia, montes exultantes ut arietes*, coelum *sacco indutum* (Is. L. 3.), *portae urbium moerentes* (ib. III. 26), *gladius hostes devorans*, et alia similia.

2° Saepe figurae *redundantes* sunt; idest ultra scopum metaphorae vel similitudinis excurrunt, quod apud nos vitii loco habetur, apud Orientales vero elegantiam praesefert. Ita ex: gr: Cant. IV. 2 Sponsus dentes sponsae laudans ait: « Dentes tui sicut greges tonsarum, quae ascenderunt de lavacro, omnes *gemellis foetibus*, et *sterilis non est inter eas;* » ubi circumstantia recentis lavacri ad rem facit, seu ad candorem dentium repraesentandum, quae vero adduntur de foecunditate, et de gemellis foetibus omnino redundant; idem dicendum est de alia similitudine ibidem vers. 4: « Sicut turris David collum tuum, quae aedificata est cum propugnaculis, *mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium* ».

3° Saepe multo *audaciores* ac vehementiores sunt quam nostra cogitandi ratio ferre videatur. Ita ex: gr: Isaias descripturus ultionem a Deo sumendam de Idumaeis, aliisque gentibus hac imagine utitur: « Et tabescet omnis militia coelorum (idest sidera), et complicabuntur sicut liber coeli, et omnis militia eorum defluet sicut defluit folium de vinea et ficu: » nihil certe vehementius dici potuisset si de fine mundi ageretur. Tale etiam est illud Habac. III. 10: « Dedit abyssus vocem suam: *altitudo manus suas levavit.* » Tale etiam illud Iobi XVII. 14: « *Putredini dixi: pater meus es, mater mea, et soror mea vermibus,* » quemadmodum et illud XXIII. 2: « *Manus plagae meae aggravata est super gemitum meum.* » Quae omnia certe audacissima nobis videntur.

4° Aliquando etiam occurrunt figurae quae *viles*, aut *ridiculae*, vel etiam minus decentes nobis apparent: quod oritur partim ex vehementiori imaginationis aestu illorum Auctorum, partim ex diversa aestimatione in qua res nonnullae habentur apud nos et apud Orientales, ita ut quod nobis abiectum aut indecorum videtur, illis tale non sit. Ita ex: gr: in benedictionibus Iacobi Patriarchae Gen. XLIX. Ioseph salutatur *catulus leonis*, et Issachar *asinus fortis;* idem Ioseph in benedictionibus Moysis Deut. XXXIII. 17 seqq. ita laudatur: « Quasi *primogeniti tauri* pulcritudo eius, cornua rhinocerotis *cornua illius:* in ipsis ventilabit gentes usque ad

terminos terrae ». Aegyptus Ier. XLVI. 20 vocatur *Vitula elegans atque formosa,* et Ephraim Os. X. 11 *Vitula docta diligere triturам.* In cantico Cant. VII. 4 Sponsus pulchritudinem sponsae laudans inter alia inquit: « Oculi tui *sicut piscinae* in Hesebon, quae sunt in porta filiae multitudinis. Nasus tuus *sicut turris* Libani, quae respicit contra Damascum. » Item David 2 Reg. XXII. 9 iram Dei describit sequenti imagine: « Ascendit fumus *de naribus eius,* et *ignis de ore* eius vorabit: carbones succensi sunt ab eo. » Durior etiam sonat alia descriptio irae Dei vindictam de Philistaeis sumentis: « Excitatus est (inquit Ps. LXXVII 65 seqq.) tamquam dormiens Dominus, tamquam potens crapulatus a vino. Et percussit inimicos suos in posteriora: opprobrium sempiternum dedit illis. » Idem dicas de imagine mulieris meretricis, aut adulterae, sub qua Prophetae, imprimis Ieremias, Ezechiel, et Oseas aliquando adumbrant infidelitatem Hebraici populi, eiusque a Deo aversionem, ita tamen aperte, ut nostras aures aliquantum offendat.

5° Denique imagines, et figurae, aliquando *obscurae* nobis sunt, quia ex rebus desumptae, quae Orientalibus quidem, et antiquis Hebraeis familiares erant, nobis vero parum notae sunt. Ita ex: gr: Eccli. XXIV 17–23 Sapientia suas laudes pertexit per seriem quamdam imaginum, et similitudinum, quarum nonnullae satis apertae sunt, aliae ob praedictam causam satis obscurae: postquam enim se comparasset cedro Libani, palmae, et olivae etc. prosequitur: « Quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris, et quasi storax, et galbanus, et ungula, et gutta, et quasi Libanus non incisus vaporavi habitationem meam..... Ego quasi terebinthus extendi ramos meos; » quae a rebus minus nobis familiaribus ducuntur.

Haec sunt praecipua capita discriminis inter figuras biblicas, et nostras: ex quibus peculiaris character poëseos hebraicae aliquatenus innotescit. Ceterum magna pars figurarum biblicarum, etiam secundum nostrum sentiendi et cogitandi modum, pulcherrimae et efficacissimae sunt, unde oritur insignis illa biblicae eloquentiae ac pöeseos sublimitas, quae non solum aequat, sed longe superat pöesim optimorum vatum Graecorum ac Romanorum (1).

1) De indole figurarum biblicarum, earumque pulchritudine et sublimitate plura te docebit F. Lanzoni in erudito opere: *De sublimitate Divinarum Scripturarum* Veronae 1830–34.

§. II. De ratione discernendi locutiones figuratas Sacrae Scripturae.

Criterium generale hoc est: *Verba Sacrae Scripturae tamdiu accipienda sunt in sua propria, et ordinaria significatione, donec aliqua manifesta ratio nos doceat figurate esse accipienda.* Fundamentum huius regulae est, quod figurata locutio se habet ad instar anomaliae vel exceptionis in ordine ad communem et proprium loquendi modum: ergo non gratis assumenda, sed probanda est. Contra hoc fundamentale criterium peccarunt saepissime haeretici, qui plura loca Scripturae nulla alia de causa metaphorice exposuerunt, quam quia eorum erroribus contradicebant. Ita ex: gr: Calvinistae pertinaciter contendebant verba Christi Domini: *hoc est Corpus meum*, metaphoricum habere sensum, ut realem Christi praesentiam in Eucharistia excluderent: alii contenderunt aquam in qua Christus Baptismum conferendum esse ait Io: III. metaphorice pro gratia divina accipiendam esse, et ita in aliis multi locis. Iudaei vero viceversa literalem sensum tenaciter admittebant, ubi evidenter figuratus erat sensus, ut in illis Isaiae vaticiniis de futuro Messia, ubi gloria eius et potentia sub figura temporalis regni describitur, et ubi praedicitur ad eius adventum gladios in falces conflandos esse, leonem et agnum simul pasturos et alia similia, quibus ita proprie et materialiter intellectis, recusarunt Christum agnoscere, eo quod in eius adventu talia fieri non viderunt.

Rationes autem illae, quae nos cogunt aliquando a propria significatione recedere, et tropum admittere, ad tres sequentes revocari possùnt.

1° *Declaratio ipsius Auctoris.* Scilicet aliquando ipse Auctor vel in contextu sermonis, vel in alio loco literaliter explicat, quod tropice expresserat. Quapropter sequens regula adhibenda est: *Locutiones illae tropice seu metaphorice accipiendae sunt, quarum in ipsa Scriptura tropicus sensus declaratus invenitur.* Ut autem dignoscatur quando sacri Scriptores hoc fecerint diligenter expendendus est integer contextus, et varia loca de eadem re pertractantia inter se conferenda sunt. Ita ex: gr: Io. XI. 11 ait Christus de Lazaro aegrotante: « Lazarus amicus noster *dormit*: sed vado ut *a somno excitem* eum. » Dubitari posset num literaliter

haec intelligenda sint, an vero metaphorice, praesertim cum Apostoli ea proprio sensu intellexerint de vera ac propria dicta dormitione: at si coetera legantur apparebit verba illa metaphorica fuisse, nam vers. 14 Christus rem ita clarius explicat: « Lazarus *mortuus est.* » Qua in re notatu digna est peculiaris agendi ratio Iohannis Evangelistae, qui solet omnes difficiliores sententias, praesertim figuratas, in Christi sermonibus occurrentes animadvertere, et declarare; fortasse quia cum postremus scripserit voluit de medio removere erroneas quasdam interpretationes, quibus obscuritas quarumdam locutionum occasionem dederat. Ita ex. gr. praeter citatum locum de somno Lazari, idem facit Iohannes VII. 39 de *aqua viva,* quam Christus promittebat, idem II. 21 de *templo* dissolvendo et tribus diebus reaedificando, idem XXI, 19 de verbis Christi ad Simonem Petrum: « Cum autem senueris *extendes manus tuas, et alius te cinget,* et ducet quo tu non vis: » quod Iohannes dicit intelligendum esse de morte crucis Petro praedicta: item etiam paulo post vers. 22 et 23 de verbis se ipsum spectantibus: « Sic eum volo *manere donec veniam,* quid ad te? » Hinc speciale emolumentum derivare possumus: nempe locutiones, quae, si essent metaphoricae, difficiliorem et insolentiorem tropum continerent, si a Iohanne absque ulla explicatione referantur, in sensu proprio accipiendae sunt, secus enim Iohannes non omisisset metaphoram declarare. Obvia applicatio huius animadversionis occurrit in Cap. VI. eiusdem Iohannis, ubi refertur Christi sermo promittentis se carnem suam in cibum, et sanguinem suum in potum fidelibus daturum, quae omnia ad metaphoricum sensum detorquent haeretici Sacramentarii.

2° *Scopus loquentis* saepe docet an aliqua locutio proprie, an vero metaphorice sit accipienda. Qua in re sequens regula tradi potest: *In legibus ferendis, in simplicioribus rerum gestarum narrationibus, et in accuratiore doctrinae expositione non sunt supponendi tropi insoliti et audaciores, sed aut proprius verborum sensus, aut solum tales figurae, quae ex communi usu omnino obviae, atque omnibus intelligibiles sint* (1).

(1) Regulam hanc ita temperavimus, quia si absolute negaretur *quaecumque figurata locutio* in praedictis locis, quemadmodum nonnulli faciunt, regula esset inaccurata et in multis casibus falsa ostendi posset.

Huius regulae fundamentum est necessitas summae perspicuitatis in praedictis casibus, cui certe legislator vel praedicator male consuluisset si insolitis illis figuris usus fuisset, quae difficilius intelligerentur, et multis dubitationibus et falsis interpretationibus viam aperirent. Contra hanc regulam vehementer errarunt Calvinistae coeterique Sacramentarii dum metaphoram supponunt in verbis Christi Eucharistiae Sacramentum et Sacrificium instituentis, quae metaphora in re tanti momenti sensum ita obscurum reddidisset ut a nemine intelligi posset: nunquam enim inter homines auditum est panem vocari corpus humanum, aut vinum sanguinem. Contra vero obviae figurae in eadem Eucharistiae institutione locum habuerunt, ut cum Christus ait Luc. XXII. 20: « Hic est *calix Novum Testamentum* in Sanguine meo, » ubi per duplicem metonymiae figuram, sed facilem utramque et patentem, accipitur continens pro contento, et effectus pro causa. In locis vero pöeticis, uti Scriptor sibi proponit figuris et imaginibus sermonem ornare, ut fit ex. gr. in libro Iobi, et in Psalmis, audaciores etiam tropi saepe admitti possunt, et debent.

3° *Rei ipsius natura* figuratas locutiones saepe indicat. Hinc regula:

Si praedicatum et subiectum eius naturae sint ut alterum alteri proprie convenire non possit, alterutrum metaphorice accipiendum est.

Hinc omnes locutiones anthropomorphicae, et anthropopathicae de Deo, quibus scilicet membra, aut affectus hominis Deo tribuuntur, ut cum dicitur, ex. gr. *Dextera Domini* fecit virtutem; *oculi Domini* super iustos; in *digito Dei* eiicio daemonia; *poenitet me* fecisse hominem, et alia similia, certissime metaphoricae sunt, cum ista omnia simplicissimae Dei naturae repugnent. Item quae Christus praecipit Matth. XVIII. 8, 9 abscindendam scilicet esse nobis manum vel pedem, et eruendum oculum ad vitandum scandalum, profecto accipienda non sunt proprie et iuxta materialem verborum significationem, sed metaphorice, quatenus res, aut personas etiam charas, et arctissimo vinculo nobis coniunctas aliquando a nobis arcere debemus, si Dei lex, et aeterna nostra salus id postulaverint. Cavendum tamen est ne facile supponamus alicui subiecto repugnare, quod illi revera non repugnat, saepe enim non est contradictio, sed mysterium, ut ex. gr. cum de

Christo Domino contraria praedicantur, divina scilicet et humana, omnipotentia et infirmitas, aeternitas et tempus, quae tamen omnia simul vera sunt, et proprio sensu accipienda, pro duplici Christi natura in unitate personae. Legendus est de hac re Augustinus De Doctrina Christiana Lib. III. Capp. 10-12 et 16.

His igitur modis dignosci poterit propria ne, an figurata sit aliqua Scripturae sententia (1).

Verum parum prodesset scire aliquam sententiam figuratam esse, nisi etiam sciremus quid per illam figuram Sacer Scriptor significare voluerit. Hinc agendum

§. III. De modo *recte interpretandi* figuras et metaphoras biblicas.

Generatim loquendo figuratae locutiones recte et adaequate intelligi non possunt nisi ab eo qui usum loquendi scriptoris apprime calleat; pro variis enim linguis et pro varia cogitandi et loquendi ratione uniuscuiusque gentis, aut etiam auctoris, diversa quoque est figurarum et imaginum indoles, quapropter etiam in Scripturis potest generalis haec regula tradi: *Figurae ac tropi biblici eo sensu intellingendi sunt, quo solebant intelligi et frequentari in ea lingua, et ab eo auctore in cuius scriptis occurrunt.*

Attamen cum haec regula nimis generalis sit, et non raro sacri Scriptores praeter communem loquendi usum figuras et metaphoras adhibeant, oportebit quaedâm magis specialia hac de re notare. Itaque recta intelligentia figurarum biblicarum ex sequentibus fontibus petenda est.

1° Ex *rei natura*. Scilicet in figurata locutione tria subtiliter distinguenda sunt, *subiectum, terminus* comparationis, et *fundamentum* ipsius comparationis, illud scilicet in quo duo termini conveniunt, et cuius gratia unum cum altero comparatur, sive explicite, ut fit in similitudine, sive implicite, ut in tropis et

(1) Ex dictis apparet minus recte a nonnullis proponi hanc regulam generalem: *Sententiae S. Scripturae non sunt metaphorice accipiendae nisi quando sensus proprius verborum falsum aut absurdum contineret.* Intrinseca enim repugnantia non est nisi unum ex pluribus criteriis sensus metaphorici: et multa sunt Scripturae loca in quibus sensus proprius nullam absurditatem involveret, et tamen metaphorice intelligenda sunt ob alias rationes.

allegoriis. Diligenter itaque investigandum est in quo fundetur comparatio, idque ex ipsa rei natura plerumque dignosci potest; quo cognito, sensus figuratae locutionis clarus erit, nec ultra praefatum fundamentum extendetur. Fundamentum autem illud aliquando est utriusque rei similitudo, alias vero relatio vel nexus quicumque, puta effectus et causae, continentis et contenti, generis et speciei, inter utramque rem intercedens. Notandum autem est in hisce omnibus difficultatem saepe occurrere ex eo quod Orientales, ob indolem sibi propriam, relationem saepe vident inter res valde dissitas, quas inter nulla relatio existere nobis videtur: saepe etiam ex eo quod relatio exurgit ex circumstantia quadam speciali illius aetatis, qua Liber scriptus est, vel ex quadam consuetudine Hebraeorum propria a nostris diversa: quae omnia nisi attente inspiciantur recta figurarum explicatio haberi non poterit. En aliquot exempla. Ier. XXII. 6 legimus: « Haec dicit Dominus super domum regis Iuda: *Galaad tu mihi, caput Libani:* si non posuero te solitudinem. » Quaeri potest cur, et quo sensu regia stirps Iuda appelletur Galaad (scilicet montes Galaad) et vertex Libani? inspicientes naturam horum montium apparebit eos fuisse altissimos et nobilissimos montes Iudaeis notos; en igitur fundamentum imaginis cuius sensus est: tu, domus Iuda, licet potentissima, et nobilissima atque excelsa sis, quemadmodum cacumina Galaad, et Libani, attamen vastaberis, et in solitudinem redigeris, nisi resipueris. Celebres sunt metaphorae quibus Christus Dominus Petri privilegia adumbravit Matth. XVI: « Tu es Petrus, et super hanc *petram* aedificabo ecclesiam meam..... et tibi dabo *claves* regni coelorum. » Quid ibi significet *constitui petram* Ecclesiae, et *accipere claves* regni coelorum rei natura satis docet. Officium enim fundamenti seu petrae fundamentalis aedificii est totum aedificium sustentare, et continere ne dissolvatur: hoc ipsum igitur Petrus in Ecclesia Christi praestabit, quod sine suprema, et absoluta potestate iurisdictionis facere non posset. Claves autem accipere alicuius regni, obvio, et omnibus gentibus, imprimis Orientalibus, familiari symbolo, idem est ac supremam accipere et independentem in idem regnum potestatem. Idem dicas de metaphora *pastoris* et *ovilis*, sub qua Christus Io. XXI eumdem primatum in universam Ecclesiam Petro contulit, ut Theologi fusius explicant.

2° Ex *contextu sermonis*. Saepe enim fit ut ex antecedentibus, et consequentibus clare definiatur sensus alicuius figurae, quae seorsim inspecta ambigua esset. Ita ex. gr. Luc. XVI. 8 si dubitetur quid sint *filii lucis*, contextus aperiet per oppositionem filiorum *huius saeculi:* erunt igitur ii qui non sunt huius saeculi sectatores, idest non mundanae gloriae ac mundi vitiis servientes, sed Deo et virtuti. Ita quoque Matth. VII. 3 quid intelligatur per *festucam* et per *trabem* oculo haerentem manifestum fit etiam ex praecedenti v. 1: « *nolite iudicare ut non iudicemini,* » cui sententiae illustrandae allegoria illa statim subditur, qua proinde significatur, non esse rigide, et subtiliter scrutandos leviores morales defectus aliorum, cum nos ipsi gravioribus vitiis teneamur. Ita quoque Os. VII. 4 legitur de Ephraim et Iuda: « Misericordia vestra *quasi nubes matutina*, et *quasi ros mane pertransiens:* » dubitari posset quid his imanigibus significare voluerit: num scilicet haec in laudem dicta sint, cum nubes et ros plerumque ad bona adumbranda adhibeantur, an potius reprehensionem contineant: porro hoc alterum docet contextus totius capitis, in quo Deus amare conqueritur de Hebraeis, quod neque beneficiis, neque Prophetarum comminationibus ab iniquitate et idololatria sincere ac stabiliter revocari potuerint: nubes igitur et ros matutinus in figuram accipiuntur non ex ea parte qua bona sunt, seu gratam umbram et refrigerium praestant, sed ex ea parte qua defectum stabilitatis et constantiae praeseferunt.

3° Ex *inspectione locorum similium, seu parallelorum*. Aliquando enim figurata locutio unius loci alibi explicatur, vel per clariorem metaphoram, vel etiam verbis proprio sensu acceptis. Ita citatus locus Matth. XVI de clavibus Petro promissis lucem accipit ex pluribus aliis locis ubi eadem metaphora recurrit, sed clarissimo prorsus sensu ex. gr. Is. XXII. 22. et Apoc. III. 7.

4° Ex *scopo loquentis*. Quod criterium potissimum valet in longioribus allegoriis, et parabolis explicandis. Ita parabola de rege debitum servo remittente, eodemque servo immisericorde Matth. XVIII lucem accipit ex quaestione paulo ante a Petro proposita: quoties essent offensae fratribus dimittendae, cui Christus respondet non septies sed *usque septuagies septies*, et statim subdit praedictam parabolam. Ita quoque scopus parabolae decem virginum

Matth. XXVI apparet ex conclusione vers. 13: « *Vigilate itaque* quia nescitis diem neque horam. » Unde apparet totum sensum parabolae ad vigilantiam in vita spirituali suadendam pertinere. Ex hoc autem interpres facile distinguere poterit quaenam circumstantiae parabolae specialem habeant significationem, quaenam vero ea careant, prout ad scopum vel pertinent, vel indifferentes sunt. Nonnulla enim in parabolis, et allegoriis ponuntur dumtaxat ad ornandum sermonem, vel ad narrationem verosimiliorem efficiendam.

Haec sunt praecipua subsidia ad definiendum sensum figurarum biblicarum, praeter generale medium quod suppeditat accurata notitia usus loquendi. Cum autem interpres ex his vel aliis rationibus conatus fuerit obscuriorem figuram intelligere, ad ulteriorem rei demonstrationem poterit hoc experimento suam interpretationem subiicere. Scilicet sensum, quem putat se invenisse, propriis verbis expressum substituat verbis figuratis, et pacato animo consideret an omnia recte se habeant: et siquidem invenerit omnia apprime cohaerere rei naturae, loquentis scopo, et adiunctis, sermonis contextui etc. iudicabit rectam a se interpretationem inventam esse, sin autem minus, iterum interpretatio tentanda erit.

CAPUT II.

De criteriis et regulis logicis interpretationis biblicae

Superius animadvertimus solam philologiam non sufficere ad mentem auctorum semper et recte intelligendam, cum loquendi usus non ita sensum sermonis determinet, ut nihil relinquat rationi ac voluntati loquentis seu scribentis, qui dum verba inter se componit, et ad suum scopum accommodat, eorum significationem vel restringit, vel extendit, vel paullisper immutat, vel ad unum determinat. Quare ad eius mentem recte et adaequate percipiendam, praeter usum loquendi attendenda sunt etiam *Criteria logica* quae scilicet in humanae cogitationis legibus fundantur. Attendendum itaque est ad *contextum* seu ad connexionem partium ser-

monis inter se; consulenda sunt loca *parallela*, ubi scilicet auctor vel de eadem re loquitur, vel eamdem loquendi formam adhibet; item investigandum est quinam sit loquentis vel scribentis *scopus*, quaeque fuerit sermonis *occasio;* consideranda quoque est *substrata materia*, illius scilicet rei natura de qua fit sermo; denique ipsa *peculiaris forte cogitandi ratio* loquentis vel scribentis propria. Nam iuxta haec omnia auctor sanae mentis cogitationes et loquutiones suas accommodat.

Haec itaque sunt quae appellamus *Criteria logica* interpretationis, quaeque etiam in biblica Hermeneutica locum habent. De his nunc singillatim tractabimus studentes clare docere 1° accuratam uniuscuiusque notionem atque indolem, 2° eius valorem atque utilitatem in Hermeneutica Biblica, 3° rationem illud animadvertendi, discernendi, et applicandi.

ARTICULUS I.

DE CONTEXTU SERMONIS

§. I. De contextus notione, eiusque divisione.

Contextus sermonis ita definiri potost: *Nexus inter antecedentia et consequentia in eodem sermone.* Quoniam autem antecedentia et consequentia possunt inter se diverso connexionis genere copulari, hinc oriuntur diversae contextus *species.*

Si connexio sit stricte *logica* uti est ex. gr. inter subiectum et praedicatum, inter praemissas et consequens, inter partes et totum, vel genus et species, vel invicem opposita, tunc habetur contextus stricte *logicus.* Si vero partes sermonis inter se connectantur aliqua imaginationis repraesentatione , vel associatione , uti aiunt, idearum, potius quam logico nexu, contextus dicitur *psychologicus,* qui in Prophetis *opticus* a multis dici solet, eo quod plerumque in *visione* fundetur. Si autem antecedentia et consequentia simul iungantur ordine temporis quo res acciderunt, ut in historiis narrandis fit, habetur contextus *historicus* seu *chronologicus.* Denique si partes orationis simul pluribus ex hisce nexibus copulentur contextus erit *mixtus*, puta *logico–historicus,* vel *historico–opticus.*

§. II. De valore contextus generatim inspecti.

De valore huius criterii in genere statuendum est: considerationem contextus esse praecipuum medium determinandi sensum, qui ex sola vocum significatione satis definitus non est. Id autem praestat contextus duplici modo, *negative* scilicet et *positive:* negative, docendo quinam sensus non possit tribui auctori, positive autem adiuvando interpretem ut auctoris mentem recte assequatur. Pro duplici hoc casu diversus est valor contextus: negative enim acceptum hoc criterium certitudinem parit, seu sensum falsum certo excludit, si vero positive applicetur non semper certum interpretationis criterium constituit, cum per se non repugnet interpretationem aliquam cum antecedentibus et consequentibus satis convenire, quae tamen a mente auctoris aliena sit. Quare possunt sequentes generales regulae proponi.

Regula 1ª. *Interpretatio alicuius loci, quae contextui repugnet, ut falsa reiicienda est.*

Ratio est quia auctor presumitur loquutus esse cohaerenter, et iuxta logicas humanae mentis leges: idque multo magis cum de Auctoribus sacris est sermo. Ita ex. gr. quod ait Christus Io. VI. 64: « *Verba, quae ego loquutus sum vobis, spiritus et vita sunt* » a multis Protestantibus ita explicatur ac si Christus intellexerit verba hucusque prolata de sua carne manducanda, et de sanguine bibendo non proprium sensum habere, sed metaphoricum. At male prorsus: siquidem totus sermonis contextus verum esum, verumque potum certissime indicat, ut superius innuimus, et a Theologis aperte demonstratur.

Regula 2ª. *Si contextus unam tantum patiatur alicuius loci interpretationem, caeterae autem ei contradicant, illa una interpretatio uti vera habenda est.*

Ratio patet ex regula praecedente; cum enim necesse sit aliquem sensum in quolibet loco verum esse, si omnes praeter unum reiiciendi sint quia contextui non conveniunt, dicendum est illum unum esse verum loci sensum. Cum autem hoc satis frequenter occurrat, apparet contextum aliquando etiam positive, quamvis indirecte, verum sensum certo demonstrare. Cavendum tamen est ne nimis facile credamus aliquam interpretationem aut convenire, aut repugnare contextui: in locis enim valde obscuris id admodum difficile est determinare, et tunc fieri potest ut nulla ex ad-

ductis interpretationibus vera sit, licet una videatur cum contextu cohaerere, aut etiam ut aliqua ex iis quas repugnantes existimavimus, verum loci sensum exhibeat: tunc igitur ad alia criteria confugiendum est ut quaestio dirimatur.

Regula 3ª. *Si contextus plures interpretationes alicuius loci admittat, coeteris paribus, ea est praeferenda, quae aptius et plenius cum contextu convenit: si autem hoc discerni non possit, ex aliis criteriis iudicium est ferendum.*

Huius regulae ratio ex superius dictis deduci potest. Ita ex. gr. verba Is. LIII. 8: « *Generationem eius quis enarrabit?* » variis modis intelligi possunt, ut, de generatione divina Verbi, vel de generatione temporali eiusdem ex Virgine, vel de generatione hominum inter quos vitam ducturus erat Christus, qui omnes sensus cum contextu satis conveniunt, postremus tamen melius convenire videtur quam coeteri. Verum de usu positivo contextus plura magis particulariter dicenda sunt iuxta varias contextus species.

§. III. De usu contextus in specie considerati.

I. Emolumenta *contextus logici* haec praecipue sunt.

1° Sensum ambiguum verborum determinat. Ita ex. gr. Luc. XVI. 9 Christus, narrata parabola villici infidelis, aiebat: « Facite vobis amicos *de mammona iniquitatis:* » quid sit mammona iniquitatis, num scilicet divitiae iniuste comparatae, an aliquid aliud ambiguum videri potest, sed si legantur coetera, occurret alia Christi sententia v. 11: « Si ergo in *iniquo mammona* fideles non fuistis, quod *verum* est quis credet vobis? » ubi antithesis inter *iniquum* et *verum*, ostendit illud non significare iniustum, sed *vanum*, caducum, *fallax*, quales sunt divitiae huius mundi. Paulus in 1 Cor. XV. 47 Christum Dominum cum Adamo comparans ait: « Primus homo de terra terrenus, *secundus homo de coelo coelestis:* » quo sensu Christus hic dicatur *coelestis* incertum videtur: num quia Deus est? num quia de virgine natus? an alia de causa? Sed attenta contextus inspectio evincit Apostolum hic respicere ad qualitates gloriosas corporis Christi redivivi, quod fuit exemplar, iuxta quod omnium iustorum corpora resurgent gloriosa in die extremi iudicii. Ita quoque Gal. III. 3, ubi legitur: « Sic stulti estis, ut cum *spiritu* coeperitis nunc *carne* consummemini? » posset quis existimare ibi de vitiis carnalibus sermonem esse; verum contextus

ostendit ibi *spiritum* significare puram observantiam legis Evangelicae, *carnem* vero observantiam caeremoniarum legalium, quas, licet per Evangelium abrogatas, Galatae illi a pseudo-apostolis seducti Evangelio immiscere coeperant.

2° Sensum verborum aut restringendum, aut extendendum esse docet. Ita ex. gr. Io. I. 1 seqq. vox λογος *Verbum* ex toto contextu determinatur ad personam divinam Filii denotandam. Ita quoque Hebr. XI. 2, cum Paulus ait: « In hac (fide) testimonium consequuti sunt *senes* » vox illa *senes* ob contextum strictiorem sensum accipit ad significandum Patriarchas V. T. quorum fidem postea singillatim laudat. Viceversa autem Rom. I. 28 cum Apostolus de paganorum vitiis loquens ait: « tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant *ea quae non conveniunt* » licet mitiori phrasi utatur, ex antecedentibus tamen et consequentibus, de gravissimis et enormibus criminibus intelligi debet.

3° Aliquando docet contextus verba in sensu paullisper diverso a consueto accipienda esse. Ita ex. gr. Rom. XIV. 23, ubi legitur: « Omne autem quod non est *ex fide* peccatum est » vox *fides* non est accipienda pro fide theologica, ut Lutherani et Iansenistae aliquando exposuerunt, aut pro fiducia, ut in aliis locis N. T., sed pro dictamine conscientiae: de hoc enim agit in antecedentibus, quorum conclusio est praedicta sententia. Ita etiam in eadem Epistola (VI. 7) ubi Apostolus ait: « *Qui enim mortuus est,* iustificatus est a peccato » licet vox *mortuus* absolute ponatur, ob contextum tamen restringenda est ad mysticam mortem, qua quis sua vitia et concupiscentias comprimit, et abscindit: hoc enim tum in praecedentibus, tum in sequentibus clare et aperte docetur. Idem dicas de locis illis Apostoli, ubi *peccatum* accipitur pro concupiscientia, vel etiam pro poena peccati, et alia huiusmodi.

4° Logicus contextus saepe docet ubi verba metaphorice accipienda sint, et quid per metaphoram significetur. Huius rei exempla adducta sunt in Capite praecedenti Art. IV.

II. Contextus *psychologicus* haec emolumenta praestat.

1° Rationem reddit sententiae, vel sermonis, qui inopportunus, et extra chorum, uti aiunt, canere videtur. En aliqua exempla. Mar. IX. 41-49 Christus dum Apostolos, et turbas hortaretur ad scandalum vitandum innocentium puerorum, excurrit ad vehemen-

tem hortationem, qua absolute praecipit omnia salutis impedimenta, quae scandalum ingerant praecidenda. Ita quoque Io. IV. 34, aiebat Christus: « *Meus cibus est*, ut faciam voluntatem eius qui misit me » quae metaphora paulo durior, et insueta explicatur ex circumstantia quae praecessit: Apostoli enim ipsi Christo ex itinere fatigato, et ad puteum cum Samaritana colloquenti cibos obtulerant, et ad manducandum hortati fuerant, quibus recusatis, ipse ea verba protulit per associationem idearum metaphoram ciborum usurpans. Item Io. VII. 37 cum Christus festo Scenopegiae Ierosolymis interesset « in novissimo autem die magno festivitatis, stabat Iesus, et clamabat, dicens: *si quis sitit veniat ad me, et bibat,* » quae abrupta exclamatio inopportuna videri posset; verum illam explicat psycologicus nexus ex eo ortus quod in illa die solerent Sacerdotes aquam ex fonte Siloe haustam coram populo effundere clangentibus tubis, cuius caeremoniae occasione Christus usus est ad aliam aquam, scilicet ad spiritualem suae gratiae effusionem Iudaeis commendandam.

2° Alias rationem reddit interruptionis contextus logici. Ita 1 Cor. VII. Apostolus de matrimonio et virginitate disserit: cum autem vers. 12 et seqq. notasset matrimonium dissolvi posse, si pars infidelis nolit cum coniuge ad fidem converso pacifice cohabitare, hinc vers. 17 incipit de aliis quoque vitae statibus disserere ut de circumcisis et incircumcisis, de servis et liberis, et ita prosequitur usque ad vers. 25, ubi resumit interruptum sermonem de virginitate et matrimonio. Illa igitur digressio per psychologicum nexum, seu per associationem idearum explicanda est. Ita etiam videtur explicandus contextus Pauli in celebri loco de peccato originali Rom. V, ubi sermo inchoatus vers. 12 suspenditur, nonnullis interiectis vers. 13-17, et demum resumitur, et absolvitur vers. 18.

3° In Prophetis contextus psychologicus in causa est cur res longo saeculorum spatio inter se dissitas simul coniungant, quia scilicet in eorum mente vel imaginatione simul repraesentabantur, vel etiam quia in una re typicam alterius significationem videbant, ideoque ab una ad aliam abrupte excurrebant. Ita ex. gr. Isaias, Ieremias, Exechiel simul loquuntur de liberatione populi Hebraeorum a captivitate Babylonica, et de liberatione humani generis a

captivitate peccati per Messiam efficienda, ita etiam Christus Dominus Matth. XXIV simul coniungit, et permiscet praedictionem de proxime futuro excidio Ierosolymae, et de fine mundi; Iohannes quoque in Apocalypsi eventus Ecclesiae futuros aliquando in uno eodemque contextu coniungit quamvis ad diversas Ecclesiae aetates pertineant. Contextus hic in Prophetis speciali vocabulo appellari solet *opticus*, ut superius innuimus.

III. Emolumenta contextus *historici* seu *chronologici*.

Experientia docet notitiam antecedentium et consequentium in historiis legendis tam esse utilem, ac necessariam, ut sine ea singulae narrationes aliquando vix intelligi, aut certe non possint recte aestimari: quod quidem etiam in historia sacra valet. Contextus igitur historicus seu chronologicus in partibus historicis sacrae Scripturae exponendis diligenter attendendus est.

Verum hic notandum est sacros Scriptores non raro ab hoc ordine chronologico plus minusve deflectere: quod praecipue fit tribus modis sequentibus.

1° Per *prolepsim*, seu anticipationem, cum scilicet aliquod factum commemoratur, quod pertinet ad epocham posteriorem, cuius narratio nondum incepta est. Ita ex. gr. Gen. XI. narratur mors Patriarchae Thare patris Abraham in Haran: deinde vero cap. XII. incipit historia Abrahami, et narratur eius vocatio, ex qua factum est ut Abraham cum patre ex Ur chaldaeorum egressus veniret in Haran, ubi antea dictum est Thare mortuum fuisse. Mors igitur illius Patriarchae per prolepsim narrata est in capite praecedente, quamvis post Abrahami vocationem acciderit. Id autem fieri plerumque solet ex eo quod scriptor periodum aliquam historiae concludere volens, ut alteram exordiatur, mentionem facit de iis quae ad priorem illam periodum aliquo modo referuntur, etiamsi aliquanto post acciderint, et de quibus secus occasio deesset loquendi in subsequenti narratione.

2° Per *metalepsim*, seu posticipationem, quae tunc fit cum in alicuius rei narratione pertexenda memoratur factum vel circumstantia quae ad narrationem praecedentem pertinet. Sic Luc. III. 21 seq. narratur baptismus Christi, cum antea vers. 19, et 20 narrata fuisset apprehensio, et captivitas Iohannis Baptistae. Porro Christi Baptismus ad historiam Iohannis ad Iordanem praedicantis et bapti-

zantis pertinet, ideoque praecessit ipsius Iohannis captivitatem: est igitur hic positus extra locum, seu per metalepsim. Hoc plerumque fit quum aliqua circumstantia alicuius narrationis praecedentis tanti momenti est, et ita cum subsequenti historia connexa, ut opportunum videatur scriptori illam seorsim, et post completam priorem narrationem referre: ut apparet ex adducto exemplo de baptismo Christi, qui licet ad historiam Iohannis Baptistae pertineret, multo tamen magis pertinebat ad sequentem historiam publicae missionis ac vitae Christi Iesu, cuius inauguratio solemnis fuit ille ritus in Christo peractus.

3° Aliquando sacri historici duos eventus qui multorum annorum spatio ab invicem distant, perinde narrant ac si eodem tempore accidissent. Exemplo sit Matthaeus qui in fine cap. II narrat reditum Christi pueri in Palaestinam, et commorationem in urbe Nazareth, mox vero incipit cap III. hisce verbis: « *In diebus autem illis* venit Iohannes Baptista praedicans in deserto Iudaeae etc. » quamvis certe inter primum et alterum eventum viginti quinque circiter anni intercesserint.

Ut vero interpres cognoscat quandonam Agiographi uno vel altero ex praedictis modis ab ordine chronologico recesserint, attendenda sunt 1°) ipsa rei natura, ut in citato loco Geneseos, vel 2° alii loci, sive eiusdem, sive aliorum auctorum, ex quibus verus factorum ordo innotescit; ita in cit. loc. Lucae conferendi sunt Matth. III. 16, XIV. 3-12, Mar. I. 10, VI. 17-30 et Io. I. 32; locus autem adductus ex Matthaeo conferendus est cum Luc. II. 1. 40 et seq. et 52, III. 1 et seq.

IV. De emolumentis contextus *mixti*.

Multiplex esse potest contextus mixtus, pro varia scilicet contextuum compositione, seu concursu: sed imprimis notandus est contextus *historico-logicus*, cum scilicet in narrandis factis non solum ad chronologicum ordinem attenditur, sed etiam ad finem demonstrandi aliquam veritatem, ad quem finem factorum narrationes diriguntur et coordinantur. Hinc multa omittuntur, aut leviter tanguntur, alia prolixius narrantur, aut simul coniunguntur, quamvis aetate diversa acciderint. Exempla suppeditant Evangelistae Matthaeus, et Iohannes, quorum alter Messianam dignitatem Christi,

alter divinam eius naturam, et cum patre consubstantialitatem demonstrandam assumpserat in scribendo Evangelio.

§. IV. Modus inveniendi contextum, et cautelae in eo servandae.

Ad contextum sermonis intelligendum necessaria est attenta lectio sermonis, et eius analysis, ut appareat quaenam sit persona loquens, an haec mutetur, quid sibi dicendum proponat, quaenam sint argumenta quibus utitur, quae conclusio sermonis, et alia huiusmodi; quod quidem non ita difficile factu est, et tamen a multis negligitur, unde tot pravae et insulsae locorum quorumdam interpretationes oriuntur.

Qua in re notanda sunt quae sequuntur. 1°) Non sufficit pauca verba antecedentia et consequentia legere, sed integer locus est expendendus si aliquantum obscurus appareat. Saepe enim vera intelligentia non a contextu proximo, sed a contextu remoto pendet, ut fit in nonnullis ex allatis exemplis. 2°) Contextus accipiendus est prout iacet in sacris Libris, minime autem *violenter* effingendus, et ad sua placita accommodandus. In hoc vitium saepe inciderunt haeretici, et aliqui audaciores interpretes, et quidem duplici modo, aliquando per artificium criticum voculas interpolando, aut subtrahendo contra fidem codicum, vel interpunctionem mutando; alias per artificium hermeneuticum significationes minus obvias affingendo particulis orationis, ex quibus contextus praecipue efficitur. Ita ex. gr. S. Augustinus narrat Arianos contextum priorum versiculorum Evangelii Iohannis immutasse, interposito puncto post vocem *erat*, et vocem *Verbum* coniungentes cum sequenti versiculo, ita ut legerent: « Et Deus erat. Verbum hoc (seu res ista) erat in principio apud Deum. » (August. De Doctr. Christ. III. 2). Ita quoque Iahnius contextum 1. Tim. III. 16. 17 immutat contendens verba: *columna et firmamentum veritatis*, non esse referenda ad Ecclesiam in praecedentibus nominatam, sed coniungenda esse cum sequentibus, ubi de mysterio incarnationis sermo est, ita ut legendum sit: « ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi. Columna et firmamentum veritatis, et manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne etc. » (Iahn. Enchirid. hermen. pag. 53). Sed male prorsus: nam verba illa de Ecclesia Dei vivi a Paulo prolata fuisse probat non solum Patrum et Theologorum consensus, qui exinde

demonstrarunt Ecclesiae infallibilitatem, sed etiam omnium editionum et codicum mss. auctoritas qui post verbum *veritatis*, αληθειας, novam periodum inchoant, teste Scholzio in edit. crit. N. T. Tom. II. ad hunc locum; rationes autem a Iahnio adductae ad meras internas coniecturas, et quidem non bene fundatas, revocantur.

ARTICULUS II.

DE PARALLELISMO BIBLICO.

§. I. De parallelismi notione, ac variis speciebus.

Parallelismus est: *Similitudo existens inter varia loca eiusdem libri, vel saltem eiusdem auctoris.* Quae si in sacris Libris inveniatur erit *parallelismus biblicus.* Ipsa vero loca quae ita similia inter se sunt dicuntur *loca parallela.* Cum autem auctor primarius Sacrae Scripturae unus sit, Spiritus Sanctus, patet parallelismum biblicum ad integram Scripturam se porrigere, quamvis loca unius eiusdemque auctoris secundarii in parallelismo prae ceteris attendenda sint. Dividitur autem parallelismus in *verbalem,* et *realem.* Verbalis habetur in iis locis ubi eadem vox vel phrasis recurrit, realis ubi de iisdem rebus est sermo. Rursus parallelismus realis dispescitur in *historicum,* et *doctrinalem* seu didacticum, prout scilicet res de quibus in diversis locis agitur aut sunt facta historica, aut sunt doctrinae capita, sive theoretica, sive practica.

§. II. De parallelismi valore, et usu hermeneutico.

Usus parallelismi maximus est in declarandis locis, quae etiam post considerationem contextus obscura vel ambigua remanent: quare hoc criterium veluti *supplementum* contextus habendum est. Saepe enim fit ut quod uno in loco obscure, vel nimis concise ab auctore positum est, in aliis locis clarius et copiosius exponatur. Potest itaque stabiliri haec generalis regula.

Loca Sacrae Scripturae, quae etiam in contextu spectata ambigua vel obscura videntur, coeteris paribus, eo sensu accipienda sunt, quem habent in locis parallelis.

Ratio, in qua fundatur praedicta regula haec est: auctor non solum praesumendus est sibi cohaerere in uno eodemque sermone, sed etiam in diversis sermonibus, aut scriptis: ideoque post con-

textum etiam loca parallela eius mentem declarare censenda sunt. Verum ut huius criterii usus melius ostendatur, quaedam in specie dicemus de emolumentis, quae interpreti suppeditant singulae species parallelismi iuxta traditam divisionem.

I. *Parallelismus verbalis* haec prae coeteris praestat.

1° Voces aut phrases obscuras declarat, cum scilicet dictio quae in uno loco obscura videtur in aliis clarior apparet, ob contextum, rei naturam vel alia de causa. Exempla huius rei multa vidimus loquentes de idiotismis Vulgatae latinae, et de figuratis loquutionibus Sacrae Scripturae. Hic addimus illustre exemplum ex vaticinio Isaiae VII. 14: « Ecce virgo concipiet et pariet filium » ubi in textu hebraico occurrit vox עַלְמָה *almah*, quam Hieronymus reddidit *Virgo*, et LXX interpretes Παρθενος. Iudaei recentiores et hodierni rationalistae contendunt vocem illam non accipiendam esse de virgine, sed de uxore quacumque. Porro, omissis nunc aliis argumentis desumptis ex consensu antiquorum testium, etiam Iudaeorum, ex contextu, et scopo sermonis, aliisque similibus, possemus hic urgere contra adversarios parallelismum verbalem, quo olim Hieronymus usus est ad Iudaeos confundendos Et sane vox illa עַלְמָה, praeter locum in quaestione, sexies tantum recurrit in textu hebraico, nempe Gen. XXIV. 43, Ex. II. 3, Ps. LXVII. 26, Cant. I. 3 et VI. 8, Prov. XIII. 19: iamvero in his locis nunquam de muliere corrupta, vel de uxore quae virginitatem amiserit, sed de puella innupta et virgine accipitur; quare etiam in loco Isaiae similiter accipienda est. Alterum exemplum suppeditat magnifica illa promissio Ecclesiae facta a Christo Matth. XXVIII. 2: « Ecce Ego *vobiscum sum* omnibus diebus usque ad consummationem saeculi ». Si Protestantes admittere recusant hic specialem divinam protectionem et iugem adsistentiam promissam fuisse, cuius ope Ecclesia indefectibilis prorsus evaserit, possemus illos convincere etiam ex parallelismo verbali, unde apparet phrasim illam, qua dicitur Deus *esse cum aliquo* hunc omnino sensum habere, ut ex. gr. Gen. XXXIX. 3, Num XIV. 9, Ios. I. 17, Ier. I. 8. Io. VIII. 29. et alibi.

2° Saepe docet parallelismus verbalis alicuius vocis aut phraseos ambitum vel augendum, vel minuendum esse. Ita in N. T. *lex* accipitur restrictive pro lege Moysi, *consummatio* pro fine mundi, *gehenna* pro inferno, *caro et sanguis* pro hominibus vel affectibus

mundanis, et ita plures aliae voces, quae si in quibusdam locis obscurae vel ambiguae sunt, per parallela loca, ubi certam habent significationem abunde declarantur.

II. *Parallelismus historicus* magno adiumento est ad rectam historiae biblicae intelligentiam: unusquisque enim scit quantum iuvet ad certam et plenam factorum notitiam adipiscendam plures auctores, qui de eadem historia scripserunt, consulere, et inter se conferre, dummodo isti invicem non pugnent, quod in Agiographis fieri nequit.

Speciatim vero duobus modis interpretem adiuvat parallelismus historicus. 1° Supplendo circumstantias, vel explicationes factorum ab aliquo Agiographo omissas, 2° aperiendo ordinem chronologicum ab aliquo sacro Scriptore derelictum, vel non clare servatum.

Duo haec emolumenta parallelismi historici potissimum locum habent in tribus historiae sacrae partibus, scilicet in historia Regum, in historia Machabaeorum, et in historia Evangelica. Historia Regum non potest accurate intelligi nisi simul conferantur quatuor libri Regum, et duo Paralipomenon ubi eadem historia breviter repetita legitur: qua de re opportune observat Hieronymus in epistola ad Paulinum: « Paralipomenon liber, idest instrumenti veteris ἐπιτομή, tantus ac talis est, ut absque illo si quis scientiam Scripturarum sibi voluerit arrogare seipsum irrideat. Per singula quippe nomina, iunctarasque verborum et praetermissae in Regum libris tanguntur historiae, et innumerabiles explicantur Evangelii quaestiones ». Machabaeorum etiam historia accurate cognosci nequit nisi duobus libris Machabeorum simul collatis et compositis: hi enim libri, ut alias vidimus, non sunt alter alterius continuatio, sed ambo eamdem historiam suo quisque modo enarrant. Hinc docti quidam scriptores biblici utriusque libri concordiam confecerunt, ut recenter praestitit cl. Patrizi in libro: *De consensu utriusque libri Machabaeorum*. Romae 1856. Demum historia Evangelica, ut notum est, ex quatuor Evangeliis simul collatis colligi debet: qua in re insignem usum praestant Evangelia Lucae, et Iohannis, alterum suppeditans ordinem chronologicum, quem coeteris melius servat, alterum lacunas ab aliis Evangelistis relictas implens, tum in Christi gestis, tum in doctrina imprimis dogmatica. In hac Evangeliorum comparatione docti et sancti viri tum antiqui tum recen-

tiores sedulam operam navarunt: notum est S. Augustini opus: *De consensu Evangelistarum,* cui praecesserant Ammonius Alexandrinus, et Tatianus in *Diatessaron:* ex recentioribus autem plura huius generis opera prodierunt sub nomine *Concordiae Evangelicae,* quae alias laudabimus.

Si quis speciale aliquod exemplum quaereret usus Parallelismi historici afferri posset historia de tentatione Hevae Gen: III ubi serpens inducitur alloquens, et decipiens mulierem, quam historiam hodierni rationalistae inter fabulas amandant, alii vero cum Caietano allegoriam esse voluerunt: verum eam nihil absurdi continere, et totum opus diabolo tribuendum esse, qui instrumento serpentis usus fuerit, docent loca parallela, ubi *Satanae* tribuitur protoparentum seductio, isque *serpens* vel *draco* appellatur. Cfr. Sap. II. 24, Io: VIII. 24, 2. Cor. XI. 3. 14, Apoc. XX. 2 et 3, etc. Alterum exemplum desumi potest ex Act. IX. 28 seqq. ubi narratur Paulum post suam conversionem Ierosolymis cum Apostolis diversatum fuisse: hoc enim non de longa commoratione, prout verba videntur indicare, sed de brevissima et paucorum dierum intelligendum esse apparet ex parallellis locis Act. XXII. 18, et Gal. I. 18.

III. *Parallelismus didacticus,* seu doctrinalis, ad intelligendam doctrinam praesertim N. T. utilissimus est, quandoque etiam necessarius. Agiographi enim non solent fusius et systematice totam doctrinam vel singula eius capita proponere, sed sparsim, et pro data occasione nunc unam nunc alteram veritatem aut moralem legem tradunt, et saepe ex parte tantum, et obscure; uberiorem enim doctrinae explicationem vivae vocis magisterio relinquebant. Hinc fit ut saepe consulenda sint multa loca ubi de eadem doctrina sermo recurrit, ut quis claram et accuratam eiusdem notitiam sibi comparet. Quod enim in uno loco obscurius, et brevius innuitur in alio clarius et copiosius explicatum invenitur, quod alicubi metaphorice sub figurarum umbra insinuatur, alibi enunciatur apertissimis verbis, quod in aliquo loco absolute et generaliter ponitur, in aliis cum debitis restrictionibus explicatur, et exceptiones, si quae factae aut faciendae sunt declarantur.

Exempla utilitatis parallelismi didactici in Theologia sive dogmatica sive morali fere innumera occurrunt. Ita ex: gr: cum le-

gimus Luc. II. 41, 43, 48 Iosephum vocari *patrem*, vel *parentem* Christi, non est in iis locis sistendum, sed conferenda sunt cum altero loco eiusdem Lucae III. 23, et cum Matth. I. 18, 20, 25, ubi distinctius explicatur quo sensu Ioseph esset pater Iesu, non scilicet naturalis, sed *putativus*. Similiter ea quae leguntur Matth. XVIII. 17 seqq. et XXVIII. 19 seqq. et alibi de illimitata potestate omnibus Apostolis concessa comparanda sunt cum Matth. XVI. 17–20, Io. XXI. 15–18 et aliis locis ubi de Petri primatu, et praerogativis agitur, ut quis accuratam notionem distributionis iurium in Ecclesia, et hierarchicae eius constitutionis sibi comparet. Ita etiam quae Paulus habet Rom. III. 27 seqq., V. 4. Gal. II. 16, III. 8, de fide iustificante declarantur ex 1. Cor. XIII. 2 Gal. V. 6, Iac. II. 12–18, ubi necessitas bonorum operum praeter fidem adstruitur. Item illa quae habentur Rom. IX. 11–24, ubi Apostolus liberum arbitrium in salutis negotio excludere videtur, declarantur ex 1 Cor. XV. 10, ubi gratia Dei cum hominis cooperatione coniungitur. Et haec quidem in re dogmatica. Ex doctrina autem morali notissimum est exemplum de amore parentum, de quo legitur Luc. XIV. 26: « Si quis venit ad me et non *odit* patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus, » quae ommino temperanda sunt ex parallelo loco Matth. X. 37, seqq. « Qui *amat* patrem, aut matrem *plus quam me,* non est me dignus: et qui amat filium, aut filiam *super me,* non est me dignus. Et qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus». Ita etiam quae in Evangelio leguntur de vitando omni prorsus iureiurando, de non vocando patre aut magistro super terram, et alia similia intelligenda sunt abusum tantum horum condemnare, non autem usum, qui in parallelis locis aut permittitur aut praecipitur. Christus Dominus Matth. XIX. 29 ait: « Omnis qui reliquerit domum vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem aut filios propter nomen meum, *centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit:* » dubitatum a nonnullis est utrum illud *centuplum* sit aliquid distinctum a vita aeterna, an potius idem praemium aeternum diversis verbis expressum, aut saltem aliquod accidentale praemium in futura vita recipiendum, an vero praemium aliquod in hac vita: sed omnem prorsus dubitationem removent lo-

ca parallela Mar. X. 30, et Luc. XVIII. 29 seq.; Marcus enim addit: *nunc in tempore hoc,* et Lucas: *in hoc tempore.*

§. III. Ratio inveniendi parallelismum et monita de ejus usu.

1°. Praecipuum ac generale medium ad loca parallela Sacrae Scripturae invenienda, est assidua lectio eiusdem Scripturae, qua familiaris redditur tum materia eiusdem, tum stylus et forma dicendi. Ex hoc enim fit ut lectio unius loci in mentem revocet loca similia quae alibi inveniuntur. Recolenda sunt quae alias recitavimus ex S. Augustino de Doctr. Christ. lib. II. Cap. VIII. et IX. ubi hoc ipsum consulitur et praecipitur studiosis sacrae Scripturae. 2°. Ad memoriam iuvandam maximo adiumento sunt ea opera quae vulgo *Concordantiae biblicae* appellantur, a viris doctis summo labore ac patientia concinnatae, ad loca parallela Scripturae facile invenienda. Sunt autem concordantiae biblicae collectiones omnium, vel praecipuorum vocabulorum quae in Scripturis occurrunt ordine alphabetico dispositorum, ut in lexicis fit, ita tamen ut sub singulis vocabulis inveniantur indicata omnia loca Scripturae in quibus illud vocabulum recurrit. Quare sufficit in concordantiis quaerere vel unum vocabulum in aliquo testimonio occurrens, ut quis statim discat omnia loca parallela. Et quamvis haec potissimum respiciant parallelismum verbalem, unusquisque tamen videt quam facile exinde sit prudenti lectori etiam parallelismum vel didacticum, vel historicum invenire. Extant autem concordantiae tum pro Scriptura hebraica, tum pro graeca, tum etiam pro latina.

1) Hebraicae tres extant praecipue: prima confecta a Mario De Calasio. Romae 1621 4 vol. in fol. iterum edita Londini 1747 -49; altera a Buxtorfio. Basileae 1632; tertia autem recentior a I. Fürstio. Lipsiae 1837–41.

2) Graeca concordantia V. T. (scilicet pro versione LXX) confecta olim fuit a Kirchero. Francofurti 1607, iterum vero emendata, reformata et aucta a Trommio. Ultraiecti 1718.

3) Graeca concordantia pro N. T. edita fuit a Schmidio. Wittembergae 1638, iterum edita et in melius adducta a C. Bruder. Lipsiae 1841–42.

4) Latinae concordantiae utriusque Testamenti plures prodierunt, quae omnium manibus teruntur. Primus qui hoc opus excogitavit fuit Hugo Cardinalis a S. Charo ordinis S. Dominici, qui

adiuvantibus fratribus sui ordinis primam istam concordantiam biblicam iuxta Vulgatam latinam edidit circa medium saeculum XIII, quae deinceps saepius variis in locis impressa est, multis emendatis atque additis. In praefatione operi praefixa traditur modus recte utendi concordantia biblica. Alii vero praedictum opus vel in compendium redegerunt, vel aliter disposuerunt, ex quibus celebriores sunt Fr. Lucas (Coloniae 1684), item PP. Benedectini (Augustae 1751) et Falesius (ed. 2ª Viennae 1825).

3. Maximam quoque utilitatem praestant, imprimis pro reali parallelismo, *lexica biblica*, idest brevis expositio rerum biblicarum ordine alphabetico digesta. Horum satis multa habemus etiam a viris catholicis confecta. Tale est illud notissimum Aug. Calmeti primum gallice editum ab auctore, deinceps vero latine redditum cura Domin. Mansi (2 vol. in fol.) et saepius recusum. Brevius est: *Dictionarium manuale biblicum e Simonii et Calmeti scriptis haustum cura Antonii Dalmasi et Prosperi ab Aquila.* Venetiis 1769. Simile opus apud Germanos composuit Willelmus F. Hezelius sub titulo *Lexici realis* S. Scripturae (*Biblische real-Lexicon*) Lipsiae 1783–86, et recentius idem praestiterunt collatis studiis plures catholici theologi, quorum operis titulus est: *Universale Lexicon Sacrae Scripturae confectum a societate quadam catholicorum theologorum* (germanice). Ratisbonae 1836. Nec est omittendum lexicon biblicum editum ab Ignatio Weitenauer S. I. verbale simul, et reale primo vulgatum in Germania saeculo elapso, recentius vero in usum studiosae iuventutis recusum Taurini 1866.

Et haec quidem de subsidiis ad loca parallela invenienda. In horum tamen usu quaedam sedulo attendenda sunt, ut ex iis possint solide ac tuto obscuriora loca illustrari. Haec igitur in usu parallelismi imprimis prae oculis habeantur.

1. Loca parallela non tantum specie tenus, sed vere parallela sint: scilicet eamdem prorsus rem, vel vocem contineant, non tantum similem aut analogam. Contra hanc regulam peccant multi recentiores qui ad loca quaelibet illustranda magnam citationum farraginem adducunt, quas tamen (si patienter suis in locis conferas et expendas), apparebit magna ex parte ad rem non pertinere.

2. Inventis locis parallelis, locus obscurus per clariores expli-

cetur, ita ut, quemadmodum aiebat Augustinus (de Doctr. Christ. II. 9). « ad obscuriores locutiones illustrandas de manifestioribus sumantur exempla, et quaedam certarum sententiarum testimonia dubitationem incertis auferant, » non autem viceversa locis per se claris tenebrae affundantur ex locis obcurioribus. Contra hanc regulam peccant passim haeretici, et qui praeiudicata aliqua opinione, vel partium studio aguntur. Ita ex. gr. quid clarius in Scripturis invenitur quam illa loca in quibus Ecclesiae Christi indefectibilitas praedicatur, ubi scilicet ei promittitur jugis ipsius Christi (Matth. XXVIII.) et Spiritus Sancti (Io. XIV. XVI.) praesentia, et assistentia, et contra eam praedicitur praevalituras non esse inferorum portas (Mat. XVI)? et tamen Novatores saeculi XVI, quibus illud dogma non placebat, loca ita aliter explicanda esse contendebant adducto in medium obscurissimo loco Apostoli 2, Thessal. XI, seqq. ubi de quadam futura *discessione*, et revelatione hominis peccati fit sermo.

ARTICULUS III.

DE SUBSTRATA MATERIA.

§. I. De notione substratae materiae, eiusque valore generatim.

Substrata materia dicitur *ipsa res, de qua auctor loquitur,* et circa quam versatur, vel integer liber vel aliqua eius pars. Considerationem substratae materiae ad rectam intelligentiam sacrae Scripturae utilem ac necessariam esse per se patet. Siquidem auctor semper praesumitur sermonem suum naturae rei de qua loquitur accommodare; hinc una eademque vox, vel dicendi forma aliquando diversimode intelligenda est pro diversa substrata materia de qua est sermo. Quare in genere statui possunt haec principia, quae eadem sunt ac pro contextu, quocum hoc criterium magnam habet affinitatem.

Regula 1ª Interpretatio quae repugnat substratae materiae reiicienda est, seu non est sensus auctoris.

Regula 2ª Interpretatio quae sola convenit cum substrata materia admitti omnino debet.

Regula 3ª Inter varias eiusdem loci interpretationes, coeteris paribus, ea est praeferenda quae substratae materiae melius quam coeterae congruit.

Verum praestabit quaedam magis specialia dicere de emolumentis quae ex substrata materia percipiuntur.

§. II. De usu substratae materiae speciatim.

Consideratio substratae materiae sequentibus modis potissimum adiuvat interpretem sacrae Scripturae.

1° Ambiguas voces ac dictiones definit. Ita ex. gr. quod legitur Luc. I. 35 ab Angelo dictum ad Mariam: virtus Altissimi *obumbrabit tibi:* quod per se obscurum et ambiguum sonat, ex substrata materia determinatur ad significandam foecundationem sine opera viri ex divina virtute. Ita quoque 1. Cor. IX. 20. seqq. cum Paulus ait: « Et factus sum Iudaeis tamquam iudaeus, ut Iudaeos lucrarer... iis qui sine lege erant, tamquam sine lege essem....factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos, » non potest accipi de accommodatione ab Apostolo facta erroribus ac praeiudiciis aliorum, ut perperam Semlerus autumavit, neque enim de his agebatur, sed tantum de iis quae licite poterant fieri vel omitti, uti tunc erant coeremoniae legales, nec non de incommodis perferendis, et commodis posthabendis pro salute proximorum.

2° Significationes verborum vel restringit, vel extendit. Ita ex. gr. nonnulla in Scripturis dicuntur *impossibilia*, uti salus aeterna pro divitibus Matth. XIX. 24, et remissio quorumdam peccatorum Matth. XII. 32. Hebr. VI. 4. seqq. sed natura rei ostendit id esse intelligendum non de absoluta impossibilitate, sed de gravi tantum et relativa difficultate. Ita etiam multa quae generaliter enunciantur per voces *omnis, nemo,* ex substrata materia accipienda sunt cum restrictione: ita illud Ps. XII: « *non est qui faciat bonum, non est usque ad unum,* » et illud Matth. X. 22: « Eritis odio *omnibus hominibus* propter nomen meum, » et Io. III. 32: « Testimonium eius *nemo* accipit ». Ita etiam quaedam praecepta absolute et sine exceptione proponuntur, sed tamen ob rei naturam cum limitatione accipienda sunt; talia sunt illa Christi praecepta: « *Nolite iudicare,* ut non iudicemini » Matth. VII. 1, idest vitandum esse iniquum, et temerarium iudicium; et Matth. VI. 34: « *nolite ergo solliciti esse* in crastinum »

scilicet inordinata et vitiosa sollicitudine, item V. 34: « Ego autem dico vobis *non iurare omnino*.... sit autem sermo vester: est est, non non: quod autem his abundantius est *a malo est*, » quod certe non excludit absolute iusiurandum, quod est religionis actus, sed eius tantum abusum, cum scilicet iusta et gravis causa non intersit. Contra vero significatio vocum ob rei naturam seu substratam materiam saepe extendenda est ultra id quod sonant : ita vox *multi* vel *plures* Rom. V. 15. et 19, Matth. XIX. 28 accipienda est pro *omnibus*. Ita etiam voces *multus, magnus,* et similia, ubi de Deo sermo est stant pro infinito, et immenso.

3° Sensum proprium a metaphorico discernit, et figurarum sensum aperit. Ita ex. gr. Christus Dominus Matth. XXVI. 28, Mar. XIV. 24, Luc. XXII. 30 appellans id quod erat in calice *Sanguinem Novi Testamenti* (διαθηκης) ostendit se loqui de reali sanguine, nam haec erat foederum natura, ut non vino, sed vero sanguine confirmarentur, ut apparet ex Gen. XV. 8. seq. 17–18. Ex XXIV. 4–8, Deut. XXIX. 12, itemque ex praxi aliorum populorum imprimis orientalium. Cum autem dicit *Novi Testamenti* sine dubio illud comparat cum *Antiquo,* quod constat *sanguine* confirmatum fuisse (Ex. XXIV. 8, Hebr. IX. 18, seqq.) quasi dicat: Ego novum foedus inivi antiquo foederi substituendum, et hic est sanguis quo novum hoc foedus confirmo, sanguis, inquam, meus, cuius sanguis ille vitulorum et hircorum umbra tantum erat ac figura. Praeterea etiam ratio sacrificii in Eucharistia verbis illis innuitur: siquidem non quilibet sanguis, sed sanguis *victimae* foedus confirmare debebat iuxta receptum morem: unde orta phrasis illa etiam apud latinos: *ferire, percutere, icere foedus,* quia scilicet victima feriendo et mactando confirmabatur.

4° Sensus implicitos et consequentes detegit. Ita Matt. XIX. 9 cum Christus Dominus aiebat: « Dico autem vobis quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur » directe quidem et explicite condemnat divortium, indirecte autem et implicite damnat etiam polygamiam; haec enim si liceret Christianis, nihil impediret quominus, manente vinculo coniugali cum uxore dimissa, altera etiam duci posset: « Atque hic est locus (subiungit Iahnius Enchir. § 20) damnans polygynaeciam a Theologis quaesitus, et non observatus ». Quod tamen in-

iuria prorsus ab eo affirmatur: locus enim ille iuxta praedictum sensum observatus fuerat a Bellarmino (de Matrimonio Cap. X,) a Tournely (de Matrim. Quaest. V. Art. I. concl. 3ª) aliisque. Alterum exemplum nonnulli desumunt ex textu illo Iohannis (Io. I. 11) de Verbo divino aientis: « *in propria* (εις τα ιδια) *venit*, et sui eum non receperunt, » idest in domum suam, ad *suam familiam*, ut apparet ex. gr. ex alio loco Io. XIX. 27 ubi eadem phrasis, εις τα ιδια, *in sua*, in hac significatione accipitur: hac igitur loquendi ratione ostenditur Verbi divinitas; Deus enim in V. T. tamquam paterfamilias exhibetur, cuius sponsa erat synagoga, et filii Hebraeorum populus. Nec potest id convenienter explicari ex origine Davidica Christi secundum carnem, nam subiectum sermonis hic est Verbum, λογος, quod solum postea vers. 14 dicitur *caro factum*.

§. III. De ratione inveniendi substratam materiam, et monita de huius criterii usu.

Ut probe dignoscatur quaenam sit uniuscuiusque loci substrata materia imprimis integer textus et contextus attente perlegendus est; eiusdem autem rei natura, si forte nota lectori non sit, aliunde discenda est, et ad hoc maxime pertinet studium Archaeologiae biblicae, quae res minus notas nobisque obscuras, earumque naturam ac proprietates docet. Aliquando ipse Auctor in principio, vel in decursu sermonis declarat, ac definit quid sit illud, de quo tractat aut tractaturus est. Ita ex. gr. Paulus in 1. Cor. VII. 1 disputationem suam exorditur hisce verbis: « De quibus autem scripsistis mihi: bonum est homini mulierem non tangere, » quod est thema, seu substrata materia totius capitis: ita etiam cap. VII. incipit: « De iis autem, quae idolis sacrificantur, scimus quia omnes scientiam habemus etc. » quibus verbis alia materia enunciatur de qua pertractat in toto capite: rursum caput XII. exorditur his verbis: « De spiritualibus autem, nolo vos ignorare fratres, » quibus indicat novam substratam materiam quam tractaturus est, scilicet de variis Spiritus Sancti charismatibus, quibus primi illi fideles abundabant, de eorum scopo, et de recto eorum usu ut cedant in aedificationem Ecclesiae.

Quod pertinet autem ad applicationem substratae materiae, praeter ea quae superius dicta sunt, hoc unum notabimus, sensum verborum ex substrata materia esse definiendum tunc tantum cum

ea sufficienter cognita ac perspecta sit: secus enim potius ex verbis rei natura est determinanda, quam viceversa: quae cautio in iis praesertim locis adhibenda est ubi de mysteriis agitur. Hodierni biblici rationalistae contrariam viam tenentes sub praetextu huius logici criterii omnia dogmata supernaturalia de medio sustulerunt, verba Scripturae contorquentes ne illud significent, quod ipsis videtur philosophicae rationi, quam unice admittendam esse docent, minus convenire.

ARTICULUS IV.

DE SCOPO LOQUENTIS.

§. I. Notio huius criterii, eiusque valor hermeneuticus.

Scopum seu *finem loquentis* appellamus *illud ipsum, ad quod loquens vel scribens sermonem suum dirigit.* Potest autem dividi in *generalem* et *specialem,* prout aut ad integrum librum vel longiorem sermonem pertinet, aut ad aliquam tantum libri vel orationis partem. Considerationem finis loquentis necessariam omnino esse ex eo evidenter apparet, quod prudens quisque sermonem suum, verbaque quibus utitur ita accommodet ut nihil proferat contrarium fini quem intendit, quinimo ad illum obtinendum coetera dirigat. Hinc apparet generalem regulam tenendam esse: *omnem sensum contrarium scopo loquentis esse reiiciendum, admittendum autem qui unice vel melius quam coeteri cum illo convenit.*

Recte animadvertit recens quidam auctor, quod: « Auctoris scopum nosse, est maximam libri partem intelligere. Est enim scopus anima totius libri. Cognito scopo (non tantum libri integri, sed et singularum partium) singula vel minutissima rationem habent, cur sint a Scriptore posita, atque adhibita vel rerum vel verborum momenta. Ignorato scopo, omnia obscura, vel planissima alias atque apertissima. Vera enim lux verborum est meta, ad quam collimavit auctor. Sicut enim omnis actio ex certo animi proficiscitur consilio, atque eatenus diiudicanda est, ita et scriptio aestimanda ex hoc principio. » Verum quaedam magis in specie de hoc criterio exponenda sunt.

§. II. De emolumentis specialibus ex scopo loquentis derivandis.

1° Docet significationem obscuriorum vocum vel figurarum, et

ambiguas ad unum sensum determinat. Hinc ex. gr. familiares Iohanni metaphorae *lucis, tenebrarum, aquae vivae* aliaeque similes ex scopo etiam Iohannis declarari possunt, qui fuit refutandi insurgentes haereses Cerinthianorum et Gnosticorum huiusmodi phrasibus utentium in suorum errorum expositione, contra quos Iohannes ostendere satagit ubi sit vera lux, veraque vita, et ubi verae tenebrae. Ita etiam duriores sententiae Pauli in Epist. ad Romanos praesertim Cap. IX. ubi videtur omnem locum negare hominis arbitrio, et omnia sub necessitate divinae praedestinationis concludere, lucem accipiunt ex scopo totius epistolae, qui est demonstrare adversus Gentiles simul et Iudaeos nemini gloriandum esse in propriis viribus aut meritis, sed spem unice collocandam in divina misericordia: unde fit ut aliqua hyperbole utatur in naturae viribus deprimendis, et praedestinationis efficacia extollenda.

2° Docet quousque urgenda sit significatio vocabulorum, et an universaliter an vero restrictive, an absolute an vero sub quodam respectu tantum accipienda sint. Ita ex. gr. quae Moyses habet Gen. I. de operibus creationis non sunt omnia necessario accipienda prout verba sonant, sed quaedam in sensu dumtaxat relativo, puta quae habet de magnitudine solis et lunae vers. 14–16, alia in sensu minus proprio vel etiam omnino figurato, ut ea quae dicit de *firmamento*, et aquis *supra* illud collectis, quae nonnisi de stratis inferioribus athmospherae, et de nubibus intelligenda videntur, probabilius etiam sex *dies* creationis accipiendi non sunt proprie, sed pro epochis indefinitis, ut alias animadvertimus. Horum omnium ratio est quia scopus Moysis hic non erat docere astronomiam, aut naturalem philosophiam, sed tantum Dei creatoris omnipotentiam, dominium et paternam erga homines providentiam, proindeque de rebus naturalibus loquutus est secundum id quod apparet sensibus, et iuxta modum, quo homines de his loqui solent. Ita quoque Matth. XVI. 18. 19 cum Christus Simonem destinavit ut esset fundamentum Ecclesiae, eique claves tradidit Regni coelorum, censendus est non Petro tantum praerogativam hanc, seu primatum iurisdictionis, tradidisse, sed voluisse ut eadem potestas in eius successoribus usque ad mundi finem perduraret: nam scopus eius erat non Petri commodis et honori tantum consulere, sed imprimis medium ordinarium constituere ad Ecclesiae unitatem constituen-

dam, et conservandam, quae ratio etiam post Petri mortem locum habitura erat. Sunt ergo Christi verba iuxta scopum extendenda ultra eum sensum quem prima fronte praeseferunt. Contra vero multa praecepta a Christo inculcata Matth. V, ut de non iurando, de non resistendo iniusto aggressori, aliaque similia, non sunt accipienda in tota vi et extensione verborum, quia scopus Christi ibi non erat absolute haec prohibere, sed cum respectu ad varios abusus apud Iudaeos tunc vigentes, quos corrigendos susceperat.

3° Rationem reddit cur sacri Scriptores aliqua narraverint vel omiserint, et docet quid in sermone ut principale habendum sit, quid autem ut accessorium, aut etiam ornatus tantum causa appositum. Ita si quis miretur cum viderit Iohannem Evangelistam multa de Christo Domino omittere etiam summi momenti ut ex. gr. nativitatem et infantiam, sermonem montanum, et ipsam sanctissimae Eucharistiae institutionem, contra vero multa narrare quae in aliis Evangeliis desiderantur, et profundiorem de mysteriis divinitatis doctrinam fusius proponere, animo recolat Iohannis scopum in Evangelio scribendo duplicem fuisse, alterum dogmaticum, ut Christi divinitatem contra Ebionitas, et Cerinthianos stabiliret, alterum vero historicum, ut ea quae ab aliis omissa fuerant narraret, omissis vicissim iis quae a reliquis Evangelistis copiose et singillatim enarrata fuerunt. Ita etiam in parabolis explicandis scopus loquentis docet quasdam circumstantias ad substantiam sermonis pertinere, illas nempe quae ad scopum tendunt, alias vero esse mere accessorias vel ad ornatum narrationis appositas, illas scilicet quae ad praedictum scopum nihil conducunt.

4° Denique distinguit sensum verborum proprium a metaphorico. Et hic recolenda sunt quae superius disputavimus de modo discernendi figuratas Scripturae locutiones, et imprimis de casibus in quibus audaciores et insuetae methaphorae ob loquentis scopum admitti nequeunt.

§. III. Modus inveniendi scopum loquentis, eumque practice applicandi.

1° Dignoscitur saepe scopus loquentis ex aperta ipsius declaratione. Ita ex. gr. Moyses Ex. XV. canticum suum exorditur his verbis: « Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est: equum et ascensorem deiciet in mare, » quibus clare enunciat totius cantici

scopum. Ita etiam Salomon initio libri Proverbiorum (Prov. I. 1-7) scopum quem in scribendo sibi proposuit, aperit. Ita etiam plures Psalmi praefixum habent titulum, qui breviter indicat eorumdem scopum ex. gr. Ps. XXXVII, LV, LXV, LXIX et alibi, quod tamen de his titulis intelligendum est, qui Psalmi scopum certo et clare designant; multi enim tituli, ut alias vidimus, ita obscuri sunt ut nullum emolumentum pro re nostra suppeditent. Etiam in N. T. Lucas in exordio sui Evangelii clare exponit scopum sibi propositum in ipso Evangelio conscribendo, idemque facit aliquando Christus Dominus in principio quarumdam parabolarum. Alias vero scopus sermonis in fine traditur per modum conclusionis. Ita Matth. XXV. 13 post parabolam decem virginum concludit Christus: « Vigilate itaque quia nescitis diem neque horam. » Ita etiam Iohannes circa finem Evangelii expositionem gestorum et dictorum Christi concludit hisce verbis: « Haec autem scripta sunt ut credatis, quia Iesus est Christus filius Dei: et ut credentes vitam habeatis in nomine eius » (Io. XX. 31). Ubi igitur aliqua huiusmodi declaratio occurrit, nihil ulterius inquirendum est. Cum vero non semper hoc fiat, alia media assignanda sunt.

2° Si scopus loquentis non statim appareat, diligenter inspiciendus est contextus et substrata materia; sedulo notandum, quid tamquam principale ab auctore vel loquente inculcatum sit, in quo magis insistat, quidve repetat et inculcet frequentius. Ex hac enim attenta analysi vix fieri potest ut auctoris scopus non innotescat. Ita ex. gr. etiamsi Iohannes non diceret se scripsisse Evangelium ad Christi divinitatem ostendendam, hic tamen scopus satis clare appareret ex attenta Evangelii inspectione; a principio enim ad finem nihil est quod magis urgeat, et clarius exponat, quam Christi Domini divinam naturam et filiationem, eaque sive facta sive dicta Christi, quae ad eam demonstrandam directe conducunt.

3° Nonnunquam ad dignoscendum sacrorum Scriptorum scopum opportune interpreti succurrit testimonium traditionis, quae plura conservavit a discipulis Apostolorum accepta circa scopum ad quem illi suos libros aut epistolas scripserunt: ita factum esse de Evangeliis Matthaei, Marci et Iohannis alias vidimus. Huiusmodi traditionis testimonia servata sunt ab antiquis Scriptoribus Ecclesiasticis, imprimis Eusebio (in Hist. Eccl.) et Hieronymo (in Catalogo Vir.

III.). Saepe etiam occurrunt in Codicibus antiquis mss. sive graeci textus, sive versionum vel *tituli* singulis libris praefixi, vel *prologi*, seu breves praefationes, ubi de scopo Agiographorum fit sermo iuxta receptam in praecipuis Ecclesiis traditionem, et sententiam.

Quod pertinet ad applicationem huius criterii hoc unum monendum existimamus, in singularibus locis exponendis non esse urgendum finem *generalem* totius libri, nisi tantum negative. Saepe enim fit ut in specialibus locis generalis ille scopus nullum influxum exerceat, sed tantum peculiaris scopus ad quem locus ille tendit. Qui aliter faciunt saepe argumenta proferunt, quae vim nullam habent, et fundamento destituta sunt, quod facile esset confirmare exemplis nonnullis ex Theologiae tractatoribus desumptis.

ARTICULUS V.

DE OCCASIONE SERMONIS. (1)

Occasio sermonis dicitur *quaelibet externa circumstantia, quae auctorem movet ad aliquid scribendum vel dicendum.* Valde affine est hoc criterium scopo loquentis, ita ut in concreto saepe vix possint distingui. Illud enim quod auctorem movet ad aliquid dicendum plerumque est etiam finis propter quem illud dicit. Per se tamen haec duo distingui possunt, praesertim cum agitur de iis quae incidenter a loquente, vel scribente pro data occasione proferuntur, nec proprie pertinent ad scopum quo tendit sermo vel scriptum.

Usus occasionis loquendi plus minus idem est, quem notavimus in scopo loquentis.

Itaque cognita occasione, qua sacri Scriptores aliquid protulerunt, ea quae aliunde obscura vel ambigua essent mirifice declarantur, significatio dictionum vel augetur vel imminuitur, sensus proprius a metaphorico distinguitur, denique ratio reddi potest

(1 Hoc et sequens criterium possent aliquo modo ad *historica* referri cum aliquid exhibeant extrinsecum sacris Auctoribus eorumque libris. Verum opportunius iudicavimus eis locum dare inter logica criteria, quia directe et proxime influunt in mentem auctoris, vel loquentis, et aliunde haec fere semper ex ipsa lectione S. Scripturae innotescunt, quin ad *historiam* vel ad *Archaeologiam* recurrendum sit. Criteria vero historica vocabimus ea quae magis proprie ad externas circumstantias auctoris et sermonis referuntur, et ex historia antiqua innotescunt.

illorum quae sine causa dicta videri possent. En aliquot exempla. Io. VI. 54 et 56 legitur Christum dixisse: « Amen, amen dico vobis: nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis....caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. » Contendunt haeretici sacramentarii verba haec metaphorice accipienda esse de interna fide in Christum habenda. Verum, coeteris omissis, si *occasio* inspiciatur quae Christum movit ad ea proferenda, haec interpretatio absurda apparebit: ut enim legitur vers. 53 Iudaei cum Christum audissent promittentem se ipsum suamque carnem in cibum: « litigabant...ad invicem dicentes: quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum ? » Occasione autem huius murmurationis seu difficultatis credendi auditorum Christus protulit verba superius recitata. Ergo non possunt metaphorice intelligi, sed emphasim continent, ut omnino verum esse affirmetur quod illi credere recusabant. Matth. X. 5 ait Christus Apostolis paulo ante a se electis: « In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis: sed potius ite ad oves quae perierunt domus Israel: » quae prima fronte videntur contradicere aliis testimoniis, ubi Christus Apostolos mittit ad omnes gentes ex. gr. Mar. XVI. 15: « Euntes in *mundum universum* praedicate Evangelium *omni creaturae* ». Verum cessat difficultas si attendatur occasio illius prioris praecepti: illud enim Apostolis datum est occasione qua Christus incipiebat per Apostolos praedicare suum Evangelium; in illo autem exordio prudentia requirebat ne discipuli ad Samaritanos et Gentiles diverterent, quos Iudaei contemptui habebant, ideoque scandalum sumpsissent si vidissent hebraeos doctores illis gentibus praedicantes: postquam vero praedicatio Iudaeis facta esset et Christus ipse morte sua illam confirmasset, tunc opportunum erat aliis gentibus annunciare Christi fidem, et huc pertinet illud alterum praeceptum post resurrectionem a Christo datum. Aliquando etiam negative hoc criterium iuvat interpretem. Scilicet cum quaedam a Christo Domino vel ab Apostolis legimus prolata, quae absque ulla speciali occasione dicta sunt, sed sponte, et proprio, ut dicitur, motu, discimus haec accipienda esse absolute, et, coeteris paribus, iuxta totam verborum significationem, non autem improprie aut relative, multo autem minus per quamdam accommodationem factam praeiu-

diciis aut infirmitati auditorum. Hoc autem valet contra Semlerum aliosque auctores et defensores systematis quod dicitur accommodationis dogmaticae, de quo alias.

Ratio qua nobis innotescit occasio loquendi multiplex est quemadmodum diximus de scopo loquentis. Imprimis enim ipse sacer textus saepissime occasionem memorat ob quam aliquid dictum vel scriptum est, ut fit ex. gr. in loco Iohannis mox citato, item in principio Evangelii Lucae, et Luc. XIV. 15 seqq. Mar. X. 2 et 10 ubi duae Phariseorum et discipulorum interrogationes circa matrimonium Christo propositae distinguuntur, quae distinctio clariorem reddit Christi sermonem quam apud Mattheum XIX. 3 seqq. ubi duae quaestiones non separantur. Ita etiam 1. Cor. VII. 1. VIII. 1, et alibi. Saepe etiam occasio sermonis colligitur ex attenta consideratione totius sermonis et adiunctorum, quae sive explicite sive implicite in ipsis Scripturis narrantur de persona loquente, vel de sacro Scriptore: quibus non raro lucem affundunt testimonia veterum Ecclesiasticorum Auctorum, qui testati sunt de occasione qua nonnulli sacri Scriptores ad suos libros vel epistolas edendas inducti fuerunt.

Cavendum tamen est ne plus concedatur huic criterio quam opus est, ne scilicet velimus ex occasione sermonis aliquid explicare ad quod illa non extenditur. Qua in re maturo ac sobrio iudicio opus est, nec ulla speciali regula tradi potest.

ARTICULUS VI.

PECULIARIS COGITANDI ET LOQUENDI RATIO AUCTORIS.

Quae hucusque dicta sunt pertinent ad communes, et ordinarias cogitandi leges, ad quas homines suum sermonem exigere solent. Verum omittendum non est individualem uniuscuiusque auctoris vel personae loquentis characterem, aut conditionem aliquando efficere ut a communibus illis legibus paullisper deflectat. Quare hoc etiam prae oculis habendum est interpreti, cuius munus est mentem auctoris perfecte intelligere, eiusque sensum velut induere. Sunt igitur sub hoc respectu praecipue tria attendenda in quibusdam libris aut locis Scripturae interpretandis.

1° Auctoris, vel loquentis individualis character sive indoles. Hinc generalis regula est: *verba et sententiae loquentis non sunt eo modo intelligenda, qui eius indoli et characteri repugnet.*

Ita ex. gr. miraculum patratum in nuptiis Canae Io. II male prorsus et inepte a Paulusio explicatur quasi nihil aliud fuerit quam iocus nuptialis ad sponsos inexpectato illo beneficio exhilarandos: hoc enim nullatenus convenit Christi Domini gravitati ac dignitati, qui illa omnia solemniter et omnino serio perfecisse credendus est, etiam sepositа Iohannis attestatione, qui conversionem illam aquae in vinum *primum signorum,* idest miraculorum, Christi appellat. Ita etiam quae habentur Matt. XVI. ubi Christus ait: « Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam » non possunt explicari quemadmodum a Luthero explicata sunt, quasi nempe pronomen *hanc,* et vox *petra* Christum ipsum designarent, qui haec proferens digito se ipsum indicasset: hoc enim modo intellectus Christi sermo cum tanta solemnitate prolatus, et cum magnifico illo exordio: « Beatus es Simon Bar-Iona.... et ego dico tibi, quia tu es Petrus etc.» iste, inquam, sermo illusorius prorsus et ridiculus fuisset, quod Christi Domini characteri repugnat. Ita etiam iniuria prorsus Semlerus eiusque asseclae nonnulla effata dogmatica Christi Domini, et Pauli Apostoli ita exponunt ac si prolata fuissent non ex animo, sed ad morem gerendum Iudaeis eorumque praeiudiciis, seu per *accommodationem,* uti vocant, *dogmaticam.* Huiusmodi enim accommodatio maxime repugnaret Christi et Apostolorum characteri, sive privato, quem scimus candidum fuisse et veritatis unice amicum, sive publico divinorum legatorum et doctorum universalium, quorum officium erat errores et praeiudicia moralia ac religiosa non confirmare, sed corrigere et extirpare.

2° Praeterea spectanda est actualis conditio eius qui loquitur, idest, num forte speciali aliquo et vehementi affectu in dicendo moveatur.

Siquidem manifestum est verba uniuscuiusque iuxta affectum dicentis eiusque animi statum dimetienda esse, ita ut modo augendus, modo autem mitigandus sit eorum obvius sensus. Ita ex. gr. vehementissimae illae loquendi formae quibus Iob maledicit et imprecatur diei nativitatis suae (Iob. III. 3. seqq.) aestimandae sunt

iuxta praesentem eiusdem Iobi statum qui omnibus rebus spoliatus, acerbissimis doloribus afflictus, ab ipsa uxore derelictus et irrisus, ab amicis quoque vexatus magis quam consolatione recreatus in ea verba erumpit, quae ex praedicta animi conditione, coniuncta cum indole et emphatica loquendi ratione Orientalium propria, benigne explicanda sunt, salva nempe illius sancti viri patientia, et animi resignatione. Idem aliquando dicendum est de imprecationibus, vehementibusque querelis quae in Psalmis Davidis occurrunt, ut alias vidimus. Ita etiam phrasis illa frequens in Scripturis: *quid mihi et tibi?* vel alia similis expressio diversam vim et extensionem habere dicenda est pro vario affectu loquentis. Accipiamus ex. gr. haec tria loca ubi eadem recurrit: 2. Reg. XVI. 10 David ait ad Abasai qui volebat Semei regi maledicentem occidere: « *quid mihi et vobis* est filii Sarviae? dimittite eum ut maledicat; » In 3. Reg. XII. 16 populus, audito Roboami responso, ait: « *quae nobis pars in David? vel quae haereditas in filio Isai?,* » demum ipse Dominus in nuptiis Canae matrem suam rogantem ut aquam in vinum converteret iisdem verbis alloquutus est Io. II. 4: « *Quid mihi et tibi est, mulier?* » Attamen quis dixerit eumdem prorsus esse sensum huius formulae, eodemque modo eam esse urgendam in citatis locis? In primo enim loco verba sunt absolute recusantis et implicite redarguentis, in altero sunt verba irati populi et a Rege omnino desciscentis, in tertio vero sunt Christi filialis ergo matrem amoris ac pietatis nequaquam immemoris, nec absolute contradicentis, quemadmodum et subsequens eventus ostendit. In orali sermone haec discrimina facile percipiuntur ex ipso tono vocis, aspectu, gesticulatione; in sermone vero scripto, ubi haec adminicula desunt, aliunde res iudicanda est, sed ea adiuncta loquentis supponi et praesumi possunt (quamvis non temere) ad loquutionum quarumdam rationem reddendam. Ita in citatis verbis Io. II. 4 facile est sibi repraesentare Christum modesto et benigno vultu ac voce ea proferentem, atque ita apparens illa asperitas responsionis evanescet.

3° Attendendae sunt etiam peculiares si forte adsint loquendi formae singulis Auctoribus propriae.

Qua in re notandum est loquendi usum non ita fixum et determinatum esse ut nullum relinquat locum peculiaribus dicendi

modis, quibus una vel altera de causa aliquis auctor assuescere potest, et iis familiariter uti. Quod etiam a sacris Scriptoribus fieri potuit et factum est. Quamvis autem de his aliqua dicta sint in expositione regularum philologicarum, praestabit tamen hic nonnulla adnotare, quatenus huiusmodi peculiares loquutiones indicant peculiarem quoque cogitandi modum quorumdam Auctorum, ideoque hic ad complementum regularum logicarum animadverti debent. Unde regula generalis est: *Verborum et phrasium significatio ex communi loquendi usu perspecta accipienda est cum respectu et accomodate ad peculiarem, si adsit, cogitandi et loquendi modum uniuscuiusque Auctoris.*

Praeter ea quae superius dicta sunt, ubi de usu loquendi agebatur, nonnulla in specie hic notanda occurrunt. In *Prophetis* cogitandi et loquendi modus omnino peculiaris est: rerum enim ordinem raro observant, res futuras tamquam praesentes aut praeteritas sistunt, eventus longo temporis intervallo divisos ita coniungunt, ac si ad eamdem epocham pertinerent, transitum ab uno ad aliud subiectum vix unquam exprimunt, personam loquentem seu regentem sermonem frequenter et abrupte immutant, non monitis lectoribus, denique imaginibus, et figuris formisque dicendi vehementioribus et insolentioribus passim utuntur. Haec omnia interpreti consideranda sunt in Prophetis legendis, si velit eorum mentem rite exponere: frustra enim laboraret si vaticinia conaretur ad consuetas leges usus loquendi, contextus aliasque similes adamussim exigere, quae in Prophetis paullisper immutatae sunt, et quodammodo subordinatae praedictae peculiari cogitandi rationi.

In Libris et partibus *poeticis*, praeter ea quae ad figurarum indolem pertinent, in quibus, uti pronum est intelligere, pöesis etiam Hebraeorum a prosa oratione discrepat, speciatim notandus est parallelismus *poeticus*, quem vocant, qui potissimum in Libris rythmice scriptis, quales sunt liber Iobi maxima ex parte, Psalmi Proverbia, Canticum etc. locum habet frequentissime. Est autem parallelismus poeticus *ea loquendi ratio, qua duo vel plures versus unum eumdemque conceptum exprimentes ita connectuntur, ut verba verbis, sententiae sententiis symmetrice respondeant.* Potest autem dividi in *syntheticum*, et *antitheticum*. Ille habetur cum in secundo hemistichio eadem res, vel analoga verbis paullisper di-

versis repetitur; ita ex. gr. Ps. II. 4: « Qui habitat in coelis irridebit eos, et Dominus subsannabit eos: » Prov. II. 21 et 22: « Qui enim recti sunt habitabunt in terra, et simplices permanebunt in ea. Impii vero de terra perdentur: et qui inique agunt, auferentur ex ea, » et ita aliis sexcentis locis. Alter autem, seu *antitheticus,* tunc habetur cum alterum membrum rem contrariam sistit, ita ut ex eius oppositione alterum illustretur. Uti ex. gr. Prov. XII. 1 « Qui diligit disciplinam diligit scientiam: qui autem odit increpationes insipiens est, » et vers. 3: « Non roborabitur homo ex impietate: et radix iustorum non commovebitur » et vers. 6: « Verba impiorum insidiantur sanguini: os iustorum liberabit eos » et ita in reliquo capite, et in tribus sequentibus per totum. In quibusdam locis coordinatio vel oppositio paulo complexior est, ita ut non bina, et bina procedant, sed vel terna, ut Os. VI. 1 et 2, vel quaterna, ita ut primum membrum tertio, et secundum quarto respondeant, ut ex. gr. Ps. XXXII. 3, de quibus plura disputant Rob. Lowth: *De poesi hebraeorum sacra* §. 31, et Iahn vel Ackermann Archaeolog. Biblic. §. 91; qui praeterea parallelismum *synonimum* distinguunt ab aliis duobus, sed hic iuxta notionem superius explicatam ad syntheticum revocari potest. Ex his vero facile intelligitur parallelismum poeticum interpreti attente considerandum esse, et ex eo emolumentum derivari posse pro scripturae intelligentia. Cum enim partes sermonis ita artificiose collocatae sint ut altera alteri respondeat, manifestum est eas invicem sibi lucem affundere, et si una obscura est ex altera illustrari posse; ita ex. gr. Ps. LXXV. ubi Vulgata legit: « Et factus est in *pace* locus eius: et habitatio eius in *Sion* » alterum hemistichium indicare videtur in primo hemistichio pro *pace* legendum esse *Salem* (seu Ierusalem) quae vox simul in hebraea lingua pacem significat: quod etiam praecedentia et antecedentia confirmant. Ita etiam in cantico Zachariae Luc. I. 79 quid sint *tenebrae* et *umbra mortis* illustratur ex antithesi cum *via pacis,* idest, prospera et tranquilla vitae ratione. Ex parallelismo etiam colligitur quid in sermone poetico, saepe conciso et ellyptico, supplendum sit. Ita ex. gr. Prov. X. 14; « Sapientes abscondunt scientiam: os autem stulti confusioni proximum est. » Ex altero membro intelligitur prioris sensus, et quid in utroque subintellectum sit: idest sapientes prudenter ta-

cent de multis, quae sciunt, et ideo nihil adversi patiuntur: stulti vero ea quae sciunt temere blaterantes ignominiam et damna sibi comparant. Ita quoque Cap. XII. 13 legitur: « Propter peccata labiorum ruina proximat malo: effugiet autem iustus de angustia; » subintellige propter vigilantiam, qua labia sua custodit.

In libris N. T. quaedam peculiaria et propria occurrunt in Iohannis et Pauli scriptis, ut alias animadvertimus. Ita voces λογος, *Testimonium, Antichristus* peculiarem habent usum in Evangelio, Epistolis, et Apocalypsi Iohannis: et voces *Lex, peccatum, fides, homo carnalis* et alia nonnulla peculiarem habent sensum in epistolis Pauli Apostoli. Peculiaris quoque est Evangeliis usus parabolarum, et sensus parabolicus, de quo aliqua superius notata sunt.

Haec omnia igitur prae oculis sunt habenda, ne quis communes notiones aut consuetas regulas applicet iis locis, ubi constat Agiographum seu cogitando, seu loquendo ab illis plus minus recessisse. In his tamen omnibus maturo iudicio, et exquisita prudentia opus est, ne forte consuetus verborum sensus ab interprete relinquatur, seu temere et absque solido fundamento, seu, quod gravius esset, ob praeiudicatam aliquam opinionem peculiares cogitandi modos et loquutiones supponendo aut fingendo ubi revera non adsunt.

CAPUT III.

De criteriis et regulis historicis biblicae interpretationis

Praeter loquendi usum, et internam cogitationum indolem et connexionem, etiam *externae* circumstantiae loci, temporis, rerum ac personarum in sermonem influunt, eiusque sensum saepe determinant: unusquisque enim verba sua accommodat circumstantiis, in quibus loquitur vel scribit. Quare interpres has quoque investiget necesse est si vult mentem sacrorum Scriptorum perfecte intelligere et assequi. Apte rem explicat cl. Ranolder: « Ut paucis, inquit, omnia complectar: lector et interpres, ut ultra corticem penetrare valeat in mentem auctoris, historica adiuncta, omnemque indolem auctoris, et auditorum, primorumve lectorum, quoad eius fieri potest, sibi familiarem reddere, atque tum se totum in locum, aetatem, conditionem et circumstantias auctoris cogitando

transferre debet: nam nonnisi sic demum sensum dictorum plene perspiciet, » et, ut paulo post addit: « Si auctorem intelligere nihil aliud est quam ubi vis eadem cogitare quae, dum loqueretur aut scriberet ipse cogitavit, in promptu est, non in solis verbis utcumque perceptis, neque in sola sensus seu singularum vocum, seu integrorum locorum cognitione aquiescendum, sed porro obnitendum esse ut quidquid rerum seu sensibus subiectarum, seu sola mente intelligendarum commemoratur, earum rerum notio non alia informetur, quam quae auctoris animo est obversata ». Cum autem in tanta temporum antiquitate huiusmodi rerum, et circumstantiarum notitia nonnisi ex antiqua historia comparari possit, fit ut huiusmodi investigatio historica dicatur, et criteria ac regulae ad eam pertinentes *historicae* etiam dici possint, et considerari seorsim a regulis philologicis et logicis hucusque traditis (1).

Quoniam vero circumstantiae praedictae multiplices esse possunt oportebit eas ad quaedam capita revocare: dicemus autem imprimis pauca de singulis capitibus, et de utilitate quae ex iis derivari potest in interpretatione Sacrae Scripturae, deinde vero fontes indicabimus unde earum notitia haurienda est, additis quibusdam monitis seu cautelis in horum applicatione servandis.

ARTICULUS I.

De variis classibus circumstantiarum externarum, earumque usu hermeneutico

Circumstantiae externae, quae usum hermeneuticum praestare possunt, in tres classes distribuendae videntur: vel enim respiciunt personam scriptoris seu loquentis, vel personas auditorum aut lectorum, idest eos ad quos sermo dirigitur, vel denique res aut personas, de quibus est sermo. Ex his omnibus bene perspectis sensus singulorum locorum mirifice declaratur, persaepe sine earum notitia sensus omnino percipi nequit. Hinc generalis regula: *Sententiae sacrae Scripturae intelligendae sunt eo modo qui conveniat externis*

(1) Hoc ita intelligendum est, non quatenus historicae notitiae nullum prorsus locum habeant in tractatione regularum philologicarum et logicarum, sed eo sensu, quod tertia haec classis regularum peculiari modo, et undequaque historica sit, ut iam superius dixeramus.

circumstantiis, in quibus auctor scribebat seu loquebatur. Verum operae pretium erit haec in specie considerare.

I. Circumstantiae *ipsius auctoris,* vel loquentis revocari possunt ad ipsius patriam, religionem, statum civilem, vicissitudines, et ad peculiaria externa adiuncta, in quibus versabatur cum scriberet inquantum haec influxum exercebant in eius loquendi, vel scribendi rationem. Ex horum omnium consideratione interpres iudicabit quousque sensus verborum urgendus sit, an propria eorum significatio accipienda sit, an metaphorice sint intelligenda, aut etiam significatione paullisper diversa a communi usu; rationem quoque sibi reddere poterit de iis quae prima fronte inopportuna videntur, vel etiam errorem aut vitium continere. En aliqua exempla. Qui legit initium Epistolae ad Galatas mirari posset de singulari illo titulo: « Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, et Deum Patrem, qui suscitavit eum a mortuis, et qui mecum sunt omnes fratres, ecclesiis Galatiae: » quae ampullosa et superflua viderentur, et a Pauli more abhorrentia, nisi quis consideret Apostolum apud Galatas illos diffamatum fuisse a quibusdam falsis praedicatoribus, qui ut errorem suum de necessitate et efficacia legalium facilius insinuarent eumdem Apostolum deprimere satagebant, et dubia adversus eius Apostolicam missionem spargebant: quorum audaciam retundens Paulus sui Apostolatus originem et veritatem inde ab exordio epistolae in mentem lectorum revocat, et multis deinceps confirmat. Ita etiam lex ab Apostolis lata Act. XV. de non comedendis carnibus idolis immolatis manifeste accipienda est non uti lex absoluta, et perpetua, sed tantum temporaria ob illius temporis et loci circumstantias; siquidem Iudaei Ierosolymae praesertim degentes ea re maxime offendebantur, ad quorum scandalum vitandum praeceptum illud ethnicis ad fidem venientibus Apostoli prudenter imposuerunt: quare remota illa circumstantia non multo post etiam praeceptum cessavit, ut apparet ex Rom. XIV. 2, et 1 Cor. VIII. Si quis attendat Paulum Epistolam ad Romanos, et Petrum suam priorem Epistolam scripsisse cum iam saevissima persequutio in Christianos iussu Romani Caesaris orta esset, unusquisque intelliget quanto gravius sit pondus eorum, quae leguntur Rom. XIII. 1 et seq. 1 Pet. II. 13, quibus reverentia et subiectio erga civiles magistratus

praescribitur. Ea quae Lucas refert in primis duobus capitibus Evangelii de iis quae praecesserunt vel consequuta sunt Christi nativitatem sub aspectu historico et critico graviora apparent ex ea circumstantia, quod Lucas post Christi ascensionem cum beata Maria Virgine diu commoratus et familiariter colloquutus fuerit. Verba Davidis in Ps. L.: « *Tibi soli* peccavi, et malum *coram Te* feci » proprio ac stricto sensu accipienda esse intelligitur ex ea circumstantia quod peccatum adulterii et homicidii, ad quod Propheta ibi alludit, clam commissum, et ab hominum notitia studiose et callide celatum ab eo fuisset.

II. Circumstantiae *auditorum,* vel *primorum lectorum* pariter attendendae sunt ut sensus Scripturae recte percipiatur. Considerandum est scilicet quinam sint ii, ad quos sermo dirigitur, rudes ne an docti, amici an inimici, boni an mali, quibusque affectibus, opinionibus aut erroribus imbuti fuerint: ad haec enim loquens vel scribens attendere debuit, iisdemque circumstantiis sermonem accommodare, qui proinde, iis non perspectis, recte ac plene intelligi nequit. In specie vero ex hac consideratione interpres discet quibus terminis sententiae circumscribendae sint, utrum scilicet prout sonant accipiendae, an vero ultra obvium sensum extendendae, vel contra mitigandae sint; discet quoque nonnulla non iuxta logicum rigorem, sed accommodate ad subiectivum auditorum vel lectorum statum dicta esse; demum plurium quae scripta sunt rationem intelliget, quae, ignoratis auditorum circumstantiis, inverosimilia aut inopportuna viderentur. En quaedam exempla. Praecepta illa alias memorata Matth. V. et VI. de non iurando, de non resistendo inimicis et alia similia ex hoc criterio, seu ex circumstantiis auditorum, intelligenda sunt cum restrictione: diriguntur enim immediate ad Iudaeos Christi coaevos in quibus abusus in iureiurando adhibendo, et in iure suo repetendo frequentissimus erat, quem ibi Christus corrigere volebat. Christus Dominus Matth. XXII. 31, seqq. demonstraturus corporum resurrectionem hoc argumento utitur: « De resurrectione autem mortuorum non legistis quod dictum est a Deo dicente vobis: Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Iacob? non est Deus mortuorum sed viventium. » Quod quidem argumentum per se sumptum logice non concludit. Sufficeret enim ut Abraham, Isaac, et Iacob vivant quod pertinet ad

animam, ut Deus dici posset eorum Deus. Verum considerandum est sermonem illum dirigi ad Sadducaeos, hos autem in eo errore fuisse, ut crederent nihil hominis post mortem superesse, negabant enim animae spiritualitatem, et hac de causa induci non poterant, ut crederent futuram corporum resurrectionem, quae utique in gratiam immortalium animarum facienda est. Christus igitur accommodate ad eorum mentem argumentum proponit, quod ipsis convincens erat: quare additur in textu (vers. 34) eos ad silentium redactos fuisse. Quod legitur Matth. XXVI. 62, seqq. Christum a multis testibus coram summo pontifice accusatum nihil respondisse, quamvis a principe sacerdotum ad hoc urgeretur, ex circumstantiis illarum personarum optime explicatur: testes enim futilia prorsus afferebant neque inter se conveniebant, ideoque responsionem non merebantur, iudices autem ita erant praeiudicati et ad Christum per fas aut nefas perdendum proclives, ut defensio quaelibet, et veritatis declaratio inutilis fuisset. In sermone Christi post ultimam coenam habito ad discipulos legimus promissionem Paracliti Io. XIV. 16: « Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, spiritum veritatis etc. » quibus verbis rationalistae contendunt nihil aliud promitti, quam ordinarium divinae providentiae auxilium: sed obstat circumstantia auditorum, illud enim Christus aiebat ad suos Apostolos, qui cum intellexissent sese brevi magistrum amissuros vehementi tristitia angebantur, quos proinde Dominus solatur hunc alterum Paraclitum, idest *consolatorem*, sui loco promittens: est ergo admittenda ibi promissio ipsius Spiritus Sancti et supernaturalium ac specialium eius charismatum. In legendo Evangelio saepe miramur cur Apostoli aliique discipuli non intelligerent quae Christus de sua passione ac morte frequenter praedicebat, quae nobis tam clara et aperta videntur ex. gr. Matth. XX. 18, 19, Mr. IX. 30, Luc. IX, 44, ubi additur: *at illi ignorabant verbum. Illi ignorabant verbum istud, et erat velatum ante eos ut non sentirent illud.* Verum cessat admiratio si consideremus Iudaeis tunc temporis, ipsisque discipulis alte defixam animo fuisse ideam Messiae tamquam regis temporalis et gloriosi, a quo esset restituendum regnum Israel: unde tanta difficultas in intelligendis iis quae de ipsius Christi ignominia, passione ac morte di-

cebantur. Verba Pauli Phil. II. 10: « In nomine Iesu omne genu flectatur, coelestium, terrestrium et infernorum » de vera adoratione quae soli Deo debetur intelligenda esse ex eo etiam suadetur, quod apud Philippenses caeterosque Graecos haec tantum erat notio subiecta verbo *genuflectere,* προσκυνειν, quod contra apud Hebraeos aliosque Orientales latiorem habet significationem, et etiam de civili cultu, ac reverentia passim adhibetur. Plura alia exempla ex Pauli epistolis afferri possent, in quibus multa ex conditione et circumstantiis lectorum explicanda sunt, et ex iis lucem accipiunt: hinc ex. gr. intelligitur cur in principio Epistolae ad Romanos universae Ecclesiae fidem Romanorum fidem appellet Rom. I. 8, eosque cum quadam reverentia alloquatur, et quasi timeat ad eos instruendos accedere (ib. 11 et 12), quia scilicet iam a Petro instituta Romana Ecclesia super alias omnes coeperat habere primatum; intelligitur etiam cur ad Corinthios scribens tam frequenter et tam vehementer carnalia vitia insectetur, et animi demissionem, et vanae scientiae contemptum et factis et verbis insinuet: haec erant scilicet quibus Corinthii, gens corruptissima moribus, et de philosophiae scientia superbiens, prae ceteris indigebant. Ita etiam ad Galatas scribens tam acriter instat, ut Legis Mosaicae ritus dimittant, et ad Hebraeos ut Christum legislatorem et sacerdotem Moysi et Aaroni longe praeferendum esse agnoscant, quia scilicet his contraria praeiudicia illorum animis inhaeserant. Item Pauli oratio Act. XVII. praeter morem artificiosa est, rhetorica simul et philosophica: recitata enim est in Areopago Atheniensium philosophorum, qui humilem et incomptum sermonem procul dubio despexissent. Ex hoc fonte etiam intelligitur cur Agiographi N. T. tam concise et obscure de quibusdam doctrinae capitibus loquantur, quia scilicet ad eos scribebant qui illis veritatibus iam plene imbuti fuerant, et ulterius deinceps imbuendi erant per oralem et quotidianam Apostolorum praedicationem.

III. Denique *rerum et personarum* de quibus fit sermo indoles, et circumstantiae latissimum interpreti campum suppeditant, in quo suum ingenium suamque eruditionem exerceat. Nam ex una parte horum notitia ad perfectam plurium Scripturae locorum intelligentiam omnino requiritur, ex alia vero res istae saepissime a no-

stris moribus nostraque cogitandi ratione longe discedunt, quapropter earum cognitio studiose comparanda est.

Et ut de *personis* primum dicamus; quod legitur Matth. II. 16-18 de strage puerorum Bethlehemiticorum a nonnullis recentioribus criticis, utpote inverosimile reiicitur: verum etiam critice loquendo factum illud maxime credibile est, considerato Herodis charactere, qui a Iosepho Flavio describitur ut maximae crudelitatis, ita ut ambitionis et suspicionis plenus plures ex optimatibus iniusta morte mulctaverit, nec ipsi uxori ac filiis pepercerit. Ita quoque ratio agendi Pontii Pilati qui clamoribus populi permisit se ad innocentis Christi supplicium decernendum induci explicationem accipit ex charactere Tiberii Caesaris, cuius nomine Pilatus Iudaeam administrabat, ut alias animadvertimus. Simile exemplum occurrit Act. XXIV. 25, de Felice praeside « Disputante autem illo (Paulo) de iustitia, et de castitate et de iudicio futuro, tremefactus Felix respondit: quod nunc attinet, vade; tempore autem opportuno accersam te. » Cur Paulus de his rebus coram Felice disseruerit, et cur iste tanto terrore perculsus fuerit clarius intelligitur ex conditione in qua Felix tunc versabatur: de illo enim narrat Tacitus lib. V. Histor: « Antonius Felix per omnem saevitiam et libidinem ius regium servili ingenio exercuit. » Huc etiam referri possunt nonnulla exempla superius adducta, ut de lege ab Apostolis lata Act. XV, de matrimonio et divortio Matth. XIX. aliaque nonnulla, quae ex circumstantiis personarum de quibus est quaestio lucem accipiunt.

Haec tamen historica investigatio multo latius patet cum sermo est de *rebus*, quarum in Scripturis fit mentio, quaeque nobis minus familiares sunt aut etiam in quibusdam adiunctis a nostra consuetudine omnino remotae, uti sunt ex. gr. animalia quaedam, vestium, ciborum et habitationis ratio, privatae vel publicae consuetudines, de quibus passim loquuntur Agiographi nunc historice, nunc per quasdam allusiones, nunc per metaphoras vel alias figuras ex eis depromptas. Quae proinde intelligi recte non possunt, harum rerum indole ac ratione ignorata, vel etiam si velint res istae intelligi prout nobis res illae notae sunt, et ex nostris moribus, falsus aut absurdus Scripturae videbitur sensus. Ita ex. gr. nonnullae metaphorae per similitudines ab animalibus quibusdam

desumptae quae nobis viles aut indecorae videntur ex eo explicandae sunt quod nonnulla animalia quae apud nos abiecta ac vilia habentur, puta asinus, apud Hebraeos magis in honore fuerunt. Qui nescit formam domorum et tectorum apud veteres hebraeos et Orientales non intelliget verba illa Christi Matth. X. 27: « Quod in aure auditis praedicate *super tecta;* » mirabitur etiam quod Saul dicatur dormiisse *in solario* domus Samuelis, ibique cum prophetа loquutum esse, ut narratur 1 Reg. IX. 25, et Davidem regem deambulasse *in solario,* seu super tectum palatii, ut legitur 2 Reg. XI. 2. Verum si cognoverit tecta Hebraeorum plana fuisse, et ita comparata ut Hebraei frequentes ibi essent ad ambulandum, ad morandum, cibum capiendum, et quieti etiam aestivo tempore indulgendum difficultas omnis evanescet. Alia quoque exempla ex ratione convivandi afferri possunt. Ita frequens illa in Christi sermonibus allegoria qua peccatores dicuntur ejiciendi « *in tenebras exteriores:* ibi erit fletus et stridor dentium, » quae minus apta videtur, quia in inferno tenebrae potius interiores sunt, et non frigus, sed calor et ignis desaevit, explicanda est ex more hebraeorum convivia habendi intempesta nocte: cum igitur coelestis beatitudo convivio compararetur, fiebat ut ii qui a coelo excluduntur comparandi essent iis qui e domo convivii reiecti relinquebantur in via, ubi tenebrae et frigus nocturnum. Ex modo autem accumbendi in conviviis multa in Evangelio narrata explicantur, quae secus absurda aut ridicula forent, ut cum Iohannes dicitur in ultima coena *super pectus Christi recubuisse* (Io. XIII. 23, XXI. 20), et cum de Maria Magdalene Christum mensae Pharisaei accumbentem adeunte dicitur Luc. VII. 38: « Et *stans retro secus pedes eius*, lacrymis coepit rigare pedes eius » quae impossibilia videntur si cogitemus de ratione assidendi mensis, quae apud nos in usu est, si vero consideremus veteres circa mensam in thoris quibusdam super latus reclinatos accumbere solitos fuisse ita ut pedes extra mensam extarent, et caput uniuscuiusque convivae haud procul abesset a pectore alterius vicini, omnia illa facile intelliguntur.

Huc etiam pertinent plures metaphoricae locutiones, vel aliae figurae sacris Scriptoribus familiares, quae nonnisi adiunctorum quorumdam externorum cognitione praesupposita, recte intelligi pos-

sunt. Ita ex. gr. quod pars occidentalis, saepe per vocem יָם seu *mare* designatur, et meridionalis per תֵּימָן seu *dextram*, septentrionalis vero per *sinistram*, intelligi non potest nisi sciamus nomine maris antonomastice ab Hebraeis designari mediterraneum, quod ad Occidentem Palaestinae iacet, et hebraeos partes mundi distinguere solitos fuisse converso ad orientem vultu, ita ut anterior pars esset Oriens, dextra Meridies, et sinistra Septemtrion, secus ac apud nos fieri soleat. Quae leguntur Matth. XVI. 19 a Christo dicta Simoni Petro: « Et tibi dabo *claves* regni coelorum: et quodcumque *ligaveris* super terram erit ligatum et in coelis, et quodcumque *solveris* super terram erit solutum et in coelis », parum congrua videntur utpote quae duas metaphoras coniungunt, quae apud nos nullum nexum praeseferunt, claves enim non ligant, sed claudunt, non solvunt, sed aperiunt: verum cessat difficultas si attendamus formam ianuarum, et serarum apud Hebraeos quae ita describitur ab Ackermann in Archaeol. Biblica §. 37: « Fores claudebantur sera vel vecte, aut etiam repagulo seu pessulo..... sera vero non erat nisi pessulus ligneus volubilis valvae portae affixus, qui ingrediebatur in foramen postis et incisis quibusdam dentibus incidebat in rastrum, quare lorum, aut fortasse duo lora, pessulo adnexa per foramen permeabant, in exteriorem portae faciem, quorum altero attracto, pessulus serae in foramem postis promovebatur, et dentibus in illud rastrum incidebat, ut retrahi non posset. Aperiens habebat clavem ligneam satis magnam et instar falcis aduncam מַפְתֵּחַ (Iud. III. 25.) qua per foramen immissa, pessulum ex rastro sublevabat, et altero loro subtrahebat, quod ut facilius perficeret portam ad se attrahebat. » Quare claves vere dici poterant portam *ligare* aut *solvere*. Innumera alia exempla adduci possent praesertim ex libris V. T., sed haec speciminis causa satis esse possunt.

ARTICULUS II.

De fontibus unde adiunctorum externorum notitia hauriri potest.

Cum tanta sit utilitas ac necessitas cognoscendi historica adiuncta locorum, rerum, ac personarum ad rectam Scripturae intelligentiam, operae pretium est scire undenam accurata harum rerum

notitia ab interprete derivari possit. Animadvertimus igitur duas vias praesto esse per quas interpres ad hanc scientiam pervenire possit, quarum altera facilior ac brevior est, altera longior ac difficilior, multo tamen certior et ad perfectam Scripturae intelligentiam efficacior. Prima via est lectio ac studium operum illorum quae *Archaeologiae biblicae* nomine designari solent, in quibus docti viri breviter et ordinate tradiderunt ea quae de externis circumstantiis rerum, ac personarum biblicarum interpreti discenda sunt: altera vero est directum et immediatum studium fontium, ex quibus haec omnia innotescere possunt, et ex quibus tractatores Archaeologiae biblicae hauserunt, vel hausisse praesumuntur. De utroque medio nonnulla animadvertenda sunt.

I. *Archaeologia biblica* tractari potest vel elementari modo, vel sublimiori. Elementaris archaeologia, quae tyronibus utilior est, totum complexum praecipuarum saltem rerum discendarum sub uno conspectu, et certo quodam ordine sistit. Eius partes praecipuae sunt: 1° Geographia Palaestinae et finitimarum regionum, adeoque totius Asiae Occidentalis. 2° Historiae biblicae prospectus una cum chronologia. 3° Historia naturalis Palaestinae, et Orientis. 4° Status politicus ac religiosus Hebraeorum. 5° Mores et consuetudines eorumdem, nec non aliarum gentium quarum frequens est mentio in sacris literis.

Auctores qui elementarem archaeologiam biblicam tradiderunt plures laudari possent. Ex his notissimi sunt Io. Iahn in sua Archaeol. bibl. germanice edita, et Four. Ackermann in sua *Archaeol. biblica breviter exposita* Viennae 1826, in qua Iahnii opus sequitur, sed periculosas ac temerarias eius opiniones vel omittit vel corrigit. Item plures alii germani scriptores qui similia opera vulgarunt sub nomine: *Manualis Archaeologiae biblicae* ut Rosenmüller Lipsiae 1823 seqq. Bellermann (1796-1805.) Allioli. Landshut 1844; De-Wette. Lipsiae 1830; Scholz. Bonn. 1834: quibus addere placet praeter notum *Dictionarium biblicum* Aug. Calmet saepius editum gallice, latine et germanice, duos italos scriptores doctissimos nempe Ios. M. Pulci-Doria, *Hebraicarum antiquitatum opus in duos libros distributum* Neapoli 1784, et And. Ferrigni De-Pisone in volumine 2° et 3° *Institutionum biblicarum* Neapoli 1849-57. praeter alios multos, quos laudare praetermittimus.

Copiosiores vero et sublimiores tractatus de antiquitatibus biblicis infiniti poene sunt, qui tamen unam vel alteram tantum Archaeologiae partem vel rerum classem exponunt. Ex his praecipuos collegit, suis quoque additis, Bl. Ugolini in *Thesauro antiquitatum sacrarum* Venetiis 1744-69 triginta quatuor voluminibus in folio. ita, ut paucos ex celebrioribus nominemus, de *geographia* Palaestinae egregium opus edidit Hadr. Relandus: *Palaestina ex monumentis veteribus illustrata,* cui post alios multos accessit L. G. Gratz in suo *Theatro eventuum biblicorum* primum germanice edito, tum vero gallice collatis studiis Gimarey et Bugniot: *Theatre des evenements racontés dans les divines Ecritures,* Paris 1869-70, De *chronologia* insigne est opus Usserii: *Annales veteris et Novi Testamenti* pluries variisque in locis editum, Petavii: *Rationarium temporum* Lugd. Batav. 1724. De *animalibus* in Scriptura memoratis celebre est opus Sam. Bochart cui titulum fecit *Hierozoicon,* cuius editio aucta a Rosenmüller prodiit Lipsiae 1793 seq. De *plantis* Sacrae Scripturae extat Olai Celsii *Hierobotanicon* Upsalae 1745-47.: de *morbis* et *medicinis* scripsit Reinhart: *Bibelkrankheiten des Altes Bundes* Lipsiae 1767, et de universa physica sacra post alios multos recentissime prodiit opus Reusch: *Bibel und Natur,* primum germanice scriptum, mox vero gallice, italice aliisque linguis redditum. De *statu politico* et *religioso* Hebraeorum plures tractatus editi sunt, quos inter celebre est opus Io. Spenceri *De legibus Hebraeorum ritualibus et earum rationibus libri tres* Lipsiae 1705, et Com. Bertrami: *Politia Iudaica tam civilis quam ecclesiastica,* et Sigonii *De republica hebraeorum.* Demum de *moribus Hebraeorum publicis* et *privatis,* praeter dissertationes plures Calmeti, Lamii, Relandi, Schroederii, Bynaei, Geieri, aliorumque, qui speciales quasdam consuetudines Hebraeorum illustrarunt, extat generale opus F. C. Rosenmüller: *Das alte, und neue Morgenland* (Vetus et novum Oriens) Lipsiae 1818-20. Sed hos paucos innuisse sufficiat.

II. Verum diximus pleniorem et certiorem harum rerum notitiam ex ipsis fontibus derivandam esse: ut enim in coeteris scientiis, ita in biblica Archaeologia, copiosius, certius et utilius ex fontibus ipsis quam ex rivulis hauritur. Non solum enim studiosus fontes consulens certus fit de historica veritate eorum, quae discit, quin cogatur recentiorum testimonio et relationibus fidere, sed

insuper dum unum inquirit, et discere conatur innumera alia cum illo connexa invenit, et familiaritatem quamdam cum antiquis populis et vetustis eorum monumentis sensim sine sensu sibi comparat, quae quanto usui sit in universa literatura, et speciatim in studiis SS. Scripturarum vix verbis exprimi potest. Quinam autem sint fontes illi antiquitatum biblicarum paucis indicabimus. Possunt hi dividi in tres classes: alii enim sunt fontes *Iudaici,* alii *Christiani,* alii *Pagani.*

1°. Fontes Iudaici. 1) Primum fontem constituunt ipsi *libri sacri V. T.,* imprimis Pentateuchus: ex eius enim attenta lectione plurima ediscuntur de antiquo statu Hebraeorum eorumque circumstantiis ac consuetudinibus, quae plus minus et quoad substantiam eadem perseverarunt usque ad Christi et Apostolorum tempora. 2) Succedunt antiquae Iudaeorum versiones Sacrae Scripturae, imprimis versio Alexandrina, et paraphrases chaldaicae, quae non raro libere textum vertentes quaedam opportune explicant de obscurioribus adiunctis rerum ac personarum biblicarum.

3) *Libri apocryphi* V. T. alias commemorati ad res biblicas illustrandas utilem aliquando opem praestant, quamvis caute adhibendi sint, quod etiam de paraphrasibus seu Targumin chaldaicis recentioribus monendum est.

4) *Talmud* etiam tamquam fons opinionum et consuetudinum Iudaicarum habendum est, caute tamen adhibendus ob recentiora veteribus commixta: quod multo magis valet de Rabbinorum scriptis, ut Aben-Ezrae, Maimonidis, Abarbanelis aliorumque, qui longe recentiores sunt Talmudistis, licet aliquando lucem affundant quibusdam locis praesertim Novi Testamenti.

5) Longe utiliora sunt *scripta Philonis* Iudaei, et *Iosephi Flavii,* praesertim huius opus *de Antiquitatibus iudaicis:* quamvis et iste a suspicione accommodationis factae placitis Graecorum et Romanorum, in quorum gratiam scribebat, non semper immunis sit.

Omnes praedicti fontes, ut supra innuimus, iudaici dicuntur ratione tantum originis, verum ratione obiecti seu finis non solum pro epocha iudaica, et ad intelligendos libros sacros V. T. utiles sunt, sed etiam pro epocha christiana, et ad intelligendam historiam et doctrinam N. T. Quinimo plura fortasse a viris doctis exinde derivata fuerunt ad illustrandos libros N. T. quam ad libros V. T. Ex his

observationibus plures collegerunt Wetstenius in adnotationibus in N. T. 1751, Io. Lightfoot in opere: *Horae hebraicae et Talmudicae* Lipsiae 1679 I. G. Meuschenius in: *N. T. ex Talmude et antiquitatibus illustratum* Lipsiae 1736, et Io. Leusden in *Philologo hebraeo*, et *Philologo hebraeo mixto*. Ultraiecti 1699: praeter doctiores Scripturae commentatores, qui in locis difficilioribus explicandis non omittunt ex praedictis fontibus ea quae opportuna sunt derivare.

2° Fontes christiani.

1) *Ipsi Libri sacri N. T.* fontem praecipuum constituunt notionum biblico-christianarum. Ex attenta enim lectione praesertim historicarum partium, et accurata plurium locorum collatione et compositione multarum rerum notiones declarantur, quae in singulis locis obscuritatem praeseferunt.

2) *Scripta Patrum antiquorum* praesertim eorum qui Apostolici dicuntur, quibus addi possunt Origenes, Eusebius Caesareensis, et Hieronymus, qui licet paulo recentiores, ob antiquitatis tamen studium, exquisitam eruditionem, et familiaritatem cum doctoribus ac libris Iudaeorum de rebus biblicis idonei plerumque testes sunt.

3) *Apocrypha N. T.* in quibus satis multa occurrunt ex traditione accepta ad Scripturam praesertim N. T. illustrandam opportuna: ut vidimus in Parte II Criticae Introd.

4) *Scripta haereticorum* vetustissimorum, ex quibus accuratiorem notitiam derivare possumus quorumdam errorum ad quos Agiographi N. T. imprimis Paulus, et Iohannes respiciunt. Hoc valet praecipue de haereticis iudaizantibus, de Cerinthianis et de Gnosticis; ex quibus tamen pauca scriptorum fragmenta supersunt, multo tamen plura cognoscere datur ex operibus Irenaei, Epiphanii et recens detecto opere Philosophumenon.

3° Fontes Pagani.

Cum in sacris Scripturis saepissime mentio occurrat aliorum populorum, sive Orientalium sive Graecorum et Romanorum, imo magna historiae biblicae pars cum illarum gentium historia connexa et intermixta sit, unusquisque videt fontes etiam paganos adeundos esse, ut exinde uberior notitia comparetur gestorum, consuetudinum, opinionum quae in Scripturis obiter commemoran-

tur, atque ita ipsarum Scripturarum sensus in illis locis plenius intelligatur. Itaque sequentes praesertim fontes consulendi sunt.

1) *Auctores Graeci et Latini,* ex quibus alii pro cultiorum gentilium opinionibus et moribus intelligendis potissimum inserviunt, quales sunt ex graecis Plato, Epictetus et Aristoteles, ex latinis autem prae coeteris M. T. Cicero in libris de natura Deorum, de Divinatione, de Officiis aliisque philosophicis. Alii vero ad opiniones vulgi eiusque mores discendos potissimum valent: hi vero sunt prae coeteris poëtae et drammatici, ut ex gr: Homerus et Hesiodus, Lucianus in dialogis, et Aristophanes in comoediis ex Graecis, ex Latinis vero Ovidius in libris Metamorphoseon, Plautus, Terentius, nec non Iuvenalis, Persius, Petronius aliique satyrici. Denique historici utriusque gentis, ut Herodotus, Polybius, Tacitus, Svetonius magno usui sunt ad historiam biblicam illustrandam.

2) *Scripta et monumenta Orientalium* libris utriusque Testamenti intelligendis subsidium gravissimum praebent. Tales sunt sacri libri Persarum et Indorum, item opera S. Ephrem Syri et Abulfaragii, et Iamblici liber *de mysteriis* Chaldaeorum et Aegyptiorum. Ad monumenta vero referendi sunt nummi antiqui in Oriente detecti, imprimis vero vetustae inscriptiones Phoeniciae Aegyptiacae et Assyriacae, quarum satis magna copia recentius inventa est, et in dies augetur, amplissimumque scopum praebet ingenio ac eruditioni doctorum virorum, qui in iis perquirendis, legendis et interpretandis operam collocant (1).

III. Monita quaedam de recto usu fontium historicorum.

Ut fontium istorum usus reipsa causam interpretationis iuvet, aut illi ne noceat operae pretium erit quaedam monita studiosis praebere. Sunt autem sequentia.

1 Cavendum est ne quaelibet notio rerum aliunde percepta sacris quoque Scriptoribus tribuatur. Quod quidem valet non solum de falsis et absurdis circa quasdam res opinionibus, quas non licet sacrae Scripturae affingere, licet vulgo Hebraeorum familiares essent, sed etiam de quibusdam nimis exquisitis ac perfectis notionibus rerum naturalium, et ad philosophiam pertinentium: nulla

(1) Quae hucusque breviter perstrinximus de fontibus historicae investigationis sensus Scripturae, uberius exponemus in sequenti tractatione de **Archaeologia biblica.**

enim ratio est supponendi Spiritum Sanctum voluisse haec sacris Scriptoribus inspirare, aut revelare. Quare, nostro quidem iudicio, falluntur qui philosophicas et physicas quasdam theorias subtilius excogitatas confirmare satagunt ex verbis Scripturae, quasi illae Agiographis notae fuissent. De his igitur rebus tuto praesumi potest generatim loquendo sacros Scriptores nihil docuisse, sed eos loquendi modos usurpasse, qui in communi sermone eorum aetate adhiberi solebant nullum iudicium de obiectiva notionum veritate proferentes.

2. Caveat interpres ne suae aetatis aut regionis notiones inferat sacris Scripturis, ubi de rebus agitur quae pro temporum et locorum varietate diversae quoque esse solent.

3. Inter varios fontes ordinem quemdam servet, ut ampliores et certiores coeteris praeferantur, tum vero illi ex quibus exiguae opes dirivari possunt, ne scilicet incerta et obscura certis et claris anteponat, et pretiosa temporum momenta in superfluis aut parum utilibus insumat melioribus praetermissis.

4. In allegandis fontibus, aut monumentis minime acquiescat iis locis quae imperfecte et aliquando inaccurate apud varios auctores citata inveniuntur, sed ipse fontes adeat, et singula quatenus fieri potest in textu et contextu perlegat et expendat.

5. Demum in toto hoc negotio historicae inquisitionis modum teneat, ne scilicet indiscriminatim afferat locorum et monumentorum congeriem, quae difficile est aliquando intelligere et memoriam potius confundere quam mentem illustrare solent, neve ostentandae eruditionis causa profanos auctores citet ad ea loca illustranda quae nulla indigent illustratione, nec denique ea testimonia proferat quae specie tenus similia sunt iis quae in Scriptura leguntur, re tamen vera de rebus paullisper diversis pertractant. Hoc vitio immunes non sunt multi ex recentioribus exegetis praesertim protestanticis, ut Wetstenius, Lightfootus et prae coeteris Paulusius, cuius insulsas et absurdas Evangelicarum narrationum illustrationes seu potius depravationes alias castigavimus.

Et haec satis sint de criteriis historicis, simulque de universa tractatione criteriorum et regularum *rationalium* hermeneuticae biblicae.

SECTIO II.

DE CRITERIIS ET REGULIS DOGMATICIS SCRIPTURAE SENSUM INVENIENDI

Hucusque vidimus criteria quae a ratione ipsa suggeruntur ad sacros Scripturae libros intelligendos, quatenus hi sub respectu humano considerantur, seu quatenus ab hominibus humano loquendi more exarati sunt. Verum Scripturae libri, ut superius demonstravimus, habent praeterea supernaturalem characterem, idest et *divini* sunt quia Spiritu Sancto inspirante conscripti, et *canonici* quia solemni Ecclesiae iudicio ut divini declarati, ipsiusque Ecclesiae custodiae concrediti, quae illos, et a corruptione defendit et fidelibus exponit. Hinc statim intelligitur praeter rationales regulas, ad hos libros intelligendos alias quoque regulas, aliaque criteria praesto esse debere, quae coeteris libris minime communia sunt. Haec criteria cum adnexis regulis vocari possunt *dogmatica,* eo quod non in solis rationis principiis, quemadmodum priora illa, sed in principiis seu *dogmatibus revelatis* fundentur, et ex illis deriventur.

Huiusmodi autem dogmata duo sunt. 1° Divina SS. Librorum inspiratio, 2° Ecclesiae authenticum et infallibile magisterium in rebus fidei proponendis et declarandis. Ex duplici hoc dogmate, quod hic supponimus, duo quoque criteria exurgunt pro Scripturarum interpretatione nempe: 1° Sacrae Scripturae infallibilitas, quae immediate consequitur ex Scripturae divina inspiratione, 2° Authenticum Ecclesiae iudicium de sensu eiusdem Scripturae, quod sequitur ex altero dogmate infallibilitatis Ecclesiae. Et haec sunt summa *Criteria dogmatica* interpretationis biblicae, de quibus nunc agendum est. Singulis autem adnexae sunt plures *regulae practicae,* quibus illorum applicatio et usus docetur. Hinc sponte sua dividitur haec Sectio II in duas partes distinctis capitibus exponendas, prout distincte agitur de praefatis duabus classibus criteriorum et regularum.

Quoniam primum ex praedictis dogmatibus ab omnibus Christianis admittitur, aut saltem logice admittendum esset, criteria et regulae ex eo derivatae *christianae* appellari possunt, et solent.

Alterum vero dogma cum a solis Catholicis proprie admittatur (Protestantes enim omnes privato uniuscuiusque iudicio relinquunt interpretationem S. Scripturae) hinc regulae quae huc pertinent proprie *catholicae* vocantur. Rationalistae, qui nec catholici sunt nec christiani utrumque genus regularum reiiciunt, et unice insistunt in Hermeneutica rationali, quam unice adhibendam esse in sacris Libris interpretandis, non secus ac in profanorum, acriter contendunt.

Contra hos adversarios praecipue nobis decertandum erit, et duplex illud genus regularum dogmaticarum vindicandum et accurate exponendum, alterum scilicet adversus Rationalistas, alterum adversus Rationalistas simul et Protestantes, ut hac ratione vera, tuta et orthodoxa Hermeneutica Sacrae Scripturae stabiliatur.

CAPUT I.

DE CRITERIIS ET REGULIS DOGMATICIS QUAE EX DIVINA SCRIPTURARUM INSPIRATIONE DERIVANTUR.

Diximus criterium quod ex Scripturae inspiratione immediate deducitur esse ipsius Scripturae infallibilitatem. Est autem hoc vere *criterium interpretationis,* siquidem eius consideratio interpretem dirigere debet in locis Scripturae eo modo intelligendis, qui eius infallibilitati non repugnet. Cum autem duo sint quae cum infallibilitate conciliari non possunt, *falsitas* nempe, seu error, et *contradictio,* hinc duae generales regulae in Scripturis interpretandis perpetuo ob oculos versari debent, 1° ut in *singulis* locis interpretandis nullus error Scripturae tribuatur, 2° ut in *diversis* locis invicem collatis nulla admittatur contradictio. Utramque regulam ad modum Theseos, ob rei gravitatem, exponemus, et argumentis firmabimus, additis quoque nonnullis practicis animadversionibus pro utriusque regulae applicatione, et usu.

ARTICULUS I.

De falsitate in Scripturis non admittenda.

THESIS X.

Libri Sacrae Scripturae ita sunt interpretandi, ut in dictis inspiratorum hominum nulla unquam falsitas admittatur.

Dictum est: *nulla falsitas,* idest non solum nullus error contra fidem et mores seu in locis dogmaticis, sed neque in coeteris locis puta historicis aut propheticis. Addidimus: *in dictis inspiratorum hominum,* non enim repugnat quaedam falsa in Scripturis reperiri, quae ab hominibus non inspiratis dicta fuerint. Quod ut melius intelligatur recolendum est saepe in Scripturis historice referri verba eorum qui minime inspirati a Deo fuerunt; imo aliquando erroribus imbuti, perversi atque impii, ut ex: gr: in libro Iobi referuntur sermones eius amicorum, in libris Sapientialibus verba Epicuraeorum, in Evangeliis et Actis verba Pharisaeorum, Pilati, turbarum, caeci nati et alia huiusmodi. Cum igitur id fit, sedulo distinguenda est in citatis verbis duplex veritas, nempe veritas historica, et veritas obiectiva. Veritas historica semper adest, seu historice verum esse debet homines illos talia verba dixisse; veritas tamen obiectiva non semper est admittenda, seu non semper verum est id quod per illa verba significatur, imo aliquando constat falsum et absurdum esse. Idem dicas etiam de inspiratione: scilicet verba quae ita citantur in quantum historice vera sunt, subiiciuntur divinae inspirationi concessae Agiographis qui illa referunt, in quantum vero consideratur eorum sensus prout ab hominibus illis qui loquentes inducuntur intelligebatur, non sunt subiecta divinae inspirationi, seu inspirata dici non possunt. Hisce declaratis, veritas praepositae regulae facile demonstratur.

I. Ipsa inspirationis notio veritatem regulae demonstrat. Demonstratum est enim per inspirationem ita Deum influere et cooperari in singulorum locorum scriptionem, ut vere possit et debeat dici eorum *auctor.* Atqui Deus non potest esse erroris et falsita-

tis auctor. Ergo. Hinc fit ut in sacris Scripturis veritas hermeneutica cum veritate obiectiva et absoluta semper coniuncta sit, idest semel ac certum fit aliquem sensum seu aliquam interpretationem vere mentem sacri auctoris repraesentare, eo ipso veritas obiectiva illius sensus, seu conceptus, iudicii aut narrationis certa quoque erit; et e converso ex falsitate obiectiva certo demonstrata alicuius interpretationis inferre licet eius falsitatem hermeneuticam, idest eam mentem auctoris non repraesentare, secus ac fit in auctoribus profanis, in quibus exponendis postquam interpres officio suo functus est ostendens quaenam fuerit mens auctoris, succedit officium critici, seu inquisitio, verus ne ille sensus sit an falsus.

II. Eadem veritas ostenditur ex sensu ac testimoniis Ecclesiae, et SS. Patrum.

Et 1° quidem Ecclesiae Patres ac Doctores id sensisse ostendit eorum agendi ratio: siquidem in commentandis aut defendendis contra paganos seu haereticos Scripturae locis nunquam adduci potuerunt, ut concederent vel minimum errorem in iis contineri, quamvis difficultates gravissimae aliquando occurrerent, quibus apta responsio in promptu non erat, et adversarii vehementer urgerent: illi tamen potius ignorantiam suam fatebantur, quam admitterent aliquid minus rectum in Scripturis contineri. Quae agendi ratio eo magis notatu digna est quo liberiores fuisse constat eosdem Patres in reiiciendis auctorum profanorum adsertionibus, quantumvis magnae auctoritatis. Et quidem ita se gerebant Patres non solum in locis Scripturae dogmaticis, sed etiam in historicis, physicis aliisque minoris momenti. Quod omnino ostendit persuasum iis fuisse sacros Libros ab omnibus prorsus cuiusvis generis erroribus immunes esse.

Verum 2° disertis etiam testimoniis idem docuerunt SS. Ecclesiae Patres, ex quibus haec pauca seligimus. Clemens Romanus Epist. 1. ad Corinthios §. 45: « Scripturas diligenter inspicite, quae Spiritus Sancti vera sunt oracula: attendite in illis nihil iniustum, nihil perversum scriptum esse, » et loquebatur non de doctrina Scripturae, sed de historicis narrationibus. Origenes Lib. III in Epist. ad Romanos: « Qui igitur, inquit, fideliter et integre sacrorum voluminum colligit sensum, ostendere debet quomodo ea

quae videntur esse contraria vere contraria non sint. » S. Io. Chrysostomus hom. I in Gen. ubi plura difficilia occurrunt quae ad naturales scientias pertinent, absolute pronunciat: « Nihil contrarium in Sacris Scripturis continetur. » S. Augustinus contra Faust. lib. II cap. 2: « Ibi (in Sacra Scriptura) si quid velut absurdum moverit, non licet dicere: auctor huius libri non tenuit veritatem; sed aut codex mendosus, aut interpres erravit, aut tu non intelligis. » Eadem fere habet in epist. 82 ad Hieronymum: « Ego enim, inquit, fateor charitati tuae, solis eis Scripturarum libris, qui iam canonici appellantur, didici hunc honorem timoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissime credam: at si aliquid in eis offendero literis, quod videtur contrarium veritati, nihil aliud quam vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assequutum esse quod dictum est, vel me minime intellexisse non ambigam; » et in eadem epistola hoc ipsum tamquam ex constanti Christianorum persuasione iterum inculcat: « Non te, inquit, arbitror sic legi libros tuos velle tamquam prophetarum et apostolorum, de quorum scriptis quod omni errore careant dubitare nefarium est. » Ita etiam alii Patres loquuntur.

Quoniam vero in Scripturis frequenter occurrunt sententiae vel loca quae *falsitatis speciem* praeseferunt oportebit quaedam peculiariter monere de modo quo interpres officio suo fungi debet in iisdem casibus. Quod ut clarius fiat distinguemus apparentes huiusmodi errores in *doctrinales* et *historicos*, prout contradicere videntur sive principiis rationis aut humanae scientiae, sive profanorum historicorum narrationibus. Itaque sequentes regulae pro locis primi ordinis dari possunt.

1. Si clarus ac certus sit Scripturae sensus, et cum eo pugnare videatur principium aliquod philosophicum, vel inventum aliquod scientificum, ratio postulat ut hoc illi subordinetur et ad illum trahatur. Per hoc autem nulla fit rationi humanae aut philosophiae iniuria, nec ullum inde obstaculum scientiarum progressui timendum est. Veritas enim veritati contradicere, aut nocere nullatenus potest. Quinimo non parum inde iuvatur ipsa humana scientia: fit enim saepissime in humanis disciplinis, (praesertim cum adhuc imperfectae sunt, et in sua veluti infantia vel adolescentia) ut quae-

dam generalia principia enuncient, quae revera generalia non sunt, vel quasdam notiones minus accurate definitas, vel denique conclusiones quae aut ex praemissis non descendunt, aut ex principiis minus exploratis temere et nimia confidentia deductae fuerunt: quae omnia si possint aut restringi, aut corrigi, aut omnino expungi per aliquam veritatem clare in Scripturis revelata, magnum profecto erit humanae scientiae incrementum. Exempla satis multa afferri possent ex scientiis quae recentius excoli coeperunt, puta geologia, linguistica, ethnographia, oeconomia politica et similibus, in iis quae respiciunt unitatem speciei humanae, originem linguarum, peccatum originale, aliasque revelatas veritates. Placet hic unum vel alterum exemplum afferre ex physica. Ex constanti experientia corporum veteres philosophi concluserant impenetrabilitatem, et determinationem ad unum locum esse proprietates omnino essentiales materiae. Huic tamen conclusioni contradicit illud quod legitur in Evangelio Christum ex Maria prodiisse salva eius virginitate, et clausis ianuis in coenaculum introisse, itemque in SS. Eucharistia pluribus in locis simul praesentem esse. Verum cum haec tam clare et aperte in Scripturis ponantur ut nulla alia ratione explicari possint, dicendum est leges illas physicas non esse omnino absolutas et in rerum essentiis fundatas, sed a Deo posse iis derogari.

2. Contra vero si principium rationis occurrat clarum omnino et evidens vel thesis philosophica apodictice demonstrata, et huic videatur aliquis Scripturae locus repugnare, tunc ratio postulat ut Scripturae sensus cum veritate aliunde certa concilietur. Ex eodem enim principio quod veritas veritati contradicere non possit, cum ex parte rationis habeamus certam veritatem, a priori scimus Scripturam non posse cum illa repugnare, seu conciliationem possibilem esse. Potest autem haec fieri duobus modis. Vel primo ostendendo obvium Scripturae sensum, quamvis prima fronte contrarius videatur, reipsa tamen illi non adversari, vel secundo accipiendo verba Scripturae, non stricte et absolute sed latiori aut relativo sensu. Exemplum prioris conciliationis occurrit circa mysterium SS. Trinitatis quod contradicere videtur primis et evidentibus rationis principiis: *idem non potest esse simul unum et triplex,* et *quae sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se,* quae adversus hoc mysterium a Crellio aliisque Socinianis urgentur. Verum suf-

ficit distinctio inter Personas quae tres in Deo sunt, et naturam quae una est, ut appareat Trinitatem in Deo cum illis principiis apprime conciliari. Alterius methodi exempla frequentiora sunt praesertim in iis locis Scripturae quae de rebus physicis loquuntur, in quibus non semper obvius verborum sensus accipiendus est, nam Sacri Scriptores cum haec directe docere non intenderent, de iis loquuti sunt iuxta usitatas et vulgares formulas, quae repraesentant apparentem et relativam rerum naturalium conditionem, non autem obiectivam et absolutam eorum naturam ac proprietates: neque hoc vitio vertendum est Agiographis, cum etiam nunc sapientes et physicae scientiae periti in communi sermone communes quoque formulas usurpare non desinant et dicant ex: gr: solem oriri, occidere, aliaque huiusmodi quae tamen scientifice iuxta obvium verborum sensum sciunt esse falsa. Multa huius generis exempla occurrunt im primis capitibus Geneseos, item in libro Iosue de solis lunaeque statione, in Iobi etiam libro et in Psalmis passim. De hac via conciliandi Scripturam cum naturalibus scientiis sapienter loquitur Angelicus Doctor in Summa Par. I quaest. 68. art. I inquiens: « Respondeo dicendum, quod, sicut Augustinus docet, in huiusmodi quaestionibus duo sunt observanda. Primum quidem ut veritas Scripturae inconcusse teneatur. Secundum, cum Scriptura divina multipliciter exponi possit, quod nulli expositioni aliquis ita praecise inhaereat, ut si certa ratione constiterit hoc esse falsum quod aliquis sensum Scripturae esse credebat, id nihilominus asserere praesumat, ne Scriptura ex hoc ab infidelibus derideatur, et non eis via credendi praecludatur ». Haec regula in hodierno statu scientiarum naturalium, et considerata etiam praesenti animorum dispositione, interpreti semper prae oculis habenda est.

Et haec de apparentibus erroribus doctrinalibus, seu philosophicis.

3. Quod pertinet ad loca *historica*, si quid occurrit in Scripturis quod contrarium videatur historiae aliunde cognitae, primum tentanda est conciliatio historiae profanae cum sacra Scriptura, idque non leviter aut perfunctorie, sed serio et considerate perficiendum est: plures auctores conferendi sunt inter se, chronologicae rationes subtiliter expendendae, monumenta quoque diligenter consulenda. Hisce enim inspectis saepe difficultas, quae initio gravissima

videbatur, prorsus evanescit, cum circumstantiae quaedam ab uno Scriptore omissae ex aliis suppletae fuerint, aut temporum distinctio et factorum ordo melius intellectus, nominum etiam personarum multiplicitas ac diversitas perspecta fuerit, quae causa magnae confusionis esse solet, cum scilicet una eademque persona diverso nomine a sacris ac profanis historicis designetur. Horum omnium exempla satis multa vidimus in Critica Introductione, puta in defendenda historia Danielis, Esther, Iudith, Machabaeorum etc. Verum si post haec contrariae narrationes nullo modo componi inter se possint, neganda est fides profano historico ut sacrae Scripturae auctoritas teneatur. Neque id iniuriosum videbitur profanis historicis: nam praeterquamquod humana auctoritas divinae cedere debet, experientia docet historicos profanos in plures errores incidisse praesertim cum de rebus aliarum gentium loquerentur, saepe etiam inter se pugnare, ita ut in ipsa historia profana pertractanda non raro cogamur unum auctorem relinquere ut alteri adhaereamus. Quanto igitur maiori iure id faciemus ut sacros Scriptores sequamur, qui non de alienis sed de domesticis factis scribunt, qui omnes coaevi aut quasi coaevi ipsis factis fuerunt, qui demum licet ad aetates tam diversas pertineant, et singuli ab aliis independenter scripserint, miro tamen modo inter se consentiunt? Exemplo potest esse Tacitus qui in Lib. V. histor. aggressurus historiam belli Iudaici a Romanis gesti praemittit brevem introductionem de Iudaicae gentis origine, vicissitudinibus, et gestis, in qua tamen expositione quot verba tot fere sunt errores, qui ex Moysis narrationibus corrigendi sunt. Hinc omnino relinquendus est. Alia exempla vidimus in Critica Introductione ubi etiam adduximus (Thesi XXXVII) testimonium Ios. Flavii in principio lib. I. Cont. Apion. de hac re adversus Graecos egregie disserentis.

4. Denique ipsa principia hermeneutices pure rationalia aliquando sunt paullisper restringenda, si id necessarium fuerit ad veritatem Sacrae Scripturae tuendam. Principia enim illa, quamvis vera semper sint, tamen in Scriptoribus inspiratis subiecta et quodammodo subordinata sunt peculiari conditioni in qua illi in scribendo versabantur.

Haec animadversio potissimum valet in Prophetis explicandis, et in iis locis doctrinalibus quae veritates superrationales seu my-

steria continent. In iis enim caute adhibenda sunt quae hermeneutica rationalis docet, ex. gr. de sensu eruendo ex contextu, ex substrata materia, aut ex rei natura, ut etiam suo loco innuimus (1).

ARTICULUS II.

DE CONTRADICTIONE SEU ANTILOGIA INTER SACROS AUCTORES NON ADMITTENDA

THESIS XI.

Sacra Scriptura ita intelligenda est ut inter dicta inspiratorum nulla unquam realis antilogia, seu contradictio admittatur.

Cum aliquis idem affirmat et negat secundum eumdem respectum dicitur sibi *contradicere*, et oppositio seu pugna quae inter varia eius dicta existit vocatur *contradictio*, vel graeco vocabulo *antilogia*, ipsa vero loca quae sic invicem adversantur *contradictoria*, (graece αντικειμενα) vocantur. Haec porro antilogia erit *realis* si ea loca nulla inter se ratione convenire possint, si vero tantum specie tenus opponantur, erit antilogia *apparens*, seu unico vocabulo *enantiophania;* loca vero quae sic invicem pugnare videntur *enantiophana* dicuntur. Quoniam autem totius sacrae Scripturae unus Deus est auctor primarius, perinde esset si unus Auctor alteri Auctori canonico contradiceret, ac si secum ipse pugnaret. Quibus declaratis, facile est ostendere in Scripturis nullam *realem antilogiam* admitti posse.

Prob. 1. ex regula praecedente. Ubi enim non potest adesse falsitas, ibi nec contradictio esse potest. Nam, ut logici docent, unum ex duobus contradictoriis falsum sit oportet. Si igitur in Scripturis esset realis contradictio, etiam falsitas adesset, quam vidimus admitti non posse.

Prob. 2. ex praxi et testimonio Doctorum Ecclesiae. Quae enim adduximus ex sacris Doctoribus in Thesi praecedente, huc etiam pertinent. Et sane quemadmodum illi solliciti semper fuerunt de qualibet falsitate e Scripturis excludenda, ita nunquam adduci po-

(1) Haec uberius exposita videri possunt apud Kohlgrüber *Hermeneutica Biblica generalis* §. 168 (pag. 244-246).

tuerunt ut veram contradictionem inter sacros Scriptores admitterent, quamvis gravissimam aliquando difficultatem persentirent in nonnullis locis inter se conciliandis. Testimonia etiam superius adducta ad veras antilogias non minus quam ad errores excludendos pertinent. His tamen addimus nunc insignem locum Iustini M. in dial. cum Tryph. absolute aientis: « Nusquam audebo vel hoc in animum inducere meum, vel eloqui, ut dicam adversari sibi invicem Scripturas; verum si qua Scriptura eiusmodi esse videatur et obtentum quasi adversaria sit alteri habeat, omnibus modis persuasum habens nullam Scripturam ab alia diversam esse, ipse me potius non intellexisse quae dicta sunt fatebor ». Plura alia testimonia in re clarissima omittimus.

Verum *apparentes antilogiae* in sacris literis satis frequenter occurrunt: nec aliter fieri potuisset, cum agatur de libris tam diversis temporibus, diversisque auctoribus, deque rebus tam arduis conscriptis. Has itaque *enantiophanias* collegerunt plures ex veteribus, quos inter Tirinus in IV. Indice apposito eius commentariis in S. Scripturam numeravit antilogias fere 1500. Fatendum tamen est magnam harum partem vix ullam difficultatem praeseferre, et apparentem contradictionem ex simplici attenta lectione utriusque loci facile dissolvi. Multae tamen ex hisce antilogiis graviores sunt, et ingenio interpretis torquendo aptissimae. Non possumus itaque omittere quin de iis aliquid dicamus, cum in iis solvendis non exigua pars studiorum biblicorum, et officii interpretis contineatur. Nonnulla igitur in genere, et per summa capita dicemus de ratione solvendi apparentes antilogias Sacrae Scripturae.

ARTICULUS III.

DE APPARENTIBUS ANTILOGIIS IN SCRIPTURA OCCURRENTIBUS, ET DE RATIONE EAS SOLVENDI.

Ut clarius appareat ratio superandi huiusmodi difficultates oportebit causas aperire unde illae generatim oriuntur, quibus cognitis, facilius erit earum remedia adsignare. Itaque causae antilogiarum apparentium aliae *generales* sunt, aliae vero *speciales*. Causae generales revocari possunt ad tres illas, quas S. Augustinus enume-

rat verbis superius citatis: aut *codex mendosus*, aut *interpres erravit*, aut *tu non intelligis*. Prima itaque causa est vitium seu erronea aliqua lectio codicum: et tunc contradictio vera ac realis esse potest, illa lectione recepta, licet realis non sit respectu habito ad mentem auctoris, idest, iuxta veram et originariam illius loci lectionem. Unicum remedium huic malo offert *Critica sacra* quam *verbalem* appellavimus, haec enim docet quomodo falsae, si quae occurrunt in exemplaribus lectiones, detegi ac corrigi possint. Altera causa est vitium versionis, quando scilicet aliquis locus non est accurate in alteram linguam conversus, et inde sensum efficit contrarium aliis Scripturae locis. Huic incommodo occurrere debet interpres textum originalem consulendo, aut alias versiones simul comparando, ut sensus auctoris clarius et accuratius reddatur. Tertia denique, eaque praecipua, ac frequentior causa est nostra ignorantia, coniuncta cum Scripturarum obscuritate, unde fit ut ea videantur contradictoria, quae si omnia melius perspiciantur ac intelligantur optime inter se cohaerent. Huic malo nullum aliud remedium suppetit quam diligentior et accuratior usus regularum hermeneuticarum, et profundior rerum biblicarum scientia, unde fit ut innumerae difficultates, quae prima fronte insolubiles videbantur quasi nebulae ad solis radios evanescant. Quare, ut omnia uno verbo concludamus, si agatur *in genere* de modo huiusmodi difficultates superandi, totum negotium revocatur ad pleniorem cognitionem et usum tum Criticae, tum Hermeneuticae biblicae. Verum ut aliquid magis *in specie* dicamus, quaedam adnotabimus de peculiaribus causis antilogiarum apparentium, et de variis earum remediis; pro varia locorum natura, quae, ut saepius innuimus, dividi possunt in loca *historica*, *dogmatica* et *prophetica*.

I. Apparentes antilogiae in locis *historicis*.

Causae enantiophaniae in locis historicis generatim sunt.

1. Exemplarium menda praecipue in numeris rerum, ac personarum. Ita ex. gr. circa numerum annorum regis Saulis 1 Reg XIII. 1 difficultas occurrit, cum ibi dicatur: « Filius *unius anni* erat Saul cum regnare coepisset, *duobus* autem *annis* regnavit super Israel: » quae cum antecedentibus et consequentibus pugnare videntur, ubi dicitur Saul cum ad regnum vocatus est altiorem fuisse universo populo ab humero et sursum (X. 23), et diutissime re-

gnum tenuisse: probabile est igitur in priore loco mendum irrepsisse ita ut legi debeat pro *unius, viginti unius*, et pro *duobus, quadraginta duobus*: quod quidem eo facilius admitti potest, quia litterae hebraicae quibus saepe numeri in exemplaribus designabantur, inter se aliquando simillimae sint, puta *Beth et Caph, Ghimel* et *Nun, Mem* et *Samech* etc. Similis difficultas occurrit circa annos Ioachin regis qui 4 Reg. XXIV. 8 dicitur regnum accepisse anno *decimo octavo*, et 2 Par. XXXIV. 9 anno *octavo*. Item 3. Reg. IV. 26 Salomon dicitur habuisse 40,000 praesepia equorum currilium, quae tamen 2 Par. IX. 25 (iuxta textum hebraicum) dicuntur fuisse 4000: quare librariorum error in alterutro loco admittendus est, qui facile explicatur per commutationem notarum numeralium מ 40, et ד 4.

2. Diversus narrandi modus diversorum auctorum. Hinc enim fit ut dum alter rem prolixius describit, alter vero brevius, multisque omissis, alter temporum seriem accurate sequitur, alter negligit, alter circumstantias etiam minutas distinguit, alter vero confuse et in globo, vel verbis generalibus innuit, fit, inquam, ut illi inter se contradicere videantur, quae tamen contradictio si ratio habeatur illius diversitatis styli ac methodi prorsus evanescit. En pauca exempla. Matthaeus narrans factum Mariae pedes Christi unguento pretioso ungentis observat: « Videntes autem discipuli indignati sunt, » quo videtur innuere indignationem illam et subsequentem mulieris reprehensionem omnibus Apostolis communem fuisse (Matth XXVI. 8): at contra Iohannes XII. 4 et 5 refert solum Iudam de Mariae actione conquestum fuisse, cuius rei etiam causam aperit vers. 6: « Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, et loculos habens ea quae mittebantur portabat ». Verum removetur apparens haec contradictio si dicamus Iohannem rem totam accuratius et subtilius exposuisse, ut saepe alias facit, Matthaeum vero generalibus verbis usum esse, et discipulos plurali numero posuisse per quamdam extensionem, aut etiam dici posset Iudam quidem primum fuisse qui mulieris pium actum reprehendit, sed postea ob speciosum praetextum ab eo allatum etiam alios discipulos in eamdem querelam consensisse. Similis est resolutio apparentis antilogiae inter Matthaeum et Lucam circa blasphemiam latronis cum Christo crucifixi, Matthaeus (XXVII.

44) enim plurali numero utitur: « *latrones* qui crucifixi erant cum eo improperabant ei, » Lucas vero (XXIII. 39–42) uni tantum ex latronibus blasphemiam tribuit, alterum vero Christum defendentem et eius gratiam implorantem inducit: scilicet quod Matthaeus generali modo indicavit, Lucas cum distinctione personarum, et adiunctorum clarius expressit. Omittimus plura alia exempla, quae in quatuor Evangeliis simul componendis passim occurrunt. Huc etiam referri possunt frequentes enantiophaniae circa numeros, dum aliquis ex Agiographis praecisum numerum ponit, alius autem numerum rotundum, vel tantum approximativum, ut ex. gr. circa tempus quo Hebraei in Aegypto fuerunt, quod Gen. XV. 13–16 dicitur fuisse annos 400, et Ex. XII. 40 dicitur annos 430, ita etiam quoad numerum familiae Iacobi in Aegyptum ingredientis, quae Gen. XLVI. 27 dicitur fuisse animarum 70, S. Stephanus autem coram synedrio praedicans ait fuisse 75 (Act. VII. 14) e ita in aliis locis.

3. Diversitas personarum loquentium saepe difficultatis causa est: aliquando enim non est Scriptura quae loquitur, sed alii loquentes inducuntur, a quibus potest factum vel circumstantia narrari, quae ipsius Scripturae narrationibus repugnat. Ita ex. gr. 1 Reg. XXXI. 4 narratur Saulem in praelio vulneratum ad manus hostium effugiendas sibi necem intulisse, sed postea 2 Reg. I. 2–10, dicitur Amalecitam quemdam ipsius Saulis hortatu illum interemisse. Sed nulla est necessitas fidem adiungendi huic alteri narrationi, quae non est sacri Auctoris, sed huius Amalecitae, qui Davidem convenit, et arbitratus est se posse eius gratiam inire si diceret Saulem eius aemulum a se fuisse peremptum. Ita etiam difficultas gravissima quae occurrit 2 Mac. I. 16 circa mortem Antiochi, qui dicitur lapidibus obrutus in templo Naneae, secus ac narratur postea capite IX. 28, iuxta nonnullos solvi potest ex eo quod prima illa narratio non est sacri Scriptoris, sed occurrit in epistola Iudaeorum Ierosolymitarum ad Aegyptios missa, quae libro 2° Machab. praefixa est. Eadem ratione nonnulli explicant, quae leguntur Act. VII. 16, quae videntur contradicere iis quae narrantur Gen. XXIII. 16. Ios. XXIV. 32, circa speluncam ab Abrahamo coemptam, et Patriarcharum sepulturam: nam in priori illo loco non est Lucas qui ea narrat, sed Stephanus qui, licet sanctus

et Spiritu Sancto plenus, necesse non est ut inspiratus, et infallibilis fuerit in hisce minutis adiunctis recolendis, quae in sua illa vehementi, et improvisa oratione memoriter citabat.

4. Denique nominum multiplicitas, vel diversitas multas parere solet apparentes antilogias, cum scilicet una eademque persona varia nomina habuerit, quorum modo unum, modo alterum in Scriptura ponitur, vel cum unum idemque nomen pluribus personis commune fuerit. Huius rei exemplum vidimus loquentes de Nabuchodonosor, et Arphaxad in libro Iudith nominatis, item de Assuero in libro Esther: eodem modo solvi posset difficultas circa patrem illius Zachariae inter templum et altare occisi, qui Matth. XXIII. 35 dicitur fuisse Barachias, et 2 Par. XXIV. 20 seqq. vocatur Ioiadas. Et ita in aliis casibus.

II. Apparentes antilogiae in locis *dogmaticis*.

In locis dogmaticis Sacrae Scripturae apparentes antilogiae frequentiores fortasse sunt quam in historicis, idque sive ob doctrinae intrinsecam difficultatem, sive ob rationem eam exponendi. In specie vero sequentes antilogiarum dogmaticarum causae notari possunt.

1° Diversus auctorum scopus. Ex hoc enim fit ut eadem doctrina a diversis auctoribus et in diversis locis vel tradatur vel omittatur, vel accurate et copiose, vel concise et obscure proponatur: aliquando etiam fit ut alicubi hyperbolice proferatur quod alibi intra iustos limites definitur. Huc pertinent plura exempla alibi proposita, ut illa de vitando prorsus iuramento, de non repellendis iniuriis, de omni sollicitudine postponenda et alia similia, quae iuxta Christi Domini consilium coercendi inveteratos abusus, cum restrictione intelligenda sunt, atque ita cohaerent cum aliis locis quae prima fronte illis videntur contraria. Ita quoque Paulus in Epistola ad Romanos fidei efficaciam ita emphatice urget, ut videatur necessitatem operum excludere, quia sic ferebat eius scopus extollendi, et demonstrandi totum salutis negotium ex divinae misericordiae consilio pendere, Iacobus vero in Epistola sua (Iac. II. 2, 24 et seq.) nudae fidei inutilitatem vehementer inculcat, ut bonorum operum necessitatem extollat, quia contrarium errorem refellere sibi proposuerat.

2° Peculiares dicendi formae, quae si iuxta obvium sensum ac-

cipiantur contradicunt aliis locis doctrinalibus. Huc pertinet ex. gr. notus ille locus Luc. XIV. de odio parentum et propinquorum, quod absolute acceptum repugnaret quarto praecepto Decalogi, aliisque locis Scripturae innumeris: sed iuxta indolem hebraicae linguae *odium* ibi accipiendum est non absolute sed relative seu pro minori amore. Item notissima illa loca ubi Deus dicitur *indurasse* cor Pharaonis, *excaecasse* populum, *bellum* et *gladium* non pacem *adduxisse,* quae omnia si pro indole styli biblici non stricto sensu sed latiore accipiantur, scilicet de illorum effectuum permissione, nulla erit pugna cum aliis locis quae illis contradicere videbantur.

3° Diversa eorumdem verborum significatio in variis locis multas huiusmodi difficultates parit. Ita, quod legitur Gen. XXII. 1 Deum *tentasse* Abraham, et Deut. XIII. 3 Dominum *tentasse* Hebraeos, non repugnat Iacobi verbis aientis « Deus *neminem tentat* » (Iac.I.13), quia in primis illis locis verbum *tentare* significat experimentum sumere, apud Iacobum autem est incitare ad malum. Ita quoque Eccl. I. 18 Sapientia tamquam vana, et inutilis laboris plena vituperatur, deinceps vero VII. 12 seqq. tamquam beatitudinis fons commendatur; sed in primo loco pro speculativa et curiosa scientia accipitur, in altero vero pro morali et divina Sapientia, ideoque pugna nulla est. Ita etiam 2. Cor. V. 21 Christus dicitur pro nobis factus *peccatum*, qui tamen alias a Paulo impollutus dicitur, et nobis similis factus per omnia *praeter peccatum*: verum in priori loco vox peccatum significat sacrificium, seu victimam pro peccato, in aliis vero locis accipitur pro morali culpa, et offensa Dei.

4° Diversa tempora quibus diversi libri, vel sermones scripti vel habiti sunt contradictionem aliquando parere videntur. Sed nulla realis admittetur contradictio, si consideretur quasdam leges revera immutatas fuisse, ita ut, distinctis temporibus, omnia recte se habeant. Ita multa quae in libris V. T. tamquam praecepta et obligatoria inculcantur in libris N. T. non amplius urgentur, aut etiam expresse prohibentur ex. gr. circumcisio (Gal. V. 2): et in ipso N. T. quaedam initio permissa vel praecepta fuerunt prudentis oeconomiae causa, quae postea abrogata fuerunt ex. gr. lex de non comedendo sanguine et suffocato Act. XV. Idem dicendum est de lege matrimonii in V. et N. T. spectata, et de aliis innumeris.

III. Apparentes antilogiae in locis *propheticis*.

Vaticinia Prophetarum ob suam intrinsecam obscuritatem saepe nvicem contradicere aut cum historicis libris pugnare videntur. Ad has difficultates solvendas haec potissimum prae oculis ha-benda sunt.

1° Cum posterius vaticinium priori contradicere videtur inspi-ciendum est an forte unum vel alterum a Propheta absque divina revelatione, seu proprio iudicio prolatum fuit. Aliquando enim id accidebat Prophetis etiam sanctissimis ut aliquid ex naturali pru-dentia praedicerent, quod postea accedente divina revelatione re-tractare cogebantur. Sic Nathan propheta 2 Reg. VII. 3 Davidi ndicavit eum aedificaturum esse templum Domini, sed paulo post Deo iussus est contrarium illi praedicere (ib. vers. 5 seqq.).

2° Vaticinia quibus eventus non respondet non ideo falsa sunt aut errorem in historia sacra evincunt: saepe enim in vaticiniis conditio aliqua implicita erat, qua non expleta, vaticinium effe-ctu suo carebat. Haec autem conditio plerumque erat: nisi ho-mines quibus vaticinium destinatum erat resipiscerent, aut veniam Deo implorarent. Ita celebre Ionae vaticinium: « Adhuc quadra-ginta dies et Ninive subvertetur » Ion. III 4, implementum non habuit, quia scilicet Ninivitae ad meliorem frugem conversi poeni-tentiam egerunt, et ita excidium illud sub conditione praedictum evaserunt. Ita etiam Isaias XXXVIII. 1 Ezechiae aegrotanti absolute praedixit: « Dispone domui tuae quia morieris tu, et non vives » Ille autem adhuc quindecim annos supervixit, eo quod supplici ora-tione vitam a Deo petiisset, ut deinceps ibidem narratur.

3° Non omnia quae in vaticiniis habentur tamquam futurorum praedictiones praecise consideranda sunt. Solent enim Prophetae va-ticiniis proprie dictis praecepta, aut comminationes commiscere, dest simul edicere et quod futurum est, et quod faciendum esset, ut fieri posset. Praeterea res futuras aliquando non tam praedicunt quam vivis imaginibus et quasi coloribus pingunt: tunc autem sedulo distinguendum est inter rei substantiam et imaginem sub qua proponitur, quae aliquando pro more orientalium audacior est et hyperbolica, nec ad ultimum usque apicem urgenda, quales sunt plurimae imagines, sub quibus Isaias aliique Prophetae adum-brant futurum Messiae regnum (Is. II. 4, XI. 6-10 LXV. 25 etc.) Item

imago seu descriptio secundi templi apud Ezechielem XL-XLIV, quae nimis magnifica est, nec illi respondit templum a Zorobabele aedificatum.

4° Si quaedam vaticinia in sacra historia impleta non reperiuntur non ideo falsa sunt aut historiae repugnant: potest enim fieri ut revera implementum habuerint, quod tamen in Scriptura narratum non sit, aut etiam ut nondum advenerit tempus in eis praedictum. Ita de pluribus vaticiniis Isaiae, Ezechielis, Amos, quae directa sunt adversus Moabitas, Philistaeos, Aegyptios, Aethiopes difficile est aut saepe impossibile demonstrare et exponere implementum, quia nempe illarum gentium historia admodum imperfecte cognoscitur. Ita etiam quaedam Danielis prophetiae, item multa quae a Christo praedicta fuerunt Matth. XXIV, et magna pars vaticiniorum Apocalypseos Iohannis ideo impleta non sunt, quia respiciunt ultima Ecclesiae tempora quae nondum advenerunt.

5° Cum Prophetae temporum ordinem ac distinctionem plerumque non servent, cavendum est ne contraria putemus ea vaticinia quae de iisdem rebus vel personis contraria praedicunt, quae tamen, distinctis temporibus, ac variis respectibus simul, optime conciliantur. Hoc prae oculis habendum est praecipue in Isaia qui de Christo modo laeta et gloriosa, modo tristia ac probrosa vaticinatur ut Is. IX. et XI. coll. L et LIII, imo etiam in uno eodemque contextu utrumque genus eventuum aliquando miscet ut cap. LII. Similia occurrunt in Prophetis relate ad futuras sortes populi Iudaici.

6° Demum animadvertendum est quaedam vaticinia duos continere sensus, alterum literalem, alterum mysticum, qui nisi distinguantur videntur historicis libris contradicere, multa enim quae in iis continentur non possunt ad typum seu figuram historice referri, sed ad antitypum seu figuratum pertinent. Ita ex: gr: Psalmus LXXI. quamvis de Salomone scriptum sit, multo tamen plura habet de Christo cuius Salomon erat figura, quae si historice inspiciantur nunquam de Salomone adimpleta sunt, ut ex: gr: quod in aeternum esset regnaturus, quod omnes reges mundi eum essent adoraturi, omnesque gentes in eo essent benedicendae, et alia huiusmodi.

CAPUT II.

De criteriis et regulis dogmaticis quae ex infallibili ecclesiae magisterio derivantur.

Hucusque tradidimus normas interpretandi quae *Christiano* cuilibet interpreti observandae sunt ob divinam Scripturae inspirationem. Verum haec interpreti *Catholico* sufficere non possunt, qui praeterea cognoscit infallibile a Deo constitutum fuisse magisterium, cui tum in genere depositum revelationis, tum in specie Sacra Scriptura eiusque dogmatica interpretatio ex officio concredita est: a cuius magisterii norma proinde non potest in Scripturis exponendis praescindere. Quinimo hoc magisterium proprie exhibet *positiva* criteria interpretationis dogmaticae, dum Scripturae inspiratio et infallibilitas *negativum* tantum criterium subministrat, ostendens scilicet quomodo Scriptura exponenda non sit, non autem quinam sit verus singulorum locorum sensus. Oportet itaque nunc de his criteriis agere quae proprie *catholica* appellari possunt, et catholicae interpretationis tesseram constituunt. (1)

Ut autem ordinate procedamus distinguimus duos modos quibus Ecclesiae magisterium potest influxum exerere in Sacrae Scripturae interpretationem, vel scilicet *directe* et *specialiter*, vel *indirecte* et *generaliter*. Primum fit quando Ecclesia alicuius determinati loci Sacrae Scripturae sensum exponit ac definit, alterum vero quando Ecclesia nullum locum determinatum interpretatur, sed doctrinam revelatam declarat, proponit ac vindicat, quae doctrina etiam in Sacra Scriptura continetur, ex hac enim uberiori doctrinae expositione fieri non potest, quin lux affundatur iis Scripturae partibus, quae de eadem doctrina pertractant. Criteria ac regulae ad utrumque modum influxus ecclesiastici magisterii pertinentia distincte exponenda sunt.

(1) Criteria rationalia libros sacros respiciunt quatenus *humani* sunt, criteria dogmatica primi ordinis eosdem respiciunt quatenus intrinsece sunt *divini*, demum criteria dogmatica catholica, de quibus nunc agimus, eos considerant quatenus canonici sunt et *ecclesiastici*, ex quibus scilicet Ecclesia dogmata sua promit, et quorum proinde custodia et authentica interpretatio ad ipsam Ecclesiam pertinet. Ita divisio regularum respondet variis respectibus sacrorum librorum iuxta divisionem, quam sequuti sumus in Introductione Critica.

ARTICULUS I.

Criteria et regulae dogmaticae quae ad directum ecclesiastici magisterii influxum in sacrae scripturae interpretationem pertinent.

Huiusmodi regulas proponit et inculcat Concilium Tridentinum Sess. IV Decret. de edit. et usu Sacr. Libr. hisce verbis: « Praeterea ad coercenda petulantia ingenia, decernit (Sancta Synodus) ut nemo, suae prudentiae innixus, in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium, Sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum quem tenuit et tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum Sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam Sacram interpretari audeat; etiamsi huiusmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendae forent. Qui contravenerint, per ordinarios declarentur, et poenis a iure statutis puniantur. »

In hoc decreto duo proponuntur criteria interpretationis: interpretatio seu sensus Ecclesiae, et unanimis consensus sanctorum Patrum, scilicet circa locorum Scripturae interpretationem: unde duae regulae deducuntur 1° *sequendum esse in Scripturae expositione sensum Ecclesiae* 2° *sequendum esse unanimem consensum Patrum,* seu aliis verbis accipiendam esse illam Scripturae interpretationem quam vel Ecclesia, vel Patres consentientes proposuerunt. Antequam vero de utraque regula seorsim agamus oportet quaedam praemittere de sensu ac mente Tridentini Decreti. Imprimis quaeri posset cur haec duo distinguantur scilicet sensus Ecclesiae, et consensus Patrum, cum iuxta principia sanae Theologiae Patrum consensus eatenus tantum auctoritatem habeat quatenus sensum Ecclesiae repraesentat, atque adeo in illum refunditur. Verum sciendum est Ecclesiam posse mentem suam declarare diversis modis circa aliquam doctrinam, vel, ut in casu nostro, circa sensum Sacrae Scripturae; aliquando enim id facit per aliquod solemne decretum, aut aliquem solemnem et publicum actum, ita ex: gr.: Concilium Tridentinum in Sess. XIV definivit sensum verborum

Christi Luc. XX: *quorum remiseritis peccata* etc, et verborum Iac. V. de extrema Unctione et ita de aliis locis, item per publicam et constantem praxim baptizandi infantes declaravit extensionem verborum Matth. XXVIII. 19, et Io. III. 5 circa subiectum Baptismi, et per praxim Eucharistiam administrandi sub unica specie declaravit verba Io. VI. 54–57, et 1 Cor. XI. 26, et 27 in quantum utriusque speciei sumptionem complectuntur absolutum praeceptum non continere. Aliquando vero ecclesia nullo speciali decreto vel actu interposito per ordinariam praedicationem et communem sensum Episcoporum et fidelium aliquam veritatem vel Scripturae interpretationem proponit, cuius sensus legitimi interpretes et expositores sunt sancti Patres. In decreto igitur Tridentino per *sensum Ecclesiae* intelligendus videtur primus ille modus proponendi Scripturae interpretationem, alter autem per *consensum Patrum:* qui quidem modi revera duas regulas diversas constituunt, quia licet radicaliter in eadem Ecclesiae auctoritate fundentur, per se tamen distincti sunt, ex diversis fontibus hauriri debent, ideoque *proxime* et *immediate* duas distinctas normas interpreti suppeditant. Secundo quaeri potest de obiecto harum regularum, eiusque extensione. Hoc autem a Concilio clare expressum est illis verbis: *in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium,* scilicet regulae istae in iis tantum partibus Scripturae observandae sunt, quae de fide et moribus pertractant, quasque uno vocabulo appellare possumus *loca dogmatica,* non autem in illis partibus quae de aliis rebus, puta de historia, de scientiis naturalibus, geographia aliisque similibus agunt de quibus Ecclesia iudicium nullum proferre solet. Et hic nota prudentiam Concilii Tridentini: non enim dicit, ut nonnulli intellexisse videntur: *ad aedificationem fidelium,* quia tunc omnia Scripturae loca comprehenderentur, dicente Apostolo Rom. XV. 4: « Quaecumque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt » sed dixit: *ad aedificationem doctrinae Christianae*: quod valde diversum est, et ea tantum loca complectitur quae aliquam doctrinae partem continent (1). Tertio demum quaeri

(1) Per hoc autem nolumus excludere, seu subtrahere omnino a magisterio Ecclesiae coetera loca Scripturae non doctrinalia: sed haec obiectum tantum *indirectum* constituunt magisterii Ecclesiae, de quo in articulo sequenti dicetur.

posset de vi et extensione Decreti Tridentini. Non enim defuerunt qui dicerent decreto illo nullam normam positivam praescribi, aut si praescribitur eam non obligare in conscientia sed esse legem mere poenalem. Utrumque tamen falsum est: et quod sit norma positiva paulo post demonstrabimus adversus Iahnium eiusque defensores, quod autem praeceptum sit obligans graviter et in foro interno apparet manifestissime ex verbis Concilii: *decernit, ut nemo..... interpretari audeat;* et ex gravibus poenis contra inobedientes irrogatis quae quidem legem non constituunt sed constitutam supponunt; prius enim fertur praeceptum gravibus illis verbis, et postea additur: *qui contravenerint.... puniantur.* Secus dicendum est de alia quaestione an lex ista dogmatica sit, an disciplinaris: quamvis enim ad catholica principia revocentur praedictae regulae Tridentinae, a Concilio tamen proponuntur non ad modum definitionis doctrinalis, sed ad modum normae practicae seu praecepti, ut apparet ex toto contextu Decreti, et ex sanctione apposita, quae non est *anathema contra negantes,* ut fit in definitionibus dogmaticis, sed sunt *poenae canonicae* per ordinarios infligendae *contravenientibus,* idest violantibus praeceptum. Hisce praeiactis, utramque regulam seorsim demonstrabimus.

THESIS XII.

In exponendis locis Sacrae Scripturae, quae ad fidem moresque pertinent, non licet interpreti catholico recedere a sensu, quem tenuit ac tenet sancta Mater Ecclesia.

Argumentum fundamentale ad huius Theseos veritatem demonstrandam indicatur in decreto Concilii Tridentini illis verbis: *Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum Sanctarum.* Ex quo ita argumentamur: in Scriptura exponenda non licet recedere ab eius sensu, cuius est indicare de vero sensu Scripturae, seu qui est legitimus, authenticus et infallibilis Scripturae interpres. Atqui talis est Ecclesia. Ergo. Minor propositio argumenti demonstrari potest rationibus tum indirectis, tum directis.

I. Rationes *indirectae.*

Necessario adesse debet aliquis authenticus interpres Scripturae

in iis locis saltem qui ad fidem et mores pertinent. Atqui secluso Ecclesiae magisterio nullus huiusmodi interpres inveniri aut adsignari potest. Ergo huiusmodi interpres est ipsa Ecclesia. Maior propositio ex eo probatur quod Scriptura sit constituta tamquam norma et fundamentum fidei, simulque obscura admodum sit atque interprete indigeat. Quae quidem hic demonstrata supponimus, praesertim cum alterum ex dictis a Protestantibus quoque ultro admittatur, alterum vero seu obscuritas Scripturarum, quamvis a Luthero aliisque primis Protestantibus negatum fuerit, nunc vero ab omnibus adversariis experientia et rei evidentia convictis concedatur. Accedit quod etiamsi praescindamus a speciali obscuritate SS. Librorum, ipsa indoles ac scopus eorumdem necessitatem induceret authentici cuiusdam interpretis. Scriptura enim est codex religiosus et moralis Christianorum, in quo nempe gravissimae leges feruntur sub severissimis poenis observandae, tum credendorum tum agendorum. Porro considerata hominum natura nullus unquam codex fuit aut esse potest, qui authentica interpretatione non indigeat ad leges auctoritative explicandas et applicandas, litesque componendas.

Minor vero propositio facile demonstratur ad examen revocatis aliis iudicibus, et interpretibus, quos Protestantes relicta Ecclesiae auctoritate in medium proferunt. Alii enim iudicium seu rationem individualem uniuscuiusque authenticum Scripturae interpretem constituunt, alii saltem rationem hermeneutica et biblica scientia instructam, alii privatam Spiritus Sancti illustrationem, quae verum Scripturae sensum unicuique suggerat. Verum evidens est nullum ex his dici posse authenticum interpretem. Praeterquamquod enim legum interpretatio non privata, sed publica esse debet, cui omnes subditi obtemperent necesse est, ipsum factum sufficit ad hypotheses illas excludendas: Protestantes enim praefatis regulis ducti nunquam inter se convenire potuerunt, et in ipsis locis et doctrinis fundamentalibus Scripturae interpretandis acerrime inter se digladiantur. Ab ulteriori horum principiorum refutatione supersedemus cum haec a Theologis fuse pertractari soleant, et in Introductione critica quantum satis erat de his disputatum sit (1).

(1) Vide Introd. crit. Part. II. Sect. 1. Cap. II. Thes. XLI, ubi etiam argumenta praecipua Lutheranorum et Calvinistarum soluta invenies.

II. Rationes *directae* pro authentica Ecclesiae interpretatione.

Authentica dicitur ea interpretatio quae ab ipso legislatore procedit, ideoque vim legis habet. Potest autem interpretatio a legislatore procedere duobus modis, vel scilicet immediate cum ipse legislator per se mentem suam declaret, vel mediate cum declaratio fit ab eo qui legislatoris vices gerit, eiusque mentem repraesentat, et cuius interpretationes ille tamquam suas agnoscit. Dicimus itaque interpretationes Scripturae ab Ecclesia propositas authenticas esse nunc uno nunc altero, nunc utroque simul ex praedictis modis. Et sane.

1° Ecclesiae interpretationes semper authenticae sunt saltem secundo modo, seu mediate. Et revera supponimus hic Ecclesiae concessum fuisse magisterium infallibile in iis quae ad fidem moresque pertinent, ita ut eius iudicia in revelatione divina declaranda et proponenda certa omnino sint, et a Deo rata habeantur. Porro si Ecclesiae sententia talis est cum in genere de divina revelatione agitur, eadem quoque esse debet cum agitur de sensu Sacrae Scripturae: nihil enim magis ad magisterium fidei pertinet quam Scripturae expositio, in locis nempe doctrinalibus. Haec enim non solum ad revelationem pertinent, sed constituunt ipsum fontem revelationis. Oportet igitur Ecclesiam certo iudicare posse de sensu illorum locorum, quoties id opus fuerit, vel ad dogmata definienda, vel ad lites et quaestiones inter fideles exortas dirimendas.

Confirmatur hoc argumentum ex eo quod Ecclesia possidet totius revelationis sensum *antecedenter,* et *independenter* a Scripturis. Priusquam enim Apostoli libros suos scriberent Ecclesia iam acceperat revelatam doctrinam, eaque viva voce tum ipsius Christi, tum Apostolorum cum Spiritus Sancti illustratione et assistentia praedicata, stabilita, per mundum diffusa, et tum theoretice tum practice ab omnibus fidelibus recepta erat. Haec autem doctrina nec tota, nec cum omnibus explicationibus scripto deincep consignata fuit, quia scilicet Apostoli in suis lectoribus supponebant praecedentem instructionem, ad quam saepe etiam express appellant (Col. II. 6–8, 1 Tim. VI. 20 seq., 2 Tim. I. 13 seq, II. 1 et 2, III. 14 etc). Ecclesia igitur quae Apostolici muneris ac tradit ab Apostolis depositi custos et haeres est, ob plenum istum sensum et quasi conscientiam totius doctrinae revelatae melius iudicare po

test quam quilibet privatus doctor de sensu illorum locorum Scripturae in quibus aliqua pars eiusdem doctrinae breviter et obscure continetur. Ideoque eius expositio mentem Auctoris seu Spiritus Sancti certo repraesentat. Scite ergo Tertullianus contra deliras Gnosticorum expositiones Ecclesiasticam interpretationem opponens in Lib. Scorpiaci aiebat: « Quis nunc medullas Scripturarum magis nosset, quam ipsa Christi schola? quos et sibi discipulos Dominus adoptavit, omnia utique edocendos, et nobis magistros adornavit, omnia utique docturos ».

2° Etiam primo modo, seu immediate, et strictissimo sensu Ecclesiae interpretationes authenticae aliquando sunt. Sunt enim aliquando, ipsae interpretationes quas Christus et Apostoli, seu ipsi Scripturarum auctores, viva voce tradiderunt, quas Ecclesia diligenter conservatas pro data opportunitate in medium adducit et fidelibus proponit. Quod ut melius intelligatur recolendum est Christum Dominum et Apostolos solitos fuisse non modo doctrinam praedicare, sed etiam praecedentes Scripturas exponere, scilicet, tum Christum tum Apostolos Scripturas V. T., Apostolos autem etiam Scripturas N. T. vel a se, vel ab aliis Apostolis seu Discipulis antecedenter vulgatas. Constant haec ex clarissimis ipsius Scripturae testimoniis, quae alias citata sunt. Christus enim et in synagogis dicitur exposuisse prophetias antea perlectas, et discipulis suis explicasse dicitur, quae de ipso erant *in Lege Moysi, in Prophetis et in Psalmis,* et multa quoque declarasse credendus est toto illo quadraginta dierum spatio quo redivivus Apostolis apparuit, et familiariter cum iis conversatus est *loquens de regno Dei*. Idem quoque de Apostolis tenendum est. Et sane quod Apostoli, quibus Christus Dominus *aperuit sensum ut intelligerent Scripturas* (Luc. XXIV. 45), et quibus Spiritus Sanctus aderat *docens et suggerens omnia* (Io. XIV. 26), Scripturas V. T. saepissime declaraverint nullum dubium esse potest: hoc enim ubique faciunt in suis scriptis, et in sermonibus in N. T. relatis, idem igitur fecisse censendi sunt in toto cursu suae praedicationis. Sed et libros N. T. eos exposuisse credendum est: nam ex una parte plura loca occurrebant in hisce libris difficilia et obscura, quae facile poterant in pravum sensum detorqueri, aut saltem quaestionibus viam aperire, ut revera aliquando factum esse didicimus ex testimoniis S. Petri 2 Pet.

III. 16, Pauli 1 Cor. V. 9-11 et ex aliis locis; ex alia vero parte fideles solliciti esse debuerunt de horum locorum explicatione petenda ab Apostolis, ipsisque librorum auctoribus cum adhuc in vivis essent, imprimis vero a Iohanne qui coeteris Apostolis diu superstes tamquam oraculum totius Ecclesiae usque ad finem primi saeculi habitus est, pluresque habuit discipulos, quorum nonnulli eius dicta et responsa etiam scriptis mandarunt. Nemo igitur negabit Ecclesiam tempore apostolico multas habuisse locorum Scripturae dogmaticas explicationes a Christo et ab Apostolis acceptas, seu proprio et strictiore sensu *authenticas*. Hae vero partem depositi Ecclesiae concrediti constituebant, quam proinde Ecclesia minime dissipavit, sed caute ac vigilanter custodivit, et cum opus sit quaestiones de sensu Scripturae dirimere easdem illas expositiones veluti de thesauro suo profert. Quibus in casibus Ecclesia non proprio iudicio, ut alias, utitur cum assistentia Spiritus Sancti, sed tantummodo testatur et fidelibus proponit mentem Auctoris Sacrae Scripturae ab ipso expresse declaratam.

3° Argumenta superius exposita confirmantur ex gravissimo testimonio SS. Patrum, qui et verbis et factis ostenderunt hanc sibi regulam semper ante oculos propositam fuisse, ut in dogmatica Scripturarum interpretatione sanctae Matris Ecclesiae sensum sequerentur. Ita fere omnes antiquas haereses ex falsa interpretatione alicuius loci Scripturae ortas sancti Patres refellebant veram interpretationem opponentes, quam ab Ecclesia se accepisse dicebant. Irenaeus lib. IV. adv. haer. cap. 26 falsis Gnosticorum interpretationibus occurrebat hac regula: « Ubi charismata Dei posita sunt, ibi discere oportet veritatem: apud quos est ea quae ab Apostolis est successio, et id quod est sanum et irreprobabile conversationis, et inadulteratum et incorruptibile sermonis constat. *Hi enim... Scripturas sine periculo nobis exponunt.* » Vide etiam cap. 32 seq. et Lib. III. c. 4. Clemens Alex. lib. VI Strom. postquam dixisset Prophetarum libros et Christi Domini sermones non ita claros esse ut ab omnibus statim intelligantur, subiungit Scripturam sine erroris periculo intelligere eos « qui ab ipso (Christo) declaratam Scripturarum expositionem ex Ecclesiastica regula retinentes conservant ». In eadem sententia scribit Tertullianus lib. Praescript. cap. XIX: « Illic esse veritatem Scripturarum et *exposi-*

tionum, et omnium traditionum Christianarum, ubi apparuerit esse veritatem disciplinae et fidei Christianae » idest in vera et catholica Ecclesia. S. Athanasius in lib. de Synodis scribit: « Quae in sacris eloquiis non intelligimus non ideo reiicimus, sed ab iis quaerimus, ab iis discere postulamus, quibus Dominus revelavit ». Auctor *Recognitionum,* quicumque ille fuerit, lib. X. §. 42. eamdem regulam inculcat: « Ab eo, inquit, oportet intelligentiam discere Scripturarum, qui eam a maioribus secundum veritatem sibi traditam servat, ut ipse possit ea quae recte suscepit competenter asserere. » Gregorius Nazianz. orat. XLVI ad Nectarium perversis haereticorum interpretationibus Sacri Textus *symbolum Ecclesiae* opponit, et ex hoc illas corrigit. Generatim vero de eodem Gregorio, eiusque amicissimo S. Basilio M. narrat Rufinus, (Hist. Eccl. lib. XI. c. 9.) eos in Pontum recessisse, ibique divinarum rerum contemplationi, et Scripturarum studio simul operam dedisse, « earumque intelligentiam, inquit, non ex propria praesumptione, sed ex maiorum scriptis et auctoritate sequutos esse quos et ipsos ex Apostolica successione intelligendi regulam suscepisse constabat. » S. Ambrosius lib. III De fide Cap. 6 falsam Manichaeorum interpretationem verborum Io. I. 3 seq. absolute repudiat hisce tantum verbis: « sed hoc damnat Ecclesia: » similiter Hieronymus comm. in Dan. III. 37 refellens quorumdam illius loci expositionem hoc tantum affert: « Sed haec non recipit Ecclesia Dei ». Augustinus Lib. III de Doct. Christ. cap. II de ambiguis et obscuris Scripturae locis scribens ait: « Cum ergo adhibita intentio incertum esse perviderit quomodo distinguendum, aut quomodo pronunciandum sit consulat regulam fidei, quam de Scripturarum planioribus locis, et Ecclesiae auctoritate percepit. » Coeteris omissis, pulcherrima sunt quae in hanc rem scribit Vincentius Lirin. in Commonitorio Cap. II. « Hic, inquit, quaeret fortasse aliquis: cum sit perfectus Scripturarum canon, sibique ad omnia satis superque sufficiat, quid opus est, ut ei *Ecclesiasticae intelligentiae iungatur auctoritas?* Quia videlicet Scripturam sacram pro ipsa sua altitudine non uno eodemque sensu universi accipiunt, sed eiusdem eloquia aliter, atque aliter alius, atque alius interpretatur, ut poene quot homines sunt, tot illinc sententiae erui posse videantur. Aliter namque illam Novatianus, aliter Photinus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit...

aliter postremo Nestorius. Atque idcirco propter tantos tam varii erroris anfractus multum necesse est ut propheticae et apostolicae interpretationis linea secundum Ecclesiastici et catholici sensus normam dirigatur ».

Accedit ipsius Ecclesiae praxis. Sane Ecclesia, idest Romani Pontifices et Concilia, nunquam omiserunt, cum opus esset, locorum Scripturae dogmaticorum sensum exponere, falsas interpretationes condemnare, ac veram a se propositam omnibus fidelibus recipiendam iniungere. Ita verba Sacrae Scripturae de Incarnatione, Passione, ac Resurrectione Christi non in sensu metaphorico sed in sensu literali et obvio, seu de vera ac reali Christi carne Ecclesia explicanda esse definivit contra Docetas: item proprium sensum verborum Evangelii, ubi Christi divinitas praedicatur, stabilivit contra Cerinthianos. Concilium Sardicense contra Arianos definivit verba Io. X. 30: « *Ego et Pater unum sumus* » non de concordia morali, sed de naturae identitate intelligenda esse. Concilium Milevitanum II (anno 416) decrevit verba Pauli Rom. V. 12 de peccati originalis propagatione tractare inquiens ea « non aliter intelligenda esse nisi quemadmodum Ecclesia catholica semper intellexit ». In variis Conciliis saec. XI. habitis adversus errorem Berengarii stabilitum est verba institutionis Eucharistiae: *hoc est Corpus meum* non figurate sed proprie esse intelligenda. Item factum est de verbis Ex. XX. 4: « Non facias tibi sculptile, neque omnem similitudinem » quae verba Ecclesia adversus Iconoclastas definivit ad Christianos non pertinere, nec obstare cultui sanctarum imaginum. Demum in Concilio Tridentino notum est multa Scripturae loca declarata fuisse, eorumque sensum definitum, inflicto etiam anathemate adversus contradicentes. Ita in Sess. VII. can. 2 de Baptismo definitum est verba Christi Io. III. 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei*, » non esse metaphorice explicanda, ut nonnulli haeretici volebant, de gratiae interna tantum effusione sed de aqua vera ac naturali in Sacramento Baptismi adhibenda: ita etiam in Sess. XIV. de Sacramento Poenitentiae can. III circa verba: *quorum remiseritis peccata remittuntur eis;* et ibidem de Extrema Unct. cap. 1 et can. IV circa verba Iac. V. 14 et 15 de *presbyteris* ad infirmum inungen-

dum advocandis, et in Sess. XXII can. II de verbis Christi: *hoc facite in meam commemorationem.*

Et haec sufficiant de prima regula.

THESIS XIII.

In locis dogmaticis Scripturae exponendis non est recedendum ab ea interpretatione, quam Sancti Patres unanimi consensu, ac certa sententia proposuerunt.

Ad sensum huius regulae rite determinandum nonnulla praemittenda sunt. Nomine *Patrum Ecclesiae* designantur non omnes promiscue Ecclesiastici Scriptores, sed illi dumtaxat qui ob suam tum sanctitatem, tum etiam antiquitatem hunc titulum expresso vel tacito Ecclesiae consensu receperunt. Horum numerus satis ingens est, eorumque aetas protenditur ab aevo apostolico usque ad finem saeculi XII, ita ut primus eorum sit S. Clemens R. S. Petri discipulus, ultimus vero S. Bernardus. Dicitur autem in Thesi: *unanimi consensu,* et *certa sententia.* Ad primum quod attinet non est ita facile determinare quandonam consensus *unanimis* dici possit. Omnes quidem concedunt non requiri unanimitatem mathematicam et absolutam, quasi nempe omnes et singuli Patres in eamdem interpretationem alicuius loci convenire debeant: tunc enim fere nunquam haec regula applicari posset. Quapropter contenti esse debemus *morali,* et *relativa* unanimitate. Si vero quaeratur quandonam haec habeatur respondemus, id ex variis adiunctis in singulis casibus iudicandum esse. Imprimis itaque moralis unanimitas proprie dicta tunc habetur cum maior et illustrior pars sanctorum Patrum per omnes aetates in idem conveniunt. Secundo etiamsi pauci sint Patres possunt aliquando constituere moralem unanimitatem *praesumptive,* et, ut ita dicam, *virtualiter,* quando ii quidem conveniunt in aliqua interpretatione absolute, et indubitanter proponenda, atque inculcanda, coeteri vero qui cum illis aut post illos floruerunt nihil adversus illam interpretationem dicunt; tunc enim praesumendi sunt priores illi sensum Ecclesiae repraesentasse, et coeteri cum illis consensisse quamvis occasionem non habuerint id expresse affirmandi. Hic alter casus tunc potis-

simum locum habet cum agitur de iis textibus S. Scripturae, de quibus specialis controversia cum haereticis agitata fuit aliqua Ecclesiae aetate: si enim Patres illi qui adversus huiusmodi haereticos catholicum dogma defenderunt absolute proponant alicuius loci interpretationem, coeteris non contradicentibus, interpretatio illa tamquam catholica retinenda est. Ita ex: gr: si in quaestione Pelagiana Hieronymus, Augustinus, Fulgentius, Prosper, qui partes Ecclesiae contra Pelagianorum errores agebant, conveniant in quibusdam testimoniis, puta epistolarum Pauli de gratiae divinae necessitate et gratuitate, interpretandis, hic habendus est ut verus illorum locorum sensus. Ad secundum vero quod spectat tunc dicimus Patres *certa sententia* loquutos esse, cum loci cuiusdam expositionem proponunt absque ulla haesitatione, et tamquam aliquid omnino certum, et ab omnibus certo tenendum independenter a rationibus hermeneuticis quibus illa interpretatio innititur, quas rationes aut omittunt, aut saltem ita proponunt ut ostendant non ob illarum vim se in eam persuasionem venisse. Haec distinctio magni momenti est, et ad genuinum conceptum auctoritatis sanctorum Patrum stabiliendum necessaria. Quantumvis enim reverentiae debeatur Patribus ob eorum ingenium, doctrinam, et sanctitatem, non sunt tamen praecise hae dotes, e quibus Theologica eorum auctoritas nascitur, sed tantum quia sunt *testes* et legitimi expositores mentis ac sensus Ecclesiae: quapropter sedulo investigandum est an illi opinionem suam proponant tamquam privati doctores ac theologi, an vero tamquam testes affirment id quod ab Ecclesia acceperunt. Hisce praemissis, Thesim demonstramus sequentibus argumentis.

I. Merito urgere possumus imprimis argumentum *morale* seu ex legibus moralibus deductum. Nisi enim Patres in casu de quo loquimur acceptam ab Ecclesia interpretationem proponerent, eorum consensus explicari nullo modo posset, imo impossibilis appareret. Quod ut intelligatur animadvertimus imprimis hic sermonem non esse de locis claris, et evidentibus, in quibus consensus necessarius est, et pro quibus Patrum auctoritas nonnisi ad abundantiam invocari solet; sed loquimur de iis locis qui ob sensus profunditatem, aut ob verborum obscuritatem variis interpretationibus aditum praebent, et ab haereticis in malam partem detorqueri solent. In his

itaque locis interpretandis si totum negotium ingenio et industriae uniuscuiusque interpretis relinquatur, moraliter impossibile est omnes in eamdem adamussim interpretationem convenire, praesertim si agatur de interpretibus numero plurimis, ingenio et culturae gradu diversis, aetate, regione ac moribus longe dissitis, quemadmodum in sanctis Ecclesiae Patribus observatur. Cum igitur invenimus eos in praefatis locis eodem modo ac certa sententia exponendis consentire merito concludimus eos nequaquam ingenio suo indulgere, aut fructum suorum studiorum tradere, sed nihil aliud facere quam testari illud quod in Ecclesiae praedicatione ac sensu invenerunt.

II. Argumentum *theologicum* eamdem veritatem magis magisque confirmat. Et sane, admissa Ecclesiae indefectibilitate, necessario sequitur numquam Ecclesiam in aliquam falsam Scripturae interpretationem in rebus fidei et morum convenire posse. Atqui hoc omnino fieret si interpretatio a Patribus unanimi ac certa sententia proposita falsa esset. Impossibile est enim seiungere sensum Patrum unanimem ab ipsius Ecclesiae sensu: siquidem tota Ecclesia Patres uti magistros ac duces sequitur in Scripturis exponendis. Quare si isti unanimiter in falsum sensum convenissent procul dubio secum in errorem pertraxissent universam Ecclesiam: quod profecto admitti non potest.

III. *Constans* Ecclesiae *testimonium* ac *traditio* id evincit. Huc pertinent nonnulla testimonia in Thesi praecedenti citata, ut S. Irenaei, Tertulliani, auctoris Recognitionum et alia, quibus sufficiat pauca hic adiungere. S. Hippolitus in lib. C. Nöet. c. 9 narrat Nöetum ex ordine Sacerdotali depositum fuisse quod Scripturas non iuxta mentem Patrum et Ecclesiae, sed ex proprio iudicio exponeret. S. Hieronymus, licet in Scripturae interpretatione tamquam oraculum ab omnibus haberetur et consuleretur, non dubitat tamen affirmare se maiorum traditionem, ac sensum semper prae oculis habuisse; ita in Epist. ad Domn. et Rogat. « Fateor enim, inquit, mi Domnion et Rogatione charissimi, nunquam me in divinis voluminibus propriis viribus credidisse, nec habuisse opinionem meam, sed ea etiam de quibus scire me arbitrabar interrogare solitum fuisse, » et in Epist. ad Eustach. « Praestiti, inquit, ut docerem quae didiceram non a me ipso, idest a prae-

sumptione mea, pessimo praeceptore, sed ab illustribus Ecclesiae viris. » Eadem repetit et inculcat omnibus in epist. ad Paulinum; et in Comm. in Danielem de contrario quorumdam abusu conqueritur, quod scilicet « Scripturae Sacrae intelligentiam absque Dei gratia, et *doctrina maiorum* sibi vindicant. » Huc etiam pertinent ea quae superius recitavimus ex Rufino Hist. Eccl. L. XI. c. 9 de SS. Basilio et Gregorio in monasterio degentibus; quod etiam Augustinus lib. II. contra Iulian. Cap. 34, generatim affirmat de Ecclesiae Doctoribus: « Quod invenerunt in Ecclesia tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt; quod a *Patribus acceperunt* hoc filiis tradiderunt. » Vide etiam eiusdem S. Doctoris testimonia in lib. 1. cont. Cresconium cap. 33, et in lib. de Utilit. cred. c. 14, n. 31. Origines Tract. 29 in Matth. praecipit non aliter Scripturam exponendam esse « nisi quemadmodum *per successionem Ecclesiae tradiderunt nobis,* » et Clemens Alex. Strom. Lib. VII. absolute pronunciat: « Illos qui *adversus Ecclesiasticam traditionem* Scripturas interpretantur, *regulam veritatis* amisisse. » Quare Theodoretus in Praefat. in Cantic. expositionem Scripturae a Patribus propositam pulchre appellat *paternam haereditatem,* quam scilicet non dissipare oportet, sed grato animo susceptam diligentissime custodire. Accedit auctoritas Conciliorum quae hanc regulam inculcare non omiserunt. Ita praeter testimonia superius adducta ex Concilio Milevitano II, ex Concilio Tridentino et aliis, ad rem nostram pertinet canon 19 Concilii Trullani, ubi iis qui Ecclesiae praesunt hoc praeceptum iniungitur: « Si ad Scripturam pertinens controversia aliqua excitata fuerit, ne eam aliter interpretentur quam quomodo Ecclesiae luminaria, et Doctores suis scriptis exposuerunt. » Item in Concilio VI. Oecumenico Collat. III. legitur: « In omnibus sequimur Sanctos, ac Doctores Dei Ecclesiae, et omnia quae ab ipsis scripta sunt de recta fide et ad haereticorum condemnationem admittimus. » (1) In Concilio Vien-

(1) Tam firma et universalis haec olim fuit Ecclesiae persuasio et praxis, ut ipsi schismatici inde a saeculo IX a Sede Apostolica divulsi eamdem tamen regulam retinuerint in expositione Scripturarum, ut solemniter declaraverunt in Concilio Ierosolymae coacto a 1672 adversus Reformatorum dogmata: siquidem in professione fidei ibi prolata et confirmata inter cetera haec leguntur: « Credimus Ss. Scripturas fuisse revelatas, eisque propterea

nensi cum quaestio esset de testimonio Iohannis XIX. 33, seq. eius sensus declaratus est ita: « Nos ad *sanctorum Patrum* et *Doctorum communem sententiam* apostolicae considerationis aciem convertentes . . . . . declaramus etc. » et in Concilio Lateranensi V. sess. XI. haec lex statuitur: « Mandamus omnibus (Evangelii praedicatoribus) ut Sacram Scripturam iuxta interpretationem Doctorum quos Ecclesia vel usus approbavit . . . . . explanent. » Demum Concilii Tridentini decretum quo hanc regulam inculcat superius recitatum est, cui consonat professio fidei a Pio IV. adornata, et nuper accessit declaratio Concilii Vaticani inferius afferenda.

IV. Adversariorum obiectiones satis ineptae sunt, et vel praeconceptis erroribus, vel aequivocationibus innixae.

Quod enim dicunt 1° Scripturam per Tridentinas regulas subiici humanae autoritati, ideoque eas admittendas non esse, duas res omnino diversas confundit, nimirum *intrinsecam* Scripturae veritatem et auctoritatem, cum *extrinseca* declaratione eiusdem sensus. Certe veritas Scripturae in se spectata non potest ab Ecclesiae iudicio pendere, cum obiectiva sit, et ex Spiritus Sancti inspiratione consequatur. Verum ex eo quod Scriptura in se vera et infallibilis sit non sequitur nos infallibiles esse in eius sensu intelligendo, ideoque potest, imo debet iudex aliquis infallibilis reperiri, qui eius sensum declaret authentice, et hic est Ecclesia, cuius iudicium licet humanum sit quatenus ab hominibus profertur, non est tamen humanum quod pertinet ad vim et auctoritatem, quia propter specialem divinam missionem, et iugem Spiritus Sancti adsistentiam infallibile est, et in ipsum Dei infallibile testimonium refunditur.

Dicunt 2° Catholicis regulis interpretum libertatem laedi et tyrannidem imponi doctorum mentibus. Verum nihil hoc absurdius dici posset. Libertas enim intellectus non in eo consistit ut unicuique liceat cogitare ac loqui quodcumque libeat, sive verum sit, sive falsum, quemadmodum moralis libertas non ea est, qua facultas conceditur quidlibet audendi sive bonum sive malum: haec enim non libertas sed effroenata *licentia* vocanda foret. Cum igitur certum sit Ecclesiae interpretationes veras esse, nullum ius cuilibet

non ut libuerit, sed *secundum Ecclesiae Catholicae traditionem, et interpretationem adhibendam esse fidem.* »

esse potest illis contradicendi, et officium illas recipiendi non est laesio libertatis, aut tyrannicum iugum, sed obsequium veritati debitum.

Instant tamen 3° saltem hinc retardari hermeneutices progressus, et interpretum inertiam foveri. Cum enim interpres persuasum habeat nihil aliud a se proferri posse in Scripturae expositione, quam quod ab Ecclesia et Patribus accepit, omne studium, omnemque biblicam eruditionem superfluam, aut minus necessariam iudicabit. Quod dicunt confirmari ex facto interpretum Catholicorum, quos cum Protestantibus comparatos longe inferiores esse praedicant. Hisce tamen facile responderi potest. Quod enim pertinet ad periculum ab adversariis proclamatum, ne catholici interpretes biblica studia contemnant, notandum est 1) regulas superius propositas non totam Scripturam respicere, sed solas partes dogmaticas: quare imprimis coetera omnia quae in Scripturis continentur latissimum interpreti campum relinquunt, in quo possit libere suum ingenium suamque eruditionem exercere, ut scilicet sensum Scripturae per hermeneuticas regulas inquirat, et exponat. Verum 2) neque ad omnes dogmaticas partes reipsa extenduntur praefatae regulae: neque enim omnia loca dogmatica Ecclesia et Patres authentice exposuerunt, quinimo multo plura sunt loca de quibus nullum authenticum iudicium prolatum unquam est. In his igitur locis expendendis et illustrandis libere adlaborabit catholicus interpres, dummodo fidei anologiam prae oculis habeat. Quinimo 3) etiam in paucis locis, quae authenticam ab Ecclesia et Patribus interpretationem acceperunt existimandum non est nihil omnino relictum esse ingenio et industriae interpretis: licet enim debeat interpretationem illam suscipere, potest tamen, imo eius muneris est ipsam illam interpretationem et rationibus confirmare, et ad regulas artis hermeneuticae exigere, et ab adversariorum cavillationibus defendere: quemadmodum in reliquis partibus Theologiae fieri solet, ubi definitiones dogmatum ab Ecclesia propositae non destruunt, neque impediunt theologicam eorumdem dogmatum discussionem ac demonstrationem.

Frustra igitur adversarii pericula et incommoda fingunt ubi nulla sunt. Quinimo non solum non retardatur per catholicas regulas hermeneutices biblicae progressus, sed contra maxime pro-

novetur: ita enim interpretes a multis erroribus liberantur, et nconcussa basis ponitur super quam illi aedificare possint non amquam in incertum currentes, aut aerem verberantes, sed ad praefinitum scopum et cum certa veritatis persuasione studia sua dirigentes. Placet rem totam confirmare pulcherrimo testimonio Vincentii Lirinensis in Commonitorio, ubi adductis et explicatis Pauli verbis ad Timotheum: *o Timothee, depositum custodi* etc. ita prosequitur: « O Timothee, o Sacerdos, o tractator, o doctor, si te divinum munus idoneum fecerit ingenio, exercitatione, doctrina, esto spiritalis tabernaculi Beseleel, pretiosas divini dogmatis gemmas exculpe, fideliter coapta, adorna sapienter, adiice splendorem, gratiam, venustatem. Intelligatur, te exponente illustrius, quod antea obscurius credebatur. Per te posteritas intellectum gratuletur quod ante vetustas non intellectum venerabatur. Eadem tamen quae dicisti doce, ut cum dicas nove, non dicas nova. Sed forsitan dicet aliquis: nullus ne ergo in Ecclesia Christi profectus habebitur religionis? Habeatur plane, et maximus. Nam quis ille est tam invidus hominibus, tam exosus Deo qui istud prohibere conetur? Sed ita tamen ut vere profectus sit ille fidei, non permutatio: siquidem ad profectum pertinet, ut in semetipsum unaquaequae res amplificetur, ad permutationem vero ut aliquid ex alio in aliud transversetur. Crescat igitur oportet, et multum vehementerque proficiat tam singulorum, quam omnium, tam unius hominis, quam totius Ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus intelligentia, scientia, sapientia: sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia ». Caeterum si interpres expositionem Ecclesiasticam ut veram recipiat, praeter illa omnia, quae circa hanc expositionem praestare potest, absolute non prohibetur aliam quoque expositionem *non contrariam* eidem loco tribuere, ut inferius declarabimus. Quod autem adversarii postremo loco obiiciebant ex facto praecellentiae interpretum protestantium prae catholicis omnino negandum est. Nam imprimis catholici interpretes plurimi doctrina et eruditione praestantes exiterunt, ex quorum operibus ipsi adversarii multum profecerunt, qui etiam aliquando non dubitant integras paginas ex illis exscribere, ut ex. gr. facit Rosenmüller inter commentatores protestanticos celebratissimus. Verum praeterea sacrorum interpretum meritum non

est praecipue aestimandum ex pondere voluminum, aut ex philologicae et curiosae eruditionis copia, sed magis ex interpretationum veritate ac solididate, ex iudicii aequitate, et ex ea spirituali unctione quae sacrae huius scientiae propria esse debet, quibus dotibus catholicos interpretes puta Sanctium, Cornelium a Lapide, Estium, Bernardinum a Piconio, aliosque plurimos, protestantium auctoribus longe praestare, nemo aequus rerum iudex fateri recusabit.

Et haec quidem de protestantium et rationalistarum obiectionibus adversus regulas catholicas a Concilio Tridentino propositas. Nunc vero de quorumdam catholicorum opinione dicendum est, qui perversa interpretatione decretum Tridentinum exponentes, easdem regulas ita extenuant, ut ad nihilum fere redigant, dicentes decretum illud nullam *positivam* normam praescribere, sed tantum *negativam*. Contra quos sit sequens

THESIS XIV.

Decretum Concilii Tridentini Sess. IV. quo praecipitur ne Sacra Scriptura in locis dogmaticis exponatur contra Ecclesiae ac Patrum sensum, non est tantum negative *accipiendum, ne scilicet interpres expositiones proponat Ecclesiae et Patrum fidei repugnantes, sed omnino* positive, *ut ipsae Ecclesiae et Patrum de praefatis locis interpretationes recipiantur.*

Primus qui novam hanc decreti Tridentini interpretationem invexit fuit Io. Iahnius qui in *Introductione in libros V. F.* Parte I. § 91 aperte asserit Concilium nullam positivam normam promulgasse, iuxta quam Scriptura esset exponenda, sed indicasse tantum quomodo ea exponenda non sit, et nihil aliud prohibuisse, nisi quod semper illicitum reputatum est, scilicet Ecclesiam spernere, et Scripturam ad pravos sensus detorquere (1). Hanc Iahnii

(1) Haec paullisper temperata fuerunt in Edit. 3ª latina ab Ackermann adornata, sed in originali editione Iahnii praefatus sensus apertissime docetur: quod etiam confirmatur ex eiusdem auctoris *Enchiridio hermeneuticae generalis* §. 32. ubi cum provocasset ad Sanctorum Patrum traditionem, statim seipsum quasi excusat inquiens: « Qui forte dixerit hoc nihil esse aliud, quam Scripturam ad dogmata Ecclesiastica et theologica accom-

interpretationem amplexi sunt anonymus eius vindex Lipsiae 1822 pag. 106, 119 seqq. Arigler *Hermeneut. bibl. gen.* Viennae 1813, pag. 31–34, Lang in *Patrologia.* Budae 1859 pag. 279, et dolendum est etiam cl. Möhler in *Symbolica* non satis ab ea recessisse: hi vero sententiam Iahnii clarius exposuerunt contendentes Concilium Trid. sub nomine *sensus Ecclesiae* non intellexisse *sensum Scripturae* ab Ecclesia propositum, sed sensum seu *doctrinam fidei* quam Ecclesia docet, unde pronum erat concludere ibidem non prohiberi ne quis ab Ecclesiastica Scripturae expositione recedat, nec praecipi, ut eam admittat, sed solum vetari, ne quis fidei Catholicae in Scripturis exponendis contradicat. Verum coeteri theologi ac biblici Scriptores falsitatem huius interpretationis certis argumentis ostenderunt, donec Concilium Vaticanum Sess. III. Cap. 2 quaestioni finem imposuit sequenti declaratione: « Quoniam vero quae Sancta Tridentina Synodus de interpretatione divinae Scripturae, ad coercenda petulantia ingenia salubriter decrevit, a quibusdam hominibus prave exponuntur, nos idem decretum renovantes, hanc illius mentem esse declaramus, ut in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, *is pro vero sensu Sacrae Scripturae habendus sit,* quem tenuit ac tenet Santa Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum Sanctarum, atque ideo nemini licere contra hunc sensum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam Sacram interpretari. » Hunc igitur verum esse praefati decreti sensum breviter ostendemus internis externisque argumentis.

I. Argumenta *interna* ad haec revocantur.

Si Concilium Trid. nomine *sensus Ecclesiae et consensus Patrum* intellexit *Scripturae sensum* ab Ecclesia et Patribus propositum, certum est non negativam sed positivam normam indicasse iuxta quam Scriptura exponenda sit. Atqui revera Concilium hoc intellexit nomine *sensus Ecclesiae ac Patrum.* Ergo.

Maior propositio per se patet. Nam prohibere ne quis contra-

modare, videtur non intelligere quod diximus: nam longe absumus, ut *ad auctoritatem Ecclesiae Catholicae, de qua ubi hermeneuticam tractamus sermo esse nequit,* provocemus, sed testimonium dumtaxat antiquissimorum Ecclesiae Doctorum de sensu locorum dogmaticorum urgemus. »

dicat interpretationibus ab Ecclesia propositis, idem omnino est ac *iubere*, ut illae interpretationes recipiantur : non enim datur medium. Nec proinde obstare potest formula praecepti negativa, quia positivae aequivalet, et aliunde notum est Ecclesiam etiam in articulis fidei definiendis plerumque negativis formulis uti, quibus anathema dicitur iis qui contrarium errorem docuerint. Hinc etiam est quod Pius IV. in formula professionis fidei quam paulo post Concilium Tridentinum vulgavit a publicis professoribus et canonicis recitandam repetens decretum Tridentinum de quo loquimur formula utitur positiva: « Sacram Scripturam *iuxta eum sensum* quem tenuit et tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Sanctarum Scripturarum, admitto, nec eam unquam *nisi iuxta unanimem consensum Patrum* accipiam et interpretabor. » Hoc itaque admisso, tota quaestio ad minorem revocatur. Haec autem certissime ostenditur sequentibus argumentis.

1° Ex ipsa *rei natura*. Opus enim non erat apposito decreto prohibere ne quis errores contra fidem et mores induceret in expositionem Sacrae Scripturae, hoc enim nec unquam revocatum est in dubium, et implicite continebatur in declaratione ac definitione catholicae veritatis.

2° Ex *scopo* ad quem Decretum dirigitur. Si enim hoc esset intelligendum quemadmodum vellent adversarii, decretum adversus haereticos seu Protestantes editum fuisset, quemadmodum re vera affirmat Iahnius in citato loco inquiens: « decretum petit Novatores, qui dogmata semper et ubique credita eliminare volebant et volunt. » Atqui hoc falsum omnino est: Decretum enim potius liberiores quosdam catholicos interpretes impetit, qui licet fidei contradicere nollent, recusabant tamen Ecclesiae expositionibus Sacrae Scripturae acquiescere. Demonstratur hoc ex ipso exordio Decreti: *ad coercenda petulantia ingenia :* quo nomine non solent haeretici appellari, praesertim cum haec ponantur in fine Sessionis postquam de haereticis sententiis adversus Scripturam et Traditionem actum fuisset, indicto illis anathemate. Clarius adhuc id demonstrat decreti clausula : « Qui contravenerint, per Ordinarios declarentur, et poenis a iure statutis puniantur: » haeretici enim nec Ordinariis, seu legitimis Ecclesiae pastoribus obediunt, nec ab iis puniri possunt.

3° Ex *contextu* Decreti res prorsus evincitur. Nam post illa verba: sensum quem tenuit et tenet Sancta Mater Ecclesia, statim additur: *cuius est iudicare de vero sensu, et interpretatione Scripturarum Sanctarum*. Ergo nomine sensus Ecclesiae, non in genere fidei doctrina, sed in specie sensus Scripturae intelligitur, qui propositus est ab Ecclesia, cuius est de eo iudicare.

II. Argumenta *externa* thesim confirmant. Sane:

1° Ipsum Concilium Tridentinum sua agendi ratione in sequentibus Sessionibus sensum prioris illius decreti abunde declaravit. Non solum enim fidei dogmata definivit adversus Novatores, sed etiam plurium locorum Scripturae sensum expresse declaravit, et ab omnibus recipi iussit: exempla in praecedentibus Thesibus allata sunt ex variis Sessionibus, de Baptismo, de Poenitentia, de Extrema Unctione, de SSma Eucharistia et alibi.

2° Confirmatur ex testimonio tum Pauli Sarpii, tum Card. Pallavicinii, qui historiam Concilii licet contrario animo ac scopo scripserunt. Uterque enim fatetur Concilium noluisse eo decreto haereticas interpretationes proscribere, sed eas tantum quibus Scripturae interpretatio ab Ecclesia et Patribus determinata excludebatur. Sane primus in *Hist. Conc. Trident.* Lipsiae 1690 lib. II. pag. 260 narrat occasionem Decreto datam esse a Card. Cajetano, qui docuerat licitum esse in Scripturis exponendis novam interpretationem proponere a Patrum unanimi sententia alienam: « quando cum textu concordat, neque cum fidei doctrina pugnat. » Ergo non fuit quaestio de haereticis expositionibus damnandis. Alter vero seu Pallavicinus in sua *Istoria del Concilio di Trento* Lib. VI. Cap. 18, praedictam Sarpii narrationem non impugnat, ut semper diligentissime praestitit quoties ille falso vel inaccurate facta narraverat; quare illam ut veram probasse censendus est: quinimo n. 2 ita paucis aperit genuinum Decreti sensum: « Vieta il Concilio che alla Scrittura si dia interpretazione contraria *al modo con cui unanimente la intesero* i Santi Padri, e ciò nelle materie di fede o di costumi » et paulo post ubi conatur Caietani mentem benigne explicare addit: « Non essendo illecito di dare ad un passo della Scrittura un nuovo senso, quando esso luogo non ha avuto o dalla Chiesa o dall'unanime consenso dei Padri *una determinata interpretazione* ». Ergo quando hanc determinatam interpretatio-

nem acceperit non amplius licebit, reiecta illa interpretatione, aliter eum exponere. Accedit auctoritas Theologorum qui Concilio Tridentino interfuerunt, vel eius aetate, aut deinceps floruerunt: omnes enim intellexerunt in Decreto illo positivam normam praescriptam fuisse, quam omnes interpretes in Scriptura exponenda sequi debeant, donec Iahnius initio nostri saeculi peregrinum hoc inventum de negativo decreti sensu protulit, reliquis Catholicis mirantibus et adversus illum conclamantibus. Denique Concilii Vaticani Patres iudicium suum interposuerunt, et mentem Concilii Tridentini eam esse declararunt, quam nos defendimus.

III. Argumenta adversariorum ad haec revocantur.

Dicunt 1° scopum Concilii fuisse haereticorum errores configere, et catholicam veritatem in tuto ponere, non autem domesticas inter catholicos doctores quaestiones dirimere.

Resp. aliud esse scopum generalem et principalem Concilii, aliud vero specialem unius vel alterius Decreti, praesertim cum Concilium Tridentinum expresse intenderet etiam abusus qui inter Catholicos irrepserant reformare ac eliminare. Nec vere dici potest quaestionem de qua loquimur domesticam fuisse, quasi nempe ageretur de illis opinionibus quae libere hinc inde discutiuntur in scholis Catholicorum, a quibus revera Concilium summa prudentia abstinuit: sed hic agebatur de re, in qua omnes consentiebant, paucis exceptis liberioris ingenii hominibus.

Dicunt 2° Catholicos quosdam interpretes, imprimis Bannesium, et Azorium, paulo post Concilium Tridentinum docuisse licitum omnino esse aliter ac Patres et Ecclesia fecerint Scripturas interpretari, dummodo haec alia interpretatio fidei analogiae non repugnet.

Resp. Ex eo quod non liceat sensum Scripturae ab Ecclesia propositum rejicere, non statim sequitur illicitum esse alium sensum cuidam loco Scripturae tribuere *praeter* illum quem tenet Ecclesia. Seu, quod idem est, prohibere interpretationes *contrarias* expositioni Ecclesiae non involvit prohibitionem expositionis *diversae*. Id utique fieret si unus tantum sensus possibilis sit: tunc enim non posset alius admitti nisi illo priore excluso. Verum si quis locus plures sensus habeat aut habere credatur, sive unum literalem, alterum mysticum, sive unum primarium et immediatum, alterum

secundarium et inclusum, sive demum utrumque literalem immediatum, ut multorum sententia ferebat, inter quos Bannesius et Azorius in obiectione laudati, potest quis novum sensum loco cuidam Scripturae tribuere quin cogatur hoc ipso sensum ab Ecclesia receptum reiicere: sed hoc tantum cavere debet, ne novus quem tradit sensus, analogiae fidei repugnet, aut contextui coeterisque hermeneuticis criteriis contradicat.

Dicunt 3° contrariam sententiam a Card. Caietano propugnatam fuisse, quin tamen a Concilio Tridentino damnatus fuerit: Cardinalem autem Pallavicini in historia Conc. Trid. lib. VI. cap. 18 Caietani defensionem suscepisse. Ergo mens Concilii non fuerat sententiam illam Caietani damnare, proindeque nonnisi negativam normam proposuit.

Resp. 1° Quod pertinet ad Caietanum, iam animadvertimus eius sententiam occasionem dedisse Tridentino Decreto, per quod illa proscripta fuit. Ratio autem cur in Decreto nominatus non sit procul dubio fuit tum reverentia eius dignitati, doctrinae et insignibus in Ecclesiam meritis debita, tum quod non malo ac pertinaci animo illud docuisset, nec deessent rationes eius verba in bonum sensum trahendi, ut infra videbimus. Coeterum auctoritas Caietani in hac re non adeo magna est, cum aliunde notum sit eum in singulares et liberiores opiniones proclivem fuisse. Et speciatim in re de qua agimus ab aliis Theologis severe reprehensus est, quos inter Melchior Canus lib. VII locor. Theol. cap. III ita de eo loquitur: « Illud breviter dici potest, Caietanum summis aedificatoribus Ecclesiae parem esse potuisse nisi quibusdam erroribus doctrinam suam, quasi cuiusdam leprae admixtione foedasset..... et Literas Sacras suo arbitratu exposuisset.... Nam et vetustae traditionis parum tenax, et in sanctorum lectione parum quoque versatus, libri signati mysteria ab his noluit discere, qui non suo sensu illa sed maiorum traditione, vera scilicet verbi Dei clave, aperuerunt ». Et paulo post concludit: « Haereticorum itaque et schismaticorum communis fuisse videtur Caietani illa sententia ».

Resp. 2. Ad auctoritatem Pallavicini, eum noluisse Caietanum defendere in hypothesi quod hic negaverit necessario sequendam esse expositionem Scripturae ab Ecclesia propositam (quod Pallavicinus

in citato libro a Concilio Tridentino praescriptum fuisse contendit), sed potius, supposito illo sensu positivo Decreti Tridentini, conatum fuisse benigne explicare Caietanum, ne videretur menti Concilii contradixisse. Hoc manifeste apparet ex eius verbis. Ut tamen haec intelligantur praemittendus est locus Caietani, qui controversiae occasionem dedit. Legitur hic in praefatione ad eius comment. in Pentateuchum ita: « Si quando occurrerit novus Scripturae sensus, textui consonus. . . . . *quamvis a torrente doctorum sacrorum alienus,* aequos se praebeant censores: » et paulo post: « Non itaque detestetur (lector) novum Scripturae sensum ex hoc quod dissonat a priscis doctoribus, sed scrutetur perspicacius textum ac contextum Scripturae, et, si quadrare invenerit, laudet Deum, qui non alligavit expositionem Scripturarum sensibus priscorum doctorum, sed Scripturae integrae sub Catholicae Ecclesiae censura; alioquin spes nobis erepta esset exponendi Scripturam Sacram, nisi transferendo, ut aiunt, de libro in quinternum. » Haec itaque verba quae a plerisque damnata sunt, Pallavicinus conatur benigne explicare hac ratione: « Il detto del Gaetano non osta al Decreto del Concilio. Vieta il Concilio che alla Scrittura si dia interpretazione contraria al modo con cui unanimemente la intesero i Santi Padri, e ciò nelle materie di fede o di costumi. Ora il Gaetano (comunque il Cano lo intenda) nè parla di queste, nè dichiara che sia lecito mai di contrariare al senso unito de' Santi Padri, ma bensì che sia lecito il dare alla Scrittura una esposizione affatto nuova e diversa da tutte le loro ». Coeterum ipse Pallavicinus in capite praecedenti reprehenderat nimiam libertatem Caietani in Scripturis exponendis, praesertim in citato commentario in Pentateuchum, quem pulchre comparat pavonis pedibus (1).

(1) Ait enim cap. 17 respondens Lutheranis et Sarpio Caietani auctoritatem opponentibus: « Quanto al Gaetano il parlare intorno ai suoi commenti sopra la Scrittura, è un parlare non intorno alle penne ma sì ai piedi d'un bellissimo paone, essendo avvenuto che ove quel grande intelletto nelle altre opere fu ammirato, in queste per lasciarsi egli trasportare dalla guida di chi meglio intendeva la grammatica ebrea che i misteri divini, rimanesse inglorioso. Anzi con quella sposizione mosse Gabriele Prateolo Vescovo di Chiaramonte a connumerarlo fra gli eretici ».

ARTICULUS II.

Criteria et regulae quae ex indirecto ac generali ecclesiastici magisterii influxu in sacrae scripturae interpretationem derivantur.

Huiusmodi criteria revocantur ad *analogiam fidei* catholicae, seu integrae doctrinae, quam Ecclesia docet ac praedicat, cuius consideratio interpretem dirigere debet etiam in iis locis Scripturae, de quorum interpretatione Ecclesia nullum definitivum pronuntiavit iudicium.

Vox ista *analogia fidei* ex Paulo desumpta est Rom XII. 6, ubi recurrunt haec verba αναλογια της πιστεως. Potest autem in genere definiri: *Complexus, harmonia et congruentia existens inter veritates revelatas et a fidelibus credendas.* Potest autem considerari analogia vel inter solas veritates in Scripturis revelatas, vel inter *omnes* veritates quas Ecclesia credendas proponit, sive in Scripturis contineantur, sive tantum in traditione, sive in utroque simul revelationis fonte. Si primo illo modo consideretur dicitur analogia *fidei biblicae,* si altero modo dicitur analogia *fidei catholicae.* Protestantes primam tantum admittunt, quae fere confunditur cum parallelismo biblico doctrinali, quia nempe nullum alium agnoscunt revelationis ac fidei fontem praeter sacram Scripturam. Ab his non multum recessit Iahnius in cit. §. 32. *Enchiridii Herm. gen.* ubi affirmare non veretur nullam in hermeneutica habendam esse rationem auctoritatis Ecclesiae qua talis, et tantum concedit respiciendam esse veterum doctorum expositionem Sacrae Scripturae, quemadmodum in intelligendis veterum philosophorum scriptis utiliter consuluntur eorum discipuli ac sectatores. Verum omnes sanioris mentis, et orthodoxi catholici Scriptores omnino contendunt integram Ecclesiae catholicae doctrinam, seu analogiam *totius fidei catholicae* prae oculis habendam esse, quae quidem formaliter continetur in vivo magisterio Ecclesiae seu publica praedicatione, materialiter vero in authenticis Ecclesiae decretis dogmaticis, et in symbolis fidei ab Ecclesiae auctoritate vulgatis aut saltem receptis, nec non implicite in publica et universali Ecclesiae praxi. Sub hoc respectu

considerata analogia fidei verum criterium biblicae interpretationis, semper quidem negativum, saepe autem et diversimode etiam positivum constituit. Haec omnia in sequenti thesi breviter ostendemus.

THESIS XV.

In caeteris autem Scripturae locis, quae determinatam ab Ecclesia et Patribus interpretationem non receperunt, interpres Catholicus dirigi perpetuo debet analogia fidei, *non solum* biblicae, *ut volunt Protestantes, sed* totius fidei catholicae *a supremo Ecclesiae magisterio definitae; quae quidem non tantum negativum ei praebet criterium falsae interpretationis vitandae, sed etiam positivam normam ad verum locorum dogmaticorum sensum determinandum.*

I. Analogiam *fidei biblicae* solam non sufficere ex principiis sanae Theologiae manifestum est. Siquidem Scriptura non potest haberi tamquam unicus fons revelationis, cum neque omnes omnino veritates revelatas contineat, neque doctrinas quas continet semper clare et sub omnibus respectibus repraesentet. Admittendus est igitur alius fons unde plenius et evidentius tota doctrina revelata hauriri possit, qui alius non est quam traditio divina per Ecclesiae publicum magisterium conservata, declarata, ac authentice fidei christianorum proposita, seu uno verbo *analogia fidei catholicae*. Haec licet supponere possemus praestabit tamen paucis confirmare.

Itaque 1° ipsa Sacra Scriptura saepe indicat alium fontem, ad quem lectores remittit, ut facit ex: gr: Paulus Rom. XVI. 17, 1. Cor. VII. 17, 2. Tim. II. 2. et alibi, ubi oralis praedicationis, et ecclesiasticae traditionis mentio fit, tamquam uberioris fontis revelatae veritatis. 2° Eadem est unanimis Patrum sententia quorum plura testimonia in praecedentibus Thesibus recitavimus, alia inferius proferemus. 3° Denique ipsa religionis Christianae historia rem confirmat: scimus enim Christum et Apostolos totam doctrinam revelatam initio non scriptis sed viva voce promulgasse, declarasse et Ecclesiae tradidisse, quae proinde totum depositum revelationis possidebat antequam inciperet scribi N. T. Cum vero Apostoli eorumque discipuli ad scribendos Sacros libros accesse-

runt minime eis propositum fuit totum illud scribere quod praedicabant, aut praedicaturi erant, ut evidenter apparet ex scopo et indole singulorum librorum, qui partialem tantum, et speciali cuidam occasioni respondentem doctrinae expositionem continent. Sed haec innuisse sufficiat.

II. Admissa igitur existentia *analogiae fidei catholicae* multo amplioris et plenioris simplici analogia biblica, facile erit ostendere analogiam illam prae oculis habendam esse tamquam normam seu criterium in Sacra Scriptura exponenda. Ut autem superius innuimus, criterium hoc adhiberi potest tum *negative,* tum etiam *positive,* unde sequentes regulae.

1ª *Omnis interpretatio analogiae fidei catholicae repugnans eo ipso abiicienda est.*

Veritas huius regulae huic principio innititur: doctrina in Scripturis consignata, et doctrina ab Ecclesia proposita seu in analogia fidei catholicae comprehensa ex eodem fonte veritatis procedit, seu a Spiritu Sancto. Idem enim spiritus qui Scripturas inspiravit, etiam alias veritates in Scripturis omissas docuit, idemque etiam Ecclesiae assistit in toto revelationis deposito custodiendo et explicando. Cum igitur impossibile sit Spiritum Sanctum sibimet contradicere, impossibile quoque est aut Scripturae sensum contradicere doctrinae Ecclesiae, aut Ecclesiam aliquid docere quod Scripturae repugnat. Confirmatur regula ex testimoniis Patrum alias adductis, qui haereticas Scripturae expositiones passim refellunt ex hoc quod Ecclesiae fidei ac traditioni repugnent.

Exempla ex N. T. potissimum quamplura afferri possent. Ita quod legimus Io. XIII. 4-12 de lotione pedum a Christo peracta a nonnullis intelligebatur ac si Christus ibi ritum *Sacramentalem* instituisset: nec deessent in contextu et adiunctis huius facti speciosae rationes ad hunc sensum confirmandum. Verum obstat certissima et constans Ecclesiae doctrina de septenario numero sacramentorum novae Legis: ergo interpretatio illa absolute reiicienda est. Ita etiam verba Christi Eucharistiam instituentis sub duplici specie, et deinde Apostolis praecipientis: *hoc facite in meam commemorationem,* si in contextu et in adiunctis spectentur facile possent accipi de positivo praecepto Eucharistiam fidelibus ministrandi sub specie panis simul et vini. Verum Ecclesiae doctrina

ac praxis hanc interpretationem excludunt. Idem dicendum est de eadem SSma Eucharistia non necessario infantibus praebenda, licet verba Christi Io. VI. 54 hunc sensum per se habere possent. Idem quoque de celebri Christi dicto Matth. XIX. 9: « Dico autem vobis quia quicumque dimiserit uxorem suam *nisi ob fornicationem,* et aliam duxerit moechatur: et qui dimissam duxerit moechatur. » Quod exceptionem videtur continere legi indissolubilitatis matrimonii, nec contextus aut loca parallela apodicticum suppeditant argumentum ad eam excludendam: quae tamen exceptio admittenda non est, et alia interpretatio quaerenda, ob fidei analogiam, quae matrimonium christianum ratum et consummatum absolute indissolubile esse docet.

2° *Quamvis non omnis interpretatio analogiae fidei catholicae conformis eo ipso statim admittenda sit ut verus Scripturae sensus, nihilominus consideratio eiusdem analogiae fidei etiam positive ad rectam Scripturae expositionem inveniendam interpretem iuvat ac dirigit.*

Itaque imprimis fatemur criterium analogiae fidei non semper positive applicari posse. Fieri enim potest ut aliqua interpretatio in se inspecta conformis sit analogiae fidei, et tamen non repraesentet mentem auctoris in loco de quo agitur: ita ex: gr: Protestantium expositio verborum Christi Io. XX. 23: « Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, » quasi per illa verba Christus Apostolis tradiderit potestatem praedicandi Evangelium et per praedicationem excitandi fidem, per se non repugnat fidei analogiae; verum est enim Ecclesiae pastores hanc potestatem et hoc officium a Christo Domino accepisse, illudque ad fidem excitandam et ad fidelium salutem procurandam directum esse: attamen falsum est hunc esse verborum illorum sensum, quae de alia prorsus potestate intelligenda sunt, absolvendi scilicet aut retinendi peccata *iudicialiter* in Sacramento Poenitentiae.

Verum ex alia parte omnino certum est interpretem ex consideratione analogiae fidei maxime iuvari in vero sensu inveniendo. Quod ita demonstrari potest.

Arg. 1^m^ ex rei natura. Sane analogia fidei catholicae comparata cum locis doctrinalibus Scripturae se habet ut *totum* comparatum cum *parte,* et ut *clarum* comparatum cum *obscuro.* Atqui sana

ratio docet partem doctrinae ex toto doctrinae complexu aliunde cognitae plenius et certius intelligi et explicari posse, itemque ea quae sunt obscura ex clarioribus esse illustranda. Ergo. Quae diximus in maiori propositione ex Theologiae principiis, et ex alias demonstratis consequuntur. Siquidem vidimus non totam revelatam doctrinam, sed eius partem in Scripturis contineri: contra vero in Ecclesiae traditione et in vivo eius magisterio omnes revelatae veritates comprehenduntur. Insuper certum est ex experientia, imo ab ipsis Protestantibus nunc ultro admittitur, Scripturam etiam in partibus dogmaticis saepe obscuram esse: nec enim Agiographi propositum habuerunt singulas doctrinas evolvere, enucleare, et debitis explicationibus munire, hoc enim reservabant orali praedicationi, et iugi pastorum Ecclesiae magisterio. Contra vero illa ipsa doctrinae capita quae obscure huc illuc traduntur in Scripturis, planissime et clarissime cum omnibus necessariis explicationibus ac bene definitis formulis inveniuntur in analogia fidei catholicae. Ex utroque igitur respectu analogiae fidei cum Scriptura comparatae deducitur eam positivum adminiculum interpreti exhibere ad recte intelligendam sacram Scripturam. Ne tamen aequivocatio oriatur animadvertimus haec omnia nequaquam esse intelligenda eo sensu quod in singulis locis dogmaticis exponendis debeamus supplere quidquid circa eamdem veritatem ex Ecclesiae magisterio didicimus: hoc enim esset vitium interpretationis, non enim omnia quae de aliqua doctrina revelata sunt debuerunt in uno eodemque loco intelligi et exprimi a sacro Auctore, sed hoc tantum contendimus, illud ipsum quod ab Agiographo expressum est non solum sine errore intelligi, sed et accuratius et clarius, simulque facilius percipi ab eo qui aliunde totam doctrinam perspectam habet.

Arg. 2^{m} ex testimonio et agendi ratione ipsorum Agiographorum. Agiographi enim in tradendis iis quae ad fidem et mores pertinent, vel supponunt in lectoribus uberiorem ipsius doctrinae notitiam per ecclesiasticum magisterium acceptam, vel ad subsequentem oralem instructionem eos remittunt, quod nihil aliud est quam analogiam fidei designare tamquam criterium ad plenius et clarius intelligenda ea quae scripta sunt. Loca huiusmodi satis obvia sunt. Ita Paulus 1 Cor. VII multa de virginitate et matrimonio breviter perstringit, nec non de aliis vitae statibus, supponens

ea quae viva voce de iis docuerat, et ad ea appellans inquiens v. 17: « Sicut in omnibus ecclesiis *doceo.* » Ita etiam circa mysterium Eucharistiae cap. XI ad praecedentem praedicationem lectores remittit v. 23 inquiens: « Quod et *tradidi* vobis » ut etiam facit Cap. XIV. v. 33. et 2 Cor. I. 18 et emphatice Gal. I. 18 et 9, item Phil. IV. 9 inquiens, postquam plura docuisset de excellentia Evangelii Christi et de fructu patientiae: « Quae et *didicistis,* et *accepistis* et *audistis,* et vidistis in me, haec agite: et Deus pacis erit vobiscum, » et clarissime in 1. Thes. IV lectores hortatus ut a vitiis abstineant ait v. 2: « Scitis enim quae *praecepta dederim vobis* per Dominum Iesum, » et 2 Thes. II. 15: « Itaque, inquit, fratres, state et tenete *traditiones,* quas didicistis *sive per sermonem, sive* per epistolam nostram. » Eadem habet 2 Tim. III 2. Similiter Iohannes 1 Io. II. 7 ait: « Charissimi, non mandatum novum scribo vobis, sed mandatum vetus, quod habuistis ab initio: mandatum vetus est *verbum quod audistis,* » et paulo post de summa Christianae religionis loquens scribit v. 20, 21 et 24: « Sed vos unctionem habetis a Sancto, et nostis omnia. *Non scripsi* vobis *quasi ignorantibus veritatem,* sed quasi *scientibus eam.....* Vos quod *audistis ab initio,* in vobis permaneat: si in vobis permanserit quod *audistis* ab initio, et vos in Filio et Patre manebitis. » Quemadmodum et in Epistola 2ª postquam exhortatus fuisset Electam eiusque familiam ad cavendos seductores, et ad acceptam doctrinam intactam servandam concludit v. 12: « Plura habens vobis scribere, nolui per chartam et atramentum, spero enim me futurum apud vos, *et os ad os loqui,* » quod etiam repetit Gaio in fine Epistolae 3ªe. Manifestum est ergo Agiographos voluisse ut ea quae scribebant intelligerentur iuxta normam eorum quae vel antea vivae vocis oraculo fuerant eis tradita, vel quae deinceps erant tradenda. Iamvero Ecclesia tum ea quae scripta sunt, tum ea quae viva voce tradita fuerunt a Christo et Apostolis accepit et fideliter conservavit, et insuper potestatem habet ea sub Spiritus Sancti vigilantia et assistentia fidelibus explicandi ac proponendi. Ergo etiam nunc eadem relatio existit inter veritates in Scriptura consignatas et Ecclesiasticam praedicationem, seu totam fidei catholicae analogiam, ut illae ex ista intelligi ac explicari possint, imo debeant.

Arg. 3m ex Patrum testimonio ac praxi propositae regulae validissime confirmantur. Testimoniis superius adductis, quorum nonnulla huc etiam referri possunt, pauca addere placet. S. Basilius in lib. de Spir. S. (tom. III edit. Maur. pag. 23) de Scripturae interpretatione loquens: « Oportet enim, inquit, *inviolabilem semper manere traditionem,* quae in vivifica gratia data est. » S. Cyrillus Hierosolymitanus (edit. Maur. pag. 297): « Idcirco nunc, ait, cautissime tibi tradidit fides ita tenendum, et in unam sanctam Catholicam Ecclesiam credendum, ut eorum abominanda collegia fugiens adhaereas semper sanctae catholicae Ecclesiae, in qua renatus es, quia *universe et absque defectu docet omnia,* quae in hominum notitiam venire debent *dogmata,* sive de visibilibus et invisibilibus, sive de coelestibus et terrestribus rebus. » Origenes Ile princ. lib. IV. n. 9 apposite scribit: « His qui credunt sacros libros non hominum esse scripta, sed inspiratione Spiritus Sancti, voluntate Patris universorum per Iesum Christum eos scriptos esse et ad nos pervenisse, ostendemus vias quae videantur intelligentiae, ut *inhaereant regulae coelestis Ecclesiae* Iesu Christi secundum *successionem apostolicam.* » S. Gregorius M. Prooem. in lib. I Reg. Ile sua expositione loquens, ait: « In quo sane opere lectorem flagito ut non verba ex eloquentium oratorum Sanctae Ecclesiae comparatione consideret, sed sententiarum intellectus *ex ecclesiasticae disciplinae rationibus* penset; quia, etsi iuxta Dei prohibitionem in eius domo nemus plantare nescio, *regulam tamen,* qua Sacra Scriptura *fideliter* exponitur in nullo derelinquo. » Verum nemo liberius hanc regulam ecclesiastici sensus proposuit et inculcavit quam S. Augustinus. Ex multis eius testimoniis pauca proferemus. In lib. II de Baptismo cap. IV loquens de Baptismo haereticorum illud validum esse contra omnes Scripturarum expositiones a Cypriano, Firmiliano aliisque propositas absolute contendit ductus testimonio ecclesiasticae traditionis ut ipse fatetur: « Nec nos ipsi, inquit, tale aliquid auderemus asserere, nisi universae Ecclesiae auctoritate firmati, » et lib. I contra Crescon. Cap. 33 eamdem regulam urget inquiens: « Quisquis falli metuit obscuritate quaestionis, Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate Scriptura demonstrat. » Disertissime regulam negativam superius propositam urget lib. I de Gen. ad lit. cap. XXI. n. 41: « Didici, inquit,

non haerere homini in respondendo secundum fidem, quod respondendum est hominibus, qui calumniari libris nostrae salutis affectant; ut quidquid ipsi de natura rerum veracibus documentis demonstrare potuerint, ostendamus nostris literis non esse contrarium, quidquid antem de quibuslibet suis voluminibus his nostris literis, idest catholicae fidei contrarium protulerint, aut aliqua etiam facultate ostendamus, aut nulla dubitatione credamus esse falsissimum.... Et cum divinos libros legimus in tanta multitudine verorum intellectuum qui de paucis verbis eruuntur, et *sanitate catholicae fidei* muniuntur, id potissimum deligamus, quod certum apparuerit eum sensisse, quem legimus; si autem hoc latet, id certe quod circumstantia Scripturae non impedit, et cum *sana fide concordat,* si autem et Scripturae circumstantia pertractari ac discuti non potest, saltem id quod *fides sana praescribit.* Aliud est enim quid potissimum Scriptor senserit non dignoscere, aliud autem a regula pietatis errare. » Eadem fere repetit in lib. XII. Confess. cap. XXV et seqq. Alibi distincte inculcat tum negativum, tum positivum respectum analogiae fidei catholicae, ut in lib. III de Peccat. mer. et remis. Cap. IV agens de loco Apostoli Rom. V. 12. ubi ambigua esse dicit verba: *Adam qui est forma futuri,* et addit « Nam et nos aliud inde aliquando diximus et aliud fortasse dicemus, *quod tamen huic intellectui* (peccati originalis) non sit adversum. Caetera vero quae ibi dicuntur, si diligenter advertantur ac tractentur..... etiamsi subobscurum pariant rerum ipsarum necessitate sermonem, *non tamen poterunt* alium sensum habere, nisi per quem factum est, ut antiquitus universa Ecclesia retineret, fideles parvulos originalis peccati remissionem per Christi baptismum consequutos. » Ad praxim quod attinet inutile esset singulos Patres commemorare, omnes enim hanc semper prae oculis normam habuerunt in Scripturis exponendis, ut nempe iuxta dictum Vincentii Lyrinensis « Propheticae et Apostolicae interpretationis linea *secundum Ecclesiastici et Catholici sensus normam dirigatur.* »

Superfluum esset exempla afferre locorum S. Scripturae quae positive lucem accipiunt ex analogia fidei catholicae: haec enim norunt Theologi in omnibus fere tractatibus et quaestionibus occurrere. Speciminis causa sufficiat in mentem revocare ea loca

Scripturae quae doctrinam Sacramentorum respiciunt, et ea quae spectant ad potestatem Apostolis, eorumque successoribus concessam. Ita ex: gr: nisi theologus ex Ecclesiae doctrina sciret sacramenta Baptismi et Confirmationis praeter gratiam sanctificantem etiam indelebilem characterem efficere atque animae imprimere, nihil tale suspicaretur in verbis Apostoli 2 Cor. I. 22: « Qui (Deus) et *signavit* (σφραγισαμενος) nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris,» aut in illis similibus: « In quo et credentes *signati estis* (εσφραγισθητε) Spiritu promissionis Sancto: » illa autem doctrina praecognita allusio ad characterem sacramentalem facile intelligitur. Ita etiam verba Christi Matth. XVIII. 18: « Quaecumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo: et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo: » nec non similia, sive eadem verba soli Petro dicta Matth. XVI. 19, quantumvis absoluta et generalia sint, difficile tamen esset speciatim de singulis obiectis ecclesiasticae iurisdictionis explicare, et intelligere, nisi accederet adaequata fidei catholicae notitia de hac re, qua docemur Ecclesiae iurisdictionem tum ad forum internum, tum ad externum pertinere, ius autem comprehendere sive leges ferendi, sive iudicia exercendi, sive poenas irrogandi, quin etiam ius relaxandi per indulgentias poenas temporales peccatis debitas, hanc vero multiplicem potestatem ita a Christo pastoribus esse concessam ut in Petri successoribus absque ulla limitatione, seu in tota sua plenitudine resideat, in Episcopis etiam simul sumptis una cum Romano Pontifice plena, in singulis vero nonnisi ex parte et cum debitis restrictionibus agnoscenda sit.

Ex dictis duo corollaria sponte sua fluunt.

1° Nemo potest esse bonus interpres, qui non fuerit bonus theologus. Secus enim luce ista ac norma, quae est analogia fidei catholicae, orbatus in pluribus locis exponendis haerebit, aut etiam, quod gravius est, falsas proferet interpretationes utpote quae cum fidei analogia non concordant.

2° Protestantes, et multo magis rationalistae, magno auxilio esse privant cum Ecclesiae magisterium reiiciunt, et totam fidei analogiam ad biblicum parallelismum revocant, qui saepissime inaequatus est ad claram et plenam doctrinae intelligentiam praebendam. Hinc omnes illae frigidae, ineptae et absurdae Scripturae

expositiones, quae tam frequentes in eorum commentariis aliisque scriptis occurrunt, quorum specimina si quis quaerat, praeter illa quae inferius allaturi sumus non pauca inveniet apud C. F. Ammonium in praef. et in notis appositis ad Ernesti *Institutio Interpretis N. T.* edit. 5ª, ubi pervertit et corrumpit fere quidquid boni in interpretandis locis N. T. auctor ille protulerat. Cui malo frustra mederi conatur in praefatione monendo tyrones « ut hanc viam prudenter, et haud sine urgenti necessitate ingrediantur; aspera enim est, atque salebrosa, scopulorumque plena, ad quos vel cautissimus interpres facile offendat. »

Et haec de criteriis dogmaticis quae ex Ecclesiae magisterio sive directe, sive indirecte dimanant, (1) simulque de universa tractatione regularum biblicae interpretationis.

APPENDIX

DE SUPREMO HERMENEUTICES BIBLICAE PRINCIPIO

In omnibus scientiis quaeri solet quodnam sit fundamentale aut supremum principium, ex quo tota scientia, eiusque certitudo pendeat: quare etiam de Hermeneutica biblica haec quaestio fuit proposita. De qua ut breviter dicamus primum *negative* respondebimus refellentes quorumdam opinionem qui falso asseruerunt *usum loquendi* esse supremum biblicae interpretationis principium; tum vero *positive* inquiremus quodnam principium tamquam supremum recte assignari possit.

I. Io. Iahnius in saepius citato *Enchiridio hermeneuticae* §. VI absolute pronunciat: « Usus itaque loquendi primorum lectorum et ipsius auctoris, *primum et summum est hermeneuticae principium, a quo omnes regulae interpretandi pendent.* Nequaquam igitur fluctuans aut arbitraria est interpretatio, ut quipiam opinari videatur, sed adstricta regulis necessariis et immutabilibus, quae non priori pro voluntate deductae, aut ad lubitum inventae, sed *ex us*

(1) De his legendi sunt, praeter Melch. Canum *De Locis theologici* lib. XII, Stapleton *Controv.* lib. XI, aliosque antiquiores, Illmus Ranolde *Hermen. biblicae gen.* Sect. I, Par. III, et egregius tractatus *De Divin Traditione* Emi Franzelin praesertim Thes. XVIII coll. cum thesi VII et XI

loquendi illius aetatis et regionis, tamquam facto quod infectum fieri nequit *erutae sunt.* » Huius auctoris sententiam a catholicis Scriptoribus vehementer impetitam defendendam suscepit Anonymus auctor (Tumpacher) *Vindiciarum Io. Iahnii,* nec non Ariglerus in *Hermen. bibl. gen.* Viennae 1813. Hanc tamen sententiam falsam demonstrabit sequens

THESIS XVI.

Usus loquendi biblicus dici non potest primum ac supremum Hermeneutices sacrae principium.

Ex Iahnii testimonio superius recitato apparet eum intelligere nomine *primi et supremi principii* criterium illud seu normam, quae simul fundamentum sit et origo omnium regularum Hermeneuticarum, quae scilicet omnium in se rationem contineat, et a qua omnes pendeant. Potest autem hoc intelligi vel respectu hermeneuticae universalis, vel in specie in ordine ad Hermeneuticam biblicam: adversarius sub hoc altero respectu principium illud enunciat, cum manifestum sit ex contextu §. VII (pag. 22 et 23) eum de Hermeneutica biblica loqui quam quidem *generalem* appellat quatenus ad utrumque Testamentum spectat, et opponitur speciali quae regulas proprias interpretandi vel Vetus vel Novum Foedus continet, ut ipse explicat §. 3: quod etiam confirmatur ex iis quae habet in §. 32, ubi affirmat in Hermeneutica biblica de Ecclesiae catholicae auctoritate (seu de criteriis catholicis) agendum non esse. Verum etiamsi quaestio institueretur de Hermeneutica stricte universali etiam tunc negandum esset usum loquendi esse primum Hermeneuticae principium. Haec igitur duo breviter ostendemus.

I. Usus loquendi non potest haberi ut supremum Hermeneutices universalis principium in sensu exposito.

Ut aliquod principium vere primum ac supremum dici possit in aliqua scientia oportet ut per se notum sit, aut saltem ab aliis principiis eiusdem scientiae non dependeat, ut coetera principia ac regulas omnes eiusdem scientiae virtualiter includat, ut omnibus casibus applicari possit. Atqui usus loquendi sive generalis totius gentis ac aetatis ex qua liber descendit, sive etiam specai-

lis et proprius uniuscuiusque auctoris praedictis dotibus caret. Ut enim demonstravimus, unusquisque scribens vel loquens non philologicis tantum, sed et logicis ducitur regulis, unde fit ut interpres ad eius mentem assequendam praeter cognitionem linguae, qua ille scripsit, vel loquutus est, necesse habeat etiam coeteras hermeneuticas regulas adhibere, puta considerationem contextus, locorum parallelorum, occasionis sermonis, externorum adiunctorum. Huiusmodi autem criteria logica sive interna sive externa tantum abest quominus ab usu loquendi dependeant, aut in illo fundentur, ut viceversa ipse usus loquendi in concreto spectatus illis subordinetur, et ultimam determinationem, qua saepe caret, ab illis accipiat. Ergo nec primum principium, nec independens, nec adaequatum et universale dici potest.

II. Verum multo minus haberi potest ut supremum principium Hermeneuticae biblicae.

Et sane praeter defectum praedictorum characterum aliae etiam speciales rationes occurrunt cur id admitti nequeat. Praetermisso enim quod ipse usus loquendi biblicus praesertim V. T. non possit perfecte et adaequate cognosci, ob summam Librorum antiquitatem, et monumentorum inopiam, unde eius notitia haurienda esset, hoc, inquam, omisso, specialis defectus huius principii exurgit 1° ex ipsa Scripturarum sublimitate, et obscuritate. Ex hoc enim fit ut cognitioni usus loquendi tantum fidere non possit interpres, nec rectum sensum in pluribus locis imprimis dogmaticis definire, nisi pluribus aliis subsidiis adiutus tum rationalibus, tum praesertim dogmaticis, quae lucem tenebris affundant, et eum errare non permittant. At 2° etiamsi fieri posset ut interpres ex solo usu loquendi omnia Scripturae loca intelligeret, adhuc multum deesset quominus illum dicere possemus primum et supremum interpretationis principium. Siquidem supremum principium in qualibet scientia pollere debet maiori, aut saltem pari firmitate et certitudine ac omnes conclusiones seu veritates eiusdem scientiae, quae ab eo derivantur. Iamvero cum agitur de Scripturarum sensu eruendo, agitur de veritatibus quae fidem et mores respiciunt, quaeque credendi et agendi normam fidelibus praebere debent, quas proinde oportet extra omnem dubitationis aleam collocare. Porro quaecumque vis tribuatur usui loquendi, imo et universae

hermeneuticae rationali, nunquam rem eo perducet, ut infallibiliter certae sint conclusiones inde deductae, idest ut infallibiliter certum sit hunc vel illum revera sensum cuidam Scripturae loco subesse. Unde oritur necessitas magisterii Ecclesiae, quae aut iudicio suo quaestionem dirimat et dubitationem omnem removeat, aut iugi et definita doctrinae expositione ac professione interpretem moneat quos sensus vitare oporteat, verumque locorum doctrinalium sensum insinuet. Quapropter usus loquendi biblicus, quamvis interpreti sedulo investigandus, ac discendus sit, supremam tamen ei normam nequaquam suppeditat. Illam enim philologicam cognitionem, quantacumque sit, coniungere, aut etiam subordinare debet caeteris criteriis interpretationis, et imprimis iudicio et sensui sanctae Matris Ecclesiae. Ergo si principium Jahnii accipiatur prout ab eo enunciatum est non potest admitti. Et haec satis de prima quaestione.

Quaestio 2ª. Quodnam vere sit supremum Hermeneuticae biblicae principium.

In huiusmodi quaestione catholici scriptores (de quibus tantum hic sermo esse potest) admodum inter se dissentire prima fronte videntur. Antiquiores cum de Scripturae interpretatione loquuntur generatim affirmant auctoritatem, seu iudicium Ecclesiae supremum esse interpretationis biblicae principium. Imo cl. Mellini in Instit. Bibl. Tom. I. Dissert. III. Cap. III. Art. 3. absolute pronunciat: « Supremum interpretationis principium *a catholicis omnibus* recte constituitur in Ecclesiae auctoritate, et Sanctorum Patrum consensu ». His consentit Emus Franzelin in saepius laudato Tract. de Div. Tradit. Thes. XVIII. quae ita se habet: « Praedicatio Ecclesiastica est suprema norma interpretationis SS. Scripturarum. » Verum alii aeque orthodoxi scriptores aliter quaestioni respondent. Ita ex. gr. Kohlgrüber: *Herm. bibl. generalis* Viennae 1850 Pröem. § 8. ita scribit: » Quapropter supremum hermeneuticae biblicae principium hac formula enunciandum existimo: *Cura, ut e sacra Scriptura idem percipiatur sensus, quem hagiographi, consideratis legibus, quibus biblicum cogitationum commercium tenetur, in ea deposuisse censendi sunt.* Cui enunciationi inesse omnes supremae normae interpretationis biblicae dotes sequentibus evincitur ». Quod in sequentibus breviter ostendit. Aliter

respondet G. J. Güntner in *Hermen. biblica, generali iuxta principia catholica* Pragae 1863, ubi, distincta Hermeneutica *communis* ab Hermeneutica *catholica*, duplex quoque distinguit supremum principium; primum quidem Proleg. §. VI. ita: « *Est vero supremum hermeneuticae communis principium sequens: Sensum loquentis ope usus loquendi, orationis contextus, nec non conditionis tam internae quam externae loquentis cognosce, et pande*: » vel aliis verbis, ut ibidem in nota 2: « *Sensum dictorum e communibus loquendi legibus ad peculiarem loquentis conditionem applicatis cognosce, et pande:* » Hermeneuticae vero catholicae supremum principium in §. XVII dicit esse regulam Concilii Tridentini, idest: *Scripturam exponendam esse iuxta sensum Ecclesiae et unanimem consensum Patrum.* Cum vero Hermeneutica catholica a rationali, seu communi separari non possit, sed ambo unam eamdemque scientiam constituant, sequeretur neutrum ex enunciatis principiis tamquam supremum totius biblicae Hermeneuticae principium haberi posse.

Ut haec auctorum discrepantia removeatur, et confusio in hac re vitetur duas quaestiones distinguendas esse credimus. Alia est quaestio de suprema *norma* biblicae interpretationis, alia vero est quaestio de supremo *principio,* seu potius *formula* quae totam Hermeneutices indolem ac naturam complectatur, paucisque verbis enunciet. Prima quaestio Theologica est, et summi momenti, altera vero mere logica et didascalica. Porro circa primam quaestionem iterum distinguendum est principium *supremum* secundum dignitatem tantum ac certitudinem, seu, uti aiunt, *secundum quid*, a principio supremo secundum omnem respectum, seu *simpliciter et absolute,* quod scilicet a coeteris omnibus independens sit, et a quo coetera pendeant. Quibus declaratis, ita censemus utrique quaestioni respondendum. Iudicium Ecclesiae, seu in genere catholicus intellectus, uti Patres eum vocant, sine dubio habendum est tam quam supremum criterium interpretationis ratione habita dignitatis ac certitudinis. Est enim norma infallibilis, cui nulla alia e rationali Hermeneutica deprompta comparari potest. Et hoc est quod sibi voluerunt tot catholici auctores cum hanc normam supremam biblicae interpretationis appellarunt. Verum si quis contenderet hoc esse criterium supremum *absolute* et sub omni respectu, in

sensu superius declarato, non videmus quomodo id persuadere posset. Siquidem imprimis interpretatio Ecclesiastica, quantumvis extendi velit, numquam influere poterit in expositionem universae Scripturae saltem ut norma positiva: et sane magna pars Scripturarum historiam, aut res naturales continet in quibus explicandis frustra quaesieris sensum et interpretationem Ecclesiae, quae de his locis ac rebus iudicare non solet; quare interpres destituitur in his omnibus supremo illo criterio, et ex aliis dirigi debet sive rationalibus, sive etiam dogmaticis sed tantum negative sumptis, quatenus non possit interpretationem proferre quae involveret errorem sive contra Scripturae inspirationem, sive contra Ecclesiae fidem. Praeterea principium seu norma absolute suprema, ut alias diximus, debet esse principium et fundamentum coeterarum regularum in eadem scientia: atqui regulae illae catholicae non continent fundamentum et rationem coeterarum Hermeneuticae regularum, puta contextus, usus loquendi et similium, quae ex diversis omnino principiis derivantur, et plus minus valent etiam in libris profanis quos regulae catholicae non respiciunt: quamvis verum sit hasce omnes regulas communes seu rationales cum norma illa catholicae interpretationis pugnare non posse.

Si vero fiat altera quaestio logica de principio, seu formula generali quae totum obiectum et scopum interpretationis paucis enunciet, libenter admittere possumus formulas illas a Kohlgrüber, aliisque auctoribus propositas, qui sub hoc respectu quaestionem considerarunt; vel, paulisper immutatis verbis, dicere possumus totum Hermeneutices biblicae orthodoxae obiectum et opus hoc praecepto includi: « *Mentem Agiographorum per regulas interpretandi rationales, respectu tamen habito, intrinsece quidem ad divinam Scripturarum inspirationem, extrinsece autem ad Ecclesiae docentis testimonium, ac magisterium, dignosce, atque aliis propone.* » In hac vero formula, et in tota quaestione mentionem fecimus etiam de sensu Scripturae aliis *proponendo,* quod est alterum interpretis officium, de quo in tertia parte dicturi sumus. Sed hoc ex intimo nexu inter utrumque officium fieri debuit. Tota tamen ratio responsionis pendet ex primo et principali officio investigandi et inveniendi sensum auctoris, et ex natura principiorum, quae illud determinant ac dirigunt.

Ita finem imponimus universae tractationi de criteriis ac regulis sive rationalibus, sive dogmaticis, quae ad sensum Scripturae inveniendum opportunae ac necessariae existimandae sunt. Nunc possumus tuto accedere ad expendenda falsa criteria, et falsas regulas ab eterodoxis scriptoribus assignatas, quorum examine ac refutatione concludemus hanc alteram partem Hermeneutices biblicae.

SECTIO III.

DE PRAVIS QUIBUSDAM SACRAM SCRIPTURAM INTERPRETANDI PRINCIPIIS, AC METHODIS

Propositum nobis est non omnes pravas interpretandi methodos hic enumerare, cum humani ingenii aberrationum nullus sit finis: sed de iis tantum dicere quae in historia Exegeseos celebritatem quamdam adeptae sunt, et praecipue de illis quae hac nostra aetate vel prodierunt, vel favorem invenerunt, et a quibus proinde studiosis Scripturarum maxime cavendum est. Primum vero de antiquis breviter, deinde de recentioribus dicemus.

CAPUT I.

DE FALSIS QUIBUSDAM INTERPRETATIONIS METHODIS APUD ANTIQUIORES RECEPTIS

Duas tantum hic memorabimus, nempe 1° *Cabbalam,* seu methodum cabbalisticam, 2° methodum *allegoricam,* seu allegoricae interpretationis excessum quorumdam veterum interpretum.

I. *Cabbala* chaldaice idem est ac doctrina *accepta* (per traditionem); verum apud Rabbinos, et deinceps apud Christianos haec vox speciatim adhibetur ad significandam methodum quamdam interpretandi sacros Libros, qua ex mysticis quibusdam et conventionalibus verbis, et variis verborum hebraicorum, syllabarum et literarum comparationibus et calculis contendunt mysteria et abditos sententiarum biblicarum sensus erui posse. Aiunt enim hujus artis magistri Moysem duplicem legem a Deo accepisse, alteram scriptam, alteram oralem, quae scilicet scribenda non esset, nec omnibus

revelanda, sed tantum senioribus quibusdam, qui viva voce illam per varias generationes usque ad ultima tempora dicuntur transmisisse. Hanc oralem traditionem dicunt esse legis scriptae interpretationem, quam rursus dividunt in *legalem* quae in Talmude reperitur, et *mysticam,* quam strictiori sensu *cabbalisticam* seu *cabbalam* appellant. Auctores Hebraeorum qui hanc methodum Scripturam interpretandi excoluerunt *cabbalistae* audiunt: quorum praecipuus fuit Rabbi Simeon-Ben-Jochai, qui initio saeculi secundi aerae vulgaris floruit: ex huius dictis et interpretationibus discipuli serius volumen quoddam conflarunt *Zohar* (סֵפֶר הַזֹּהַר) dictum quod est praecipuum opus cabbalisticum. Huic operi postea ad complementum additi sunt alii tractatus: ut ex. gr. (סֵפֶר הַבְּהִיר) *Sepher habbehir,* (זֹהַר חָדָשׁ) seu *Zohar novum,* (סֵפֶר יְצִירָה) *Sepher Ietsirah,* et alii nonnulli. Hi libri obscurissimi sunt et peculiari terminologia utuntur non multum dissimili a Gnosticorum loquendi ratione. Omnia entia dividunt in quatuor mundos scilicet *Emanativum, Creativum, Formativum,* et *Factitium.* Mundus emanativus complectitur decem *Sephiroth* (seu splendores), quarum tres priores praecipuae sunt, et supremam classem efformant: primam appellant *Coronam supremam,* seu Infinitum (אֵין סוֹף) secundam, quae ex prima emanat, *Sapientiam* (חָכְמָה), tertiam ex duabus antecedentibus emanantem vocant *Intelligentiam* (בִּינָה). Has tres Sephiroth inscribunt tribus circulis concentricis. Septem aliae *Sephiroth* aliam classem constituunt quam vocant *cognitionem* (דעת) et sunt inferioris gradus sub nominibus sequentibus: *Magnitudo, Vis, Pulchritudo, Aeternitas,* seu victoria (נֵצַח), *Gloria, Fundamentum, Regnum:* de quibus pertractat R. Joseph Ghicatilia in libro cui titulus: שַׁעֲרֵי אוֹרָה *Portae luminis.* Decem *Sephiroth* decem circulis inscriptas disponunt in formam arboris quae dicitur *arbor Cabbalistica.* Similiter alios tres mundos dividunt in varias formas, unde similes arbores oriuntur. Sed sufficiat haec innuisse. Cabbalistica methodus subdividitur in tres praecipue species, quae vocantur *Gematria, Notaricon,* et *Temura* pro vario artificio quo utuntur ad sensus eruendos; *Gematria* (ex Graeco γεομετρία) valorem numericum literarum hebraicarum considerat, *Notaricon* singulas literas pro integris vocabulis ab eis incipientibus accipit, tlemum *Temura* literas vario modo intermutat, et componit ut

varia exinde vocabula efformet sive conventionalia et Cabbalistica, sive ordinaria et usitata. De his legi possunt auctores qui de Cabbala ex professo tractarunt (1).

Si quaeratur quid de cabbala iudicandum sit respondemus imprimis duo esse distinguenda: 1° *Principium* fundamentale, nempe sub cortice verborum Scripturae occultos et profundiores aliquando sensus latere, quorum notitia per traditionem conservata fuerit, et 2° *Methodum* seu artem hosce sensus eruendi per vocum et literarum dispositionem, valorem numericum etc. Quod pertinet ad primum nihil obstat quominus principium illud admittamus, siquidem substantialiter non differt a sententia omnium orthodoxorum de mystico sensu in Scripturis latente. Quod pertinet autem ad secundum, seu ad methodum eruendi occultos sensus iterum distinguendum est inter sobriam et orthodoxam huius methodi applicationem, qualis invenitur apud Christianos etiam nonnullos scriptores, et abusum, quo methodus illa ad inepta quaeque, absurda, superstitiosa, impia convertitur, quemadmodum videre est apud plures rabbinicos huius scholae asseclas. Hoc alterum certe damnandum est: quinimo a nonnullis scriptoribus pantheismi et atheismi nota inuritur cabbalisticis Rabbinorum libris, licet alii verosimilius ab huiusmodi accusatione eos vindicent. (2).

At si primo modo cabbala usurpetur, non est absolute damnanda, et a viris apprime orthodoxis et catholicis probata et exculta fuit, ut a Pico Mirandulano, Sixto Senensi, Iansenio Ganda-

(1) De Cabbala copiose tractarunt Bartolocci, et Wolfius, et ex recentiori bus Rosenroth in op. *Cabbala denudata*, et P. Beer: *Geschichte der Lehren und Meinungen aller bestandenen und noch bestehenden religiöse Sekten der Juden, und der Geheimlehre, oder Cabbalah*. Brunn. 1822 nec non Ad. Franck: *La Cabale ou la philosophie religieuse des Hébreux*. Paris 1843, de quo tamen vide notam sequentem.

(2) Ita cl. Paulus Drach non sine indignatione hanc accusationem Franck (op. cit.) cabbalae impactam repellit in egregio opusculo: *La Cabale des Hébreux vengée de la fausse imputation de pantheisme par le simple exposé de sa doctrine*. Rome 1864. Media autem via incedens P. Beer op. cit. distincta philosophia cabbalistica *secundaria* seu recentiori, a *primari* seu antiquiori, quae in opere Zohar et in libro Jetsirah exponitur, contentus est hanc tantum a Pantheismi labe purgare.

vensi, Galatino, Bonfrerio aliisque. (1) Quinimo apud ipsos Ecclesiae Patres et antiquos Scriptores occurrunt cabbalisticae interpretationis exempla, ut notarunt Sixtus Senensis, et Bonfrerius: ita ex. gr. Hieronymus in comment. in Ieremiam Cap. XXV. v. 26 per hebraici alphabethi cabbalisticam permutationem explicat cur ibi propheta infausta de rege Babylonis nunciaturus pro *Babel* scripserit *Sesach;* ita etiam in praef. comment in Threnos et in Epist. ad Paulam Urbicam mysterium explicat latens in ordine alphabethico quo Threni Ieremiae, et nonnulli Psalmorum dispositi sunt, et ex singularum literarum occulta significatione varia encomia Scripturarum, et affectus elicit. Plura huiusmodi observarunt Galatinus: *De arcanis catholicae fidei,* et laudatus Drach tum in opere cui titulus: *Deuxieme lettre d' un Rabbin converti* Paris 1827, tum brevius in superius citato opere *La Cabale des Hébreux* praesertim Cap. III. quibus praeiverat Raim. Martini in celebri opere: *Pugio fidei* cum animadversionibus *Duvoisin.* Attamen, ut ingenue, fateamur, nobis haec interpretandi methodus etiam intra hosce limites circumscripta, si absolute et per se spectetur satis arbitraria et otiosa videtur; fatemur tamen eam utilissime adhiberi in disputationibus contra Iudaeos, qui ita ex praestantissimis, quos maxime venerantur, eorum libris et auctoribus revincuntur. Sub hoc respectu non possumus non mirari ingenium et reconditam eruditionem, nec non eximiam pietatem auctorum quos modo citavimus, cum ex arcanis cabbalae fontibus mira quaedam proferunt ad confirmanda et Iudaeis persuadenda catholicae fidei mysteria, ut Sanctissimae Trinitatis, duplicis in Christo naturae, peccati originalis eiusque remedii aliaque nonnulla (2). Placet haec confirmare iudicio ac verbis Sixti

(1) Hanc distinctionem confirmat ratio agendi Ecclesiae quae primi ordinis libros omnes decreto S. R. Inquisitionis damnavit, alterius vero ordinis permisit.

(2) Ita ex. gr. Picus a Mirandula ex prima voce sacri Textus בְּרֵאשִׁית per methodum *temura,* quae in literarum transpositione et varia compositione consistit, hunc sensum elicuit: *Pater, per Filium, principium* (et) *finem, creavit caput, ignem, fundamentum* (seu mundum intelligentiarum, astra, et terram) *magni hominis* (seu universi) *foedere bono.* Ita alii Christiani Cabbalistae ex eadem voce eruerunt mysterium Sanctiss. Trinitatis per methodum *notaricon,* quae in hoc consistit ut singulae literae accipiantur pro totidem vocabulis quorum initiales sunt: itaque ex literis

Senensis qui in *Biblioth. sancta* lib. II. ita scribit: « Coeterum quia ex decreto S. R. Inquisitionis omnes libri ad cabbalam pertinentes nuper damnati sunt, sciendum est duplicem esse cabbalam alteram veram, alteram falsam. Vera et pia est, quae, ut iam diximus, arcana sacrae legis mysteria iuxta anagogen elucidat, quam in tertio huius operis volumine ostendemus necessariam ad divinae Scripturae interpretationem, producentes aliquos ex illustribus tam graecis quam latinis expositoribus, qui ea in explanationibus suis utuntur; hanc ergo numquam damnavit Ecclesia. » Deinceps vero in libro III postquam plura exempla attulisset ex cabbala *Gematria* et *Notarica* subdit: « Sunt qui universum hoc expositionis genus explodant tamquam rem ludicram ac fortuitam: et rursus alii, qui illud superstitiose admirentur, et usque in coelum tollant, quarum opinionum extremitatem ipse non approbans, arbitror primum non omnino inventionem huiusmodi esse contemnendam, tum quia magnos, ut iam ostendi, habeat haec sententia auctores, tum quod multa sint in sacris literis, quae sine ea mystice explicari non possint: veluti sacra quaedam poemata, quae ideo dicuntur alphabetharia quod iuxta alphabethicorum elementorum ordinem disposita sint, ut Davidis Psalmi septem, mitropoedia Lamuelis Regis, ac Threni Ieremiae: quae quidem Hieronymus existimat non frustra, nec sine ingentibus mysteriis et Ecclesiae sacramentis in hunc ordinem literarum digesta. Ad haec et alia quaedam de nonnullis particularibus tam hebraeis quam graecis literis, quales sunt apud Ezechielem *Thau* litera hebraica signata in frontibus servandorum (Ezech. IX), et de *Alpha* et *Omega* graecis characteribus in Apocalypsi Iohannis (Apoc. I.). Verum ut eos non damno, qui moderate et apte haec suis locis interdum accommodant, ita eos non laudo, qui eadem nimis anxie, et inutili ac prorsus inani labore prosequuntur; cum me non praetereat ex hoc fonte

dictionis בְּרֵאשִׁית efformarunt sententiam hanc: *Filius, Spiritus, Pater, tres, unitas perfecta.* Ita etiam Galatinus op. cit. Lib. VII, c. 13 ex phrasi לסרבה המשׂרה quae de Messia legitur Is. IX, 6 efformat nomen matris Messiae בְּמִרְיָם שׂרה *in Maria domina,* mutato scilicet duplici *he* in *jod* iuxta valorem numericum י (10) = ה (5) + ה (5); cum autem in prima ex praedictis vocibus occurrat praeter morem *mem* clausum, dicit hoc designare eiusdem Mariae intemeratam virginitatem.

emanasse prodigiosam Valentinorum et Gnosticorum insaniam; qui ut Irenaeus et Epiphanius uterque in primo adversus haereses libro ostendunt, omnem divinam Scripturam iuxta hanc elementorum discussionem examinantes, inaudita novarum haereseon portenta invulgarunt». Hactenus Sixtus Senensis olim Iudaeus, deinde Ecclesiae catholicae et ordinis Praedicatorum decus. (Biblioth. Sanct. iuxta editionem expurgatam a P. T. Milante. Neapoli 1742. Tom. I. pag. 233. seq.)

II. De interpretatione Scripturae *allegorica*.

Methodus interpretandi Scripturam de qua nunc loquimur, quam alii *mysticam* appellant, alii *allegoricam* vel *allegorizantem*, quatenus ad nostram hanc tractationem pertinet, nihil aliud est quam abusus vel excessus seu mysticae interpretationis proprie dictae, seu accommodationis sacrae Scripturae, illius praesertim generis quod *accommodationem allegoricam* diximus. Quare ad eius crisim fere sufficiunt quae alias disputavimus partim in quaestione de sensu mystico, ubi sententiam *figuristarum* expendimus, partim in quaestione de sensu accommodato, ubi vitia in huiusmodi accommodatione vitanda indicavimus. Haec enim methodus una vel altera ex hisce causis reprehendenda est, nempe vel quia mysticam destinationem in iis rebus ac locis Scripturae supponit et existere contendit, ubi nullam esse constat, aut quia Scripturae verba accommodat, sive rebus incongruis, sive cum praeiudicio historici ac literalis sensus. Hoc vitium, seu excessus allegoricae expositionis, Iudaeorum nonnullis auctoribus imprimis Philoni Alexandrino tribuitur, inter Christianos autem Origeni eiusque asseclis. Audiamus Hieronymum hoc vitium reprehendentem, et quod ipse in adolescentia ei paulisper indulserit conquerentem: ita enim scribit in praef. Comm. in Abdiam prophetam: « Cum essem parvulus ut parvulus loquebar, ut parvulus sapiebam, ut parvulus cogitabam: postquam factus sum vir, quae parvuli erant deposui (1 Cor. XIII. 11). Si Apostolus proficit, et quotidie praeteritorum obliviscens, in priora se extendit (Phil. III. 13), secundum praeceptum Domini Salvatoris stivam tenens, post tergum non respicit: quanto magis ego, qui nec dum ad aetatem perfecti viri, et in mensuram Christi veni, mereri debeo veniam, quod in adolescentia mea provocatus ardore, et studio Scripturarum, *allegorice* inter-

pretatus sum Abdiam prophetam, *cuius historiam nesciebam*? Ardebat animus cognitione mystica; et quia legeram omnia possibilia credentibus, ignorabam diversa esse charismata, literas saeculi noveram, et ob id putabam me librum legere posse signatum. Sperabam in scriniolis latere quod scripseram, et ingenioli mei primam temeritatem ignibus voveram, cum subito de Italia affertur exemplar a quodam iuvene, tot annis, quot ego quondam scripseram, laudante opusculum meum. Fateor, miratus sum, quod quantumvis aliquis male scripserit, invenit similem lectorem sui: ille praedicabat, ego erubescebam, ille quasi mysticos intellectus ferebat ad coelum, ego demisso capite, confiteri meum pudorem prohibebar. Quid igitur? condemnamus, in quo pueri lusimus? minime: sed libere profiteor illud fuisse puerilis ingenii, et hoc quod nunc scribo maturae senectutis ». Aliquid simile accidit Augustino in explicatione libri Geneseos, quem primo allegorice exposuerat perterritus difficultate historici ac literalis sensus, ut ipse narrat in Retract. libro I.

CAPUT II.

DE PROTESTANTIUM, SOCINIANORUM ET RATIONALISTARUM SCRIPTURAM EXPONENDI METHODIS

Dicemus imprimis breviter de historia Hermeneutices sacrae apud heterodoxos ab epocha Reformationis usque ad nostram aetatem, tum vero in expendendis Rationalistarum principiis ac systematibus praecipue immorabimur, cum de Protestantium methodis alibi dictum fuerit, Socinianorum vero principia interpretationis vix aut ne vix quidem a rationalismo biblico discrepent: quare de his satis erit pauca in historiae decursu animadvertere.

ARTICULUS I.

PRAEDICTORUM SYSTEMATUM ORIGO PROGRESSUS ET VARIAE FORMAE

Quamvis antiqui haeretici practice spernerent catholica principia, et Scripturam ad suos errores contra Ecclesiae mentem et iudicium detorquerent, generatim tamen non enunciabant theoriam

aliquam, qua dicerent Scripturae interpretationem independentem esse a sensu Ecclesiae et traditionis: quinimo omnibus modis conabantur Ecclesiam et Patres in suum sensum pertrahere. Verum saeculo XVI reformationis religiosae antesignani Lutherus, Calvinus, Zuinglius aliique formaliter, uti aiunt, enunciarunt hoc principium: *Unumquemque fidelem per se, et absque ullo respectu ad authenticum Ecclesiae magisterium, Scripturam intelligere posse, et ex ea fidei suae normam accipere.* Lutherus in lib. De Institut. ministr. Eccles. (Opp. lat. Ienae 1557 Tom. II. pag. 584) disserens de dogmatica Scripturae interpretatione, nonnullis adductis textibus, subdit: « His locis..... totius Scripturae docemur, ut nostrae propriae quisquis pro se salutis rationem habens, certus sit, quidquid credat et sequatur, ac iudex liberrimus sit omnium. » Et in Confess. Augustana (Lutheranorum) Art. XV legitur: » Credimus, confitemur et docemus, unicam regulam et normam, ex qua omnia dogmata, omnesque doctores iudicare oporteat, *nullam omnino aliam esse* quam prophetica, et apostolica tum Veteris tum Novi Testamenti scripta ». Eadem leguntur in Confessione Helvetica (Calvinistarum), in Confessione, seu XXXIX articulis Anglicanorum, et in libris omnium sectariorum illius et sequentis aetatis. Hoc igitur commune fuit principium omnium Protestantium. Verum in ratione explicanda qua unusquisque Christianus deberet, aut posset Scripturam intelligere, inter se dissentiebant, et in duo diversa systemata abierunt: aliud est systema *rationale* Lutheranorum, Episcopalium aliorumque, qui ex privato uniuscuiusque *iudicio* dicebant Scripturae sensum certo determinari posse, idque sive ob Scripturae evidentiam, sive saltem adhibitis Hermeneuticae sacrae adminiculis. Aliud est systema *pietisticum* a Calvinistis proclamatum, et ab aliis minoribus sectis deinceps receptum, in quo supponitur unicuique fidelium Spiritum Sanctum adesse interna, et *privata illustratione atque unctione* suggerentem et revelantem Scripturarum sensum, omniaque ad fidem et salutem necessaria. Principia huiusmodi longe lateque disseminata paulo post fructus suos edere coeperunt, discordiam nempe incredibilem, et babelicam confusionem in Protestantium castris, quae vivente adhuc Luthero in tantum excreverat, ut ipse exclamaverit, nisi finis mundi cito

venerit, fidei concordiam impossibilem futuram (1). Ut ingruenti malo remedium aliquod afferrent, coeperunt Protestantes consessus, seu *consistoria* convocare, et *symbola fidei,* seu, uti vocabant, *Confessiones* edere: Lutherani suam vulgarunt Augustanam Confessionem, Calvinistae Helvetii tres Confessiones Helveticas dictas (annis 1532, 1536, 1566). In Gallia synodus quidam Parisiensis reformatorum theologorum edidit suam Confessionem seu symbolum an. 1559, aliam ediderunt Calvinistae in Hollandia an. 1569, quibus postea accesserunt duo aliae in Synodis Dordracensibus concinnatae annis 1618 et 1619, et in Provinciis Rhenanis catechismus a Friderico III Calvinistis propositus inter libros symbolicos huius sectae receptus est. Anglicani Episcopales sub Elisabetha in Synodo Londinensi Confessionem suam ediderunt additis quibusdam articulis symbolo fidei sub Eduardo VI iam vulgato, quae confessio XXXIX articulis constat. Quamvis notandum sit Augustanam Confessionem etiam a reformatis seu Calvinistis aliquando receptam fuisse, et in genere ab omnibus Protestantibus in magna aestimatione haberi. Omittimus symbolicos libros minorum sectarum. Scopus harum Confessionum, ut diximus, erat ut uniformitas fidei saltem inter asseclas uniuscuiusque sectae induci et conservari posset, ad quem finem non modo iurisiurandi sacramentum a professoribus, et ministris suis exigebant: sed aliquando etiam externa sanctione mulctarum, et carceris conati sunt omnes ad symbolicam illam fidei professionem cogere. Verum contradictio quae in hac agendi ratione involvebatur, cum scilicet libertatem iudicii practice adimere vellent, quam ut principium fundamentale suae religionis posuerant, haec, inquam, contradictio ita evidens erat, ut plerique Protestantium se minime in conscientia adstrictos crederent symbolicorum librorum auctoritate, atque ita remedium discordiae allatum non est, sed contra haec ita crevit ut non solum novae in dies sectae pullularent inter se contradicentes, sed et unius ejusdemque sectae membra in gravissimis etiam dogmatibus ex Scriptura eruendis dissentirent. Interim defectus

(1) Lutherus: *De veritate Corporis Christi contra Zuinglium:* «Si diutius, inquit, steterit mundus, iterum esset necessarium, ut propter diversas Scripturae interpretationes quae nunc sunt, ad conservandam fidei unitatem Concilii decreta recipiamus atque ad ea confugiamus.»

externi magisterii, et effroenata iudicandi libertas coepit paullatim ipsa Christianae religionis fundamenta in quorumdam Protestantium mentibus labefactare, et convellere. Hinc ortus *Socinianismus*, qui repraesentat veluti alterum stadium religiosae libertatis a Protestantibus proclamatae. Ex sinu Calvinismi haec secta ortum habuit a duobus Socinis Laelio, et Fausto eius nepote stabilita, quorum primus in Helvetia obiit anno 1562, alter Cracoviae anno 1604: hic alter tum Laelii scripta collegit, tum sua addidit, et formam errori indidit, qui ab eo proprie Socinianismus dictus est. Huius systematis sectatores ex Helvetia expulsi in Poloniam secesserunt a Gubernatore Odoliae in patrocinium recepti, unde eis *fratrum Polonorum* appellatio adhaesit: dicuntur etiam *unitarii* eo quod unam Dei naturam praedicent, negata distinctione Personarum. Opera Socini et praecipuorum Socinianorum octo tomis comprehensa apparuerunt sub titulo: *Bibliotheca Fratrum Polonorum, quos Unitarios vocant*. Horum praecipuus et subtilissimus est Crellius, qui speciatim mysterium SS. Trinitatis, et divinam Christi naturam impugnavit. Systema Socinianum ad hoc revocari potest: mysteria Christianae fidei in Scripturis revelata eo tantum sensu admittenda esse quatenus ad veritates philosophicas reduci possunt, non autem eo sensu quo captum rationis superent, quae sola veritatis norma est. Interim vero terminologia dogmatico-ecclesiastica retinenda est, sed dumtaxat ut forma loquendi, et conventionalis expressio veritatum rationalium. Hinc ex. gr. Sociniani res in Deo personas, seu Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum tum Scriptura existere confitentur, sed nihil aliud esse contendunt quam tria Divinitatis attributa potentiam, sapientiam et bonitatem: Verbum carnem humanam suscepisse fatentur, sed tantummodo per unionem gratiae cum hominibus, minime vero hypostatice, et hunc dicunt esse sensum Iohannis Io. I. 14, et ita de reliquis mysteriis. Uno verbo Socinianismus purus putusque naturalismus est, quo nempe absolute negatur quidquid intra limites rationis hic naturae non continetur, servata tantum externa et conventionali forma loquendi, qua veluti larva quadam tegitur ut facilius incautos decipiat. Postquam humanum ingenium hac via aberrare coepit sponte sua in apertam incredulitatem proruit, quae circa medium saeculum XVII in aciem prodiens longe lateque grassari

coepit in regionibus Protestantium, et in dies crevit usque ad nostram aetatem.

Haec effroenis cogitandi licentia, qua omnis revelatio, ac genuina Scripturae interpretatio susdeque vertitur proprie *Rationalismus* religiosus, ac biblicus dici solet, et exhibet ultimum stadium religiosae libertatis a Protestantismo olim proclamatae. Sed quoniam iste error multiplicem formam ac vestem induit, operae pretium erit eius historiam breviter pertexere. Incredulitas religiosa in Anglia originem habuisse videtur: siquidem usque ad aetate Caroli II an. 1660 auctores Angli apparuerunt qui aperte Deismum, naturalismum, aut scepticismum profitebantur: nota sunt nomina Herbert, Tindal, Hobbes, Hume, Collins, Bolingbroke, Woolston, Toland, quibus nullum est mysterium, nulla revelatio, nulla Scripturarum inspiratio, et divina auctoritas, aut etiam historica veritas. Ab Anglis pestis haec Gallias invasit: hinc philosophismus saeculi XVIII, qui paulo post in apertum socialismum erupit sub finem eiusdem saeculi. Praecipuum huius novae scholae opus in Gallia fuit *Encyclopoedia,* cuius auctores plus minus hoc veneno infecti omnibus noti sunt Voltaire, Diderot, Alembert, Bayle, Rousseau, Dargens, Damilaville aliique. Nec immunes ab hoc malo evaserunt aliae regiones ubi Protestantismus dominabatur, ut Helvetia, Hollandia et imprimis Germania. Quinimo *Rationalismus exegeticus,* seu biblicus, in Germania suam veluti sedem ac domicilium fixit, ibique determinatas formas accepit, de quibus nunc dicendum est. Scilicet hucusque increduli et rationalistae praesertim Angli et Galli Revelationem et Scripturam, omni detracta larva, impugnaverant, quidquid in ea supernaturale est negantes, irridentes, et conviciis impetentes. Germani magis scientifice, et si ita dici possit, gravius et serius hoc bellum aggressi sunt (1). Scilicet specie tenus Scripturam admittebant, et summis laudibus

(1) Licet aperta incredulitas in Germania quoque fautores haberet praesertim sub regno Friderici II Borussiae regis Gallorum incredulorum patroni, plerique tamen aliam viam, ut diximus, inierunt. Hi seipsos vocabant *Illuminatos (aufgeklärten)* et ad sua principia efficacius propaganda periodicum opus vulgare coeperunt Berolini an. 1766-1806 per Frid. Nicolai typographum et socium, sub titulo *Bibliothecae germanicae universalis,* cui conficiendo ultra 130 auctores adlaborarunt.

extollebant, interim vero ope biblicae eruditionis, praesertim philologiae et archaeologiae orientalis, ita eam explicandam esse contendebant, ut omnia supernaturalia sive in ordine veritatum, sive in ordine factorum ab ea eliminarentur. Ad hoc vero assequendum modo voces in diversa significatione accipiendas esse contendunt, modo metaphoras ad lubitum confingunt, modo dicta Agiographorum tamquam communia Hebraeorum adagia explicant, nunc doctrinas a Christo et ab Apostolis non ex propria sententia, sed ad hominem, ut aiunt, vel ex accommodatione Hebraeorum praeiudiciis facta explicant, aut demum contendunt non praecise historicum sensum, sed id quod sub eo latet in Scripturis esse attendendum: atque ita nullo fraeno interpretibus iniecto, omnia in Scripturis exponendis licita esse autumant, dummodo nullus admittatur sensus qui supernaturale aliquod dogma aut factum contineat. Huius *novae Exegeseos*, uti vocant, fundator ac veluti parens fuit *Io. Salomon Semler* professor Halensis, variis editis operibus, et imprimis: *Apparatu ad liberalem V. et N. T. interpretationem,* Halae 1767–73. Semel autem proclamatis novis hisce interpretandi principiis favorem nacta sunt in omnibus fere Universitatibus Germaniae, unde innumera fere scripta prodierunt quibus rationalismus exegeticus plus minus aperte docetur, exornatur ac nova ac diversa forma induitur. *C. F. Bardht* professor Giessensis in Assia conatus est novam exegesim popularem reddere variis vulgatis scriptis ut sunt: *Parva biblia; Almanach Ecclesiarum et haeresum; Apparatus criticus ad formandum interpretem V. T.; Specimen systematis dogm. bibl.* (1780–92) Eodem tempore *Io. Goth. Eichhornius* professor Gottingensis eadem fere principia professus est in *Introductione in libros V. T.* Lipsiae 1780–83: *Introd. in apocrypha V. T.* 1795, *Introd. in libros N. T.* ibid. 1804-14, in quibus operibus vaticinia Prophetarum de Christo negat, et prima Geneseos capita *mythice* primus exponit. Hunc sequitur *Guill. Bauer* in *Hermeneutica V. T.* Lipsiae 1797, et in *Mythologia hebraica V. et N. T.* ibid. 1802, ubi mysticum Scripturarum sensum de medio tollit, et *mythos* ulterius in Scripturis extendit. Emmanuel Kant celeberrimus philosophus Konigsbergensis doctrinam Scripturae ad mera philosophica principia practica revocare contendit in suo opere: *Religio intra limites rationis purae.* Konigs-

bergiae 1793 (1) : in hoc opere sectatores novae exegeseos *Rationalistas* vocat, quae appellatio veluti propria eis adhaesit. Paulo post *Paulusius* prof. Heidelbergensis novam formam rationalismo biblico dare conatus est, quam *psychologicam* appellavit, in *Comment. in N. T.* Lubeck 1804–5; *Vita Jesu* Heidelberg. 1828; *Manuale exegeticum in tria priora Evangelia* ibidem 1828, in quibus conatur omnia mysteria, omniaque miracula in N. T. narrata per subiectivam quamdam rerum apprehensionem in eventus aut doctrinas mere naturales convertere. *D. Strauss* Tubingensis in celebri opere: *Vita Jesu* Tubingae 1835, mythicum systema libris N. T. accommodans totam Evangelicam historiam in fabulam convertit. Hunc fere sequuntur *Bruno Bauer* prof. Bonnensis, et *Ern. Renan* Parisiensis in sua *Vita Jesu* Paris 1863 et deinceps saepius recusa, nec non *D. Littré*, qui pariter in Gallia opus Straussii gallice conversum vulgavit ed. 2. Paris 1853. His se adiunxerunt alii quamplures *mythicae interpretationis* fautores tum in Germania, tum in aliis regionibus, qui scholam uti vocant *Tubingensem* constituunt; et in Scripturis tractandis *criticam negativam* (seu destructivam) sequi gloriantur. Haec est veluti ultima expressio exegeseos rationalisticae, quae nihil in Scripturis intactum relinquit eorum ex quibus divinae Scripturae sanctitas, auctoritas ac utilitas pendet. Huiusmodi effroeni licentia permoti ac veluti expergefacti Protestantium doctores, qui orthodoxos, et conservatores se vocant, remedium aliquod malo afferre conati sunt opponentes rationalisticae exegesi saniorem aliquam methodum sive mysticam, sive grammatico–historicam, sive etiam traditionalem, et analogiae fidei symbolorum accommodatam, sive demum quam vocant pan–harmonicam. Horum coeteroquin laudabile studium quamvis efficaciter malum removere nequiverit, ob defectum scilicet tum auctoritatis, tum saniorum principiorum, quibus et ipsi magna ex parte carent, pluribus tamen scriptis occasionem dedit, in quibus Scripturarum sanctitas, ac reverentia eis debita utcumque servatur, et in quibus plura occurrunt ad sanioris hermeneuticae expositionem opportuna. Ita Guericke libros N. T. contra subversiva

(1) Hoc opus, et pleraque alia hic commemorata germanice scripta sunt, sed eorum titulos claritatis et brevitatis causa latine tantum dedimus: uti alias plerumque fecimus.

theorias Dewette vindicat: Hävernick, et Hengstenberg vaticinia et historias V. T. strenue defenderunt, Uster, et Rückert grammatico-historicae interpretationi primas partes dederunt, cui etiam utilem operam contulerunt Winer et Fritsche suis philologicis scriptis, Lücke, Tholück, Olshausen exegetica sanctorum Patrum scripta in subsidium vocarunt: quibus merito addendi sunt quidam ex anglicanis doctoribus ut Horne, Burgon aliique.

Ex hac brevi expositione manifestum fit ad quae extrema devenerint exegetae Protestantes ob rejectum Ecclesiae magisterium et analogiam catholicae fidei in Hermeneutica biblica. Interim notare iuvat discrimen quod existit inter systema interpretationis *protestanticum* proprie dictum, et *rationalisticum*. Utrumque convenit in eo quod excludant Ecclesiae iudicium, et solam rationem iudicem constituant in Sacrae Scripturae interpretatione. Discrepant autem in hoc quod Protestantes (orthodoxi dicti) rationem volunt esse iudicem sub respectu tantum hermeneutico, scilicet in decernendo, quinam sit Scripturae sensus: hunc autem semel inventum parati sunt recipere etiam si aliquid supernaturale contineat; siquidem Scripturae tum veracitatem, tum divinitatem admittunt. Rationalistae vero ulterius progressi rationem individualem iudicem constituunt etiam sub respectu critico, scilicet in decernendo utrum sensus Scripturae verus sit et admittendus, an falsus et corrigendus. Primi volunt per se iudicare de sola veritate hermeneutica dictorum Sacrae Scripturae, secundi etiam de veritate obiectiva. Sociniani autem a rationalistis proprie non differunt, nisi forte in terminologia, seu in usu loquendi magis dogmatico, ut superius diximus. Systema vero rationalisticum ad quasdam principales formas reduci potest ut ex dictis apparet, mox autem distincte explicabimus ad clariorem et faciliorem eius refutationem.

ARTICULUS II.

Novorum systematum imprimis rationalistarum refutatio

De Protestantium proprie dicta exegetica methodo satis esse possunt quae alibi disseruimus, scilicet de methodo *Pietistica* seu *Seminis interni* Calvinistarum quorumdam et Quakerorum, ubi de

Scripturarum inspiratione agebamus, de communiori autem method *rationali,* seu privati iudicii, in tota tractatione de criteriis catho licis interpretationis. Qui vero ex Protestantibus ad rationalistic principia plus minus accedunt, ut plures nunc faciunt, isti i eorumdem principiorum examine refellentur. Itaque de rationali stica exegesi hic speciatim tractabimus.

Vidimus scopum rationalismi biblici, eiusque veluti essentia in eo sitam esse, quod sacram Scripturam omni elemento super naturali exuat, et ad conditionem librorum profanorum reducat Iamvero triplex in Scripturis distingui potest supernaturale elemen tum, 1° nempe elementum *supernaturale dogmaticum,* seu verita tes rationis captum excedentes, quae dicuntur mysteria. 2° Elementun *supernaturale morale,* seu leges, praecepta et consilia quae ad ordine supernaturalem gratiae et redemptionis pertinent. 3° Elementum *su pernaturale historicum,* seu facta quae vires naturae superant, ides miracula, ad quae etiam vaticinia revocari possunt. Porro rationa listae exegetae quamvis aliquando omnia haec simul adorti fuerint plerumque tamen unum vel alterum seu exclusive seu saltem prin cipaliter impugnare aggressi sunt novis excogitatis hypothesibus a theoriis ad suum finem consequendum: hinc vero systematun divisio desumi potest. Itaque 1° contra elementum dogmaticum invectum est systema *Accommodationis* a Semlero propositum, qu mysteria omnia a Christo et Apostolis praedicata nihil aliud es dicuntur quam praeiudicia et erroneae opiniones Iudaeorum, qui bus Christus et Apostoli prudentiae et indulgentiae causa sese a commodaverint. 2° Adversus elementum morale speciatim dirigitu systema Kantii quod dicitur *moralis interpretationis.* 3° Adversu elementum historicum seu miracula invectum est systema *interpre tationis Mythicae* scholae Tubingensis. Demum systema *interpret tionis psychologicae* Paulusii licet sub forma diversa de prim duobus plus minus participat. De his igitur quatuor formis seo sim breviter agemus, nonnullis in fine adiectis de systemate *in terpretationis panharmonicae* a Germaro invecto.

§. I. De Systemate accommodationis dogmaticae.

Semlerus, quem Ammonius, Tellerus aliique satis multi sequu sunt, ut de medio tolleret ex Sacra Scriptura omnia mysteria, se veritates supernaturales, hanc theoriam excogitavit. Iudaei aetat

Christi et Apostolorum pluribus praeiudiciis imbuti erant, quae ipsi tamquam mysteria a Deo revelata habebant, iisque tenaciter adhaerebant. Huiusmodi dicit esse doctrinam de peccato originali, de angelis tum bonis tum malis eorumque in humanis actionibus interventu, imprimis vero de diabolicis obsessionibus, item doctrinam de satisfactoria Messiae morte, de vaticiniis Messiam spectantibus, de corporum resurrectione et universali hominum iudicio, uno verbo quidquid ad ordinem supernaturalem veritatum pertinet. Iamvero Christus et Apostoli licet huiusmodi praeiudiciis minime tenerentur, sciebant tamen frustra sperari posse Iudaeorum conversionem ad evangelicam doctrinam, quae pure rationalis erat ac philosophica, si tentassent Iudaeos ab illis erroribus ac praeiudiciis avertere. Quapropter hanc prudentem oeconomiam practice adhibuerunt, ut loquentes cum Hebraeis, vel ad eos scribentes eorum errores ac exaggeratas notiones repeterent, fingentes se illis credere, seu adhibentes dogmaticam accommodationem. Hac ratione existimat Semlerus simul salvari posse veracitatem Christi et Apostolorum, et expungi e Scripturis omnes veritates quae rationis captum superant. Hisce praeiactis, concludunt citati auctores totum officium interpretis N. T. ad hoc revocari, ut discernat in Sacris libris ea quae Christus et Apostoli ex animo et ex propria sententia tradiderunt, ab iis quae veluti inviti docuerunt ut ad tempus sese accommodarent infirmitati et praeiudiciis auditorum. Prima illa dogmata (naturalia) recipiet interpres tamquam partem religionis evangelicae, alterius vero classis doctrinas (supernaturales) reiiciat tamquam erroneas vulgi opiniones. Hac de causa praefatum systema a nonnullis dictum est systema *sensus vulgaris,* ab aliis vero communiter *systema accommodationis*. Quod quidem quantopere a veritate aberret docebit sequens

THESIS XVI.

Impia est atque omnino absurda Semleri, Ammonii aliorumque sententia, qua docent Scripturas N. T. non grammatico-historica, *seu* exegetica, *sed philosophica interpretatione exponendas esse, quasi Christus et Apostoli imperfectis ac erroneis coaevorum opinionibus sese accommodaverint, ac propterea interpretem N. T. quae ex propria ipsi sententia ab iis quae ex accommodatione Judaica protulerunt secernere oportere.*

Ad clariorem Theseos expositionem operae pretium erit tria distinguere in citato systemate: 1° *Suppositum,* cui systema innititur, scilicet Christum et Apostolos praeiudiciis Iudaeorum sese accommodasse in sensu exposito, 2° ipsum *systema interpretationis*, scilicet discernendum esse interpreti inter doctrinas ex propria mente ab Agiographis traditas, et eas quibus sese accommodarunt, 3° *Criterium,* seu medium huius distinctionis faciendae, quod nihil aliud esse statuunt quam humanam rationem philosophia et biblica scientia excultam.

I. Suppositum systematis falsum atque impium est.

Quoniam vero adversarii saepe in aequivocatione ludunt, oportebit imprimis accurate definire quid sit illa accommodatio quam pro fundamento sui systematis ponunt, nos autem omnino reiicimus. Inutile est animadvertere hic sermonem non esse de illa accommodatione, quam alibi *aestheticam* vocavimus et licitam diximus; hic enim agitur non de verbis aliorum ad suas res accommodandis, sed de propria uniuscuiusque agendi ratione aliorum placitis, seu conditioni accommodanda, seu de *accommodatione practica.* Haec autem in genere est: certa quaedam agendi vel loquendi ratio ad captum vel agendi rationem alterius accommodata; seu: talis agendi ratio, qua quis aliquid facit vel omittit ut alteri se conformet. Verum pro diversa natura actionis vel omissionis diversae quoque exurgunt accommodationis practicae species. Erit accommodatio *moralis,* si quis actionem non praescriptam ponat, aut actionem non prohibitam omittat ut infirmae aliorum conscientiae morem gerat. Erit accommodatio *paedagogica* si quis in docendo sese auditorum captui accommodet in eo quod respicit

rerum delectum, ordinem et expositionis modum. Demum si quis aliorum infirmitati accommodet ipsas doctrinas quas tradit erit accommodatio *dogmatica;* quae tamen rursus dividenda est in *negativam,* et *positivam.* Accommodatio *negative dogmatica* tunc habetur cum magister prudentiae causa permittit aliquam imperfectam vel falsam opinionem in suis discipulis, et omittit pro tempore eam directe impugnare. Accommodatio vero *positive dogmatica* tunc haberetur si quis aliorum errores et praeiudicia non solum toleraret sed etiam laudaret, confirmaret et adoptaret, ea spe ductus ut facilius illi ad saniora doctrinae capita amplectenda pertrahantur. Porro priores tres accommodationis species nullam continent pravitatem, quinimo ad prudentiae et sapientiae dotes revocantur: nec diffitemur a Christo et ab Apostolis usurpari potuisse et reipsa fuisse aliquando usurpatas: nihil tamen exinde adversarii deducere possunt ad suum systema confirmandum. Exemplum accommodationis moralis suppeditat Paulus Apostolus tum sua agendi ratione, cum ex: gr. Timotheum circumcidit, Nazareatus votum emisit, aliaque similia legalia praestitit, quibus amplius non tenebatur, tum etiam verbis ut ex: gr: 1 Cor. VIII. 13, ubi de legali ciborum distinctione loquens ait: « Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in aeternum, ne fratrem meum scandalizem; » ubi docet a licita actione abstinendum ob infirmitatem et scrupulum conscientiae illorum, qui peccatum esse putabant edere carnes idolis immolatas. Exemplum accommodationis paedagogicae occurrit in illis Christi verbis Io. XVI. 12 et 14: « Adhuc multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem; » item in illis verbis Pauli 1 Cor. III. 1 et 2: « Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis ». Demum etiam accommodationis *negative dogmaticae* plura occurrunt exempla in Evangelio, ubi Christus ex. gr. dissimulat imperfectam et falsam notionem Messiae eiusque regni, qua discipuli imbuti erant, vel cum abstinet a manifesta assertione suae divinae naturae loquens cum Pharisaeis hoc recipere non paratis, quare etiam aliquando daemoni eius divinitatem praedicanti silentium imposuit.

Verum nihil possunt adversarii ex hac agendi aut loquendi ratione concludere. In hisce enim omnibus nullus error docetur aut confirmatur, quem proinde oporteat ex Scriptura eliminare tamquam accommodationis causa prolatum. Si autem de accommodatione *positive dogmatica* sermo sit, negamus prorsus eam a divinis legatis aut unquam adhibitam fuisse, aut adhiberi potuisse, idque asserere impium omnino atque absurdum dicimus. Et re sane vera

1° Character Christi et Apostolorum accommodationem praedictam omnino excludit, character inquam sive personalis et privatus, sive officialis, uti aiunt, et publicus. Moralis character Christi et Apostolorum quatenus ex historia evangelica et apostolica, et ex reliquis antiquis monumentis innotescit, nec adversarii diffitentur, is erat ut nulla in eo imbecillitas, nulla simulatio, nullum hominibus placendi studium appareat, contra vero summa animi fortitudo, constans veritatis amor, et magna iudicii ac sermonis libertas in veritatis iuribus asserendis et vindicandis contra quascumque hominum contradictiones, insidias, minas aut apertas persequutiones. Cum huiusmodi autem charactere quomodo conciliatur accommodatio illa adversariorum, per quam scilicet veritas non dissimulatur modo, sed negatur, ac veluti immolatur pravis aliorum opinionibus. At gravius exurgit argumentum ex publico Christi et Apostolorum charactere. Non solum enim sancti erant et veritatis amici, sed etiam divini legati, ad hoc missi ut religionem divinam hominibus praedicarent, et in toto orbe, depulsis erroribus ac praeiudiciis stabilirent. Hanc suam missionem tum verbis centies asseruerunt, tum splendidis editis prodigiis ac vaticiniis solemniter confirmarunt. Iamvero nihil magis cum hoc charactere pugnat quam dogmatica accommodatio de qua loquimur. Si enim vel semel erroribus indulsissent, et positive praeiudicia religiosa Judaeorum confirmassent, eo ipso suo muneri defuissent et causam veritatis, quam Dei nomine agebant, prodidissent; quod impium esset affirmare. Huius argumenti vis augetur ex eo quod Christus et Apostoli apprime scirent quemcumque errorem ab eis traditum vel probatum hoc ipso necessario evasurum fuisse *universalem*, et *perpetuum:* universalem quidem, nam absolutum erat Christi praeceptum, quaecumque ipse praedicaverat omnibus gentibus, omnique creaturae (Matth.

XVIII. 19, Mar. XVI. 15) promulgandum esse, quod reipsa factum est per Apostolos eorumque discipulos, quorum pariter doctrina ac praedicatio tamquam veritatis thesaurum ac depositum totus mundus amplexus est: perpetuum vero fore quemcumque errorem a divinis legatis in hypothesi promulgatum ex eo apparet quod Christus Dominus districte iniunxerit sub poena aeternae damnationis omnibus hominibus usque ad consummationem saeculi omnia et singula credenda esse quaecumque mandaverat (Mar. XVI. 16). Apostoli vero omnia quae praedicabant praecipiebant in Ecclesiis conservari in perpetuum nec quidquam ex iis immutari etiamsi angelus de coelo aliud evangelizaturus descendisset (Gal. I. 7-9), et iram Dei comminati sunt iis qui in suis scriptis aliquid vel demere vel addere ausi fuissent (Apoc. XXII. 18 et 19).

2° Verum si factum ipsum inspiciamus apparebit Christum et Apostolos ab accommodatione positive dogmatica alienissimos fuisse. Nam tantum abest quominus praeiudicia Judaeorum palpaverint aut confirmaverint, ut potius pro data occasione ea directe impugnaverint, atque illa imprimis quibus Judaei tenacius adhaerebant et quorum refutatio eorum animos maxime offendebat. Huiusmodi certe erant opiniones de perpetua legis Mosaicae duratione, de gentilium a vera ecclesia exclusione, et de temporalis regni iudaici restauratione per Messiam: haec enim praeiudicia ex male intellectis Prophetarum vaticiniis et ex falsis Pharisaeorum interpretationibus exorta altissimas radices in animis omnium fere Hebraeorum egerant, ita ut ipsi discipuli, imo ipsi Apostoli iis imbuti appareant: ex quo fiebat ut Christi humilitas, et crux scandalum Judaeis esset, qui longe aliam ideam Messiae sibi efformaverant, et aegre admodum ferrent circumcisionem, sacrificia, totumque apparatum Mosaicae legis post promulgatum Evangelium aboleri, et gentiles in Ecclesiae communionem recipi, quemadmodum Apostolorum Actus et Epistolae passim testantur. Quid igitur Christus et Apostoli? Num forte indulgentia sua Iudaeos confirmarunt in falsis hisce opinionibus? Christus Dominus nihil clarius aut frequentius inculcabat quam se non venisse ministrari sed ministrare, regnum suum non esse de hoc mundo, sibique non temporales honores aut potestatem, sed contumelias, passionem, Crucis mortem parari: Mosaicae vero legis apparatum cito abolendum esse, et potestatem

omnem in regno Dei a Synagoga auferendam, et Ecclesiae dandam non quidem ex solis Hebraeis, sed ex omnibus mundi gentibus congregandam. Idem Apostoli docuerunt et facto suo ostenderunt. Praeterea novas ipsi proposuerunt doctrinas humanae menti impervias, et Judaeorum sentiendi et cogitandi rationi contrarias, ut ex. gr. divinam Christi naturam ac personam, potestatem peccata remittendi hominibus concessam, realem Christi carnis ac sanguinis sumptionem in Eucharistia, et alia similia, quibus cum graviter offenderentur Iudaei non ideo Christus et Apostoli ab iis praedicandis desistebant, sed vehementius urgebant, et potius auditorum animos a se averti permittebant, quam causam veritatis prodere (Io. VI. 53-55, 61-68 Act. IV. 18-21, Gal. I. 10. etc). Accedit doctrinas illas supernaturales, quas adversarii speciatim eliminatas vellent, Christum et Apostolos non in suis tantum cum Iudaeis disputationibus aut colloquiis proposuisse, sed constanter ubique ac semper inculcasse, etiam cum gentiles seu ethnico-Christianos alloquerentur, etiam ubi nulla erat perversa in auditoribus animi dispositio, et nulla externa occasio quae ad dogmata illa tradenda provocaret, quae omnia ostendunt nullum in iis docendis accommodationi locum fuisse. Denique divinos legatos non ex prudenti tantum oeconomia haec protulisse, ex eo apparet quod tanta constantia in iis docendis perseveraverint ut nullis minis, nullis persequutionibus a sua praedicatione deterreri potuerint, donec sanguine ac morte sua eius veritatem obsignaverint. Ergo reipsa apparet Christum et Apostolos ex propria mente atque intima animi persuasione haec docuisse.

II. Systema ipsum accommodationis hermeneutice falsum est.

Imprimis enim cum totum systema supposito illi accommodationis dogmaticae superstructum sit, hoc sublato etiam illud corruat necesse est. Sed praeterea plura alia in hoc systemate continentur impia prorsus ac absurda. Quis enim ferre poterit splendidas illas et fundamentales veritates quibus revelata religio, totusque supernaturalis hominis status ac destinatio, omnis denique Christianorum fides constat, quis, inquam, ferat inter preiudicia et superstitiosas Judaeorum opiniones amandari? Imo gratis quoque affirmant adversarii nonnullas ex illis veritatibus vulgo Hebraeorum, de quo potissimum hic sermo est, notas ac familiares fuisse. Ad

ultimum ipsi fundamentali hermenentices notioni repugnat accommodationis systema. Sane interpretis officium est quid auctor dicere voluerit intelligere et aliis exponere, minime vero de eorum veritate iudicium ferre, et aliud accipere aliud autem damnare: hoc enim ad criticam non ad hermeneuticam pertinet. (1)

III. Criterium autem, seu medium quod adversarii assignant ad illam distinctionem faciendam aeque falsum et incongruum est. Ratio enim humana quantumvis exculta, licet in religionis quoque negotio suas partes habeat, nullatenus tamen potest absolute assignari tamquam criterium et mensura omnis veritatis, quatenus nulla recipienda sit, quae eius ambitum seu captum excedat, quemadmodum iniuria prorsus facta omnia historica secundum solas naturae vires diiudicanda esse dicuntur. Quod quidem fusius refellere superfluum esset heic loci. Si enim Deus infinito suo intellectu plura videt quam angusta et imperfecta hominum mens, cur non poterunt dogmata quaedam captum rationis humanae excedentia a Deo revelata in Scripturis inveniri? Et si Deus est naturae auctor, cur non poterit aliquando legibus physicis a se ipso constitutis derogare, ita ut supernaturalia facta nonnunquam evenerint, quae postea ab Agiographis N. T. qui oculis suis illa conspexerant scripto fuerint consignata? Qui enim haec possibilia esse negat ob praeconceptas opiniones, non religioni tantum sed et rationis principiis contradicit. Unde apparet rationalistas nostros dum volunt Scripturam a praeiudiciis Judaeorum liberare, ipsos sua praeiudicia obtrudere et Hermeneuticam sacram iis velle subiicere.

IV. Solvuntur praecipua adversariorum argumenta.

Horum pleraque ad factum accommodationis probandum pertinent, quaedam vero ad methodum interpretandi philosophicam confirmandam spectant, quam adversarii facto illo supposito inducere vellent. Dicunt itaque:

1° Sapientia ac prudentia Christi ac Apostolorum omnino exigebat ut paullisper indulgerent Iudaeorum praeiudiciis: secus enim

(1) Pulchre ad rem nostram Hieronymus in Ep. ad Pammachium de optimo genere interpretandi: « Commentatoris, inquit, officium est, non quid ipse velit, sed quid sentiat ille quem interpretatur exponere; alioqui si contraria dixerit, non tam interpres erit, quam adversarius eius, quem nititur explanare ».

nunquam potuissent evangelicam doctrinam eis persuadere. Non igitur ex animi vitio, sed ex ipso veritatis amore, et necessitate compulsi dogmaticam accommodationem fecisse dicendi sunt.

Resp. Notum est principium illud sanae rationis non esse facienda mala ut eveniant bona. Quod autem gravius malum admitti potuisset quam praeposteras opiniones in mentibus Hebraeorum confirmare, atque illas divino veluti sigillo munire ut non amplius intra fines unius regionis, uniusque gentis continerentur, sed ad omnes homines dimanarent, et futuras omnes generationes inficerent, nulla prorsus spe eas aliquando fore eliminandas? Deinde alia honesta media, eaque efficacissima praesto erant quibus veritas Evangelii persuaderetur, et quibus revera factum est ut tam multa hominum millia ex pagana superstitione, depositis omnibus praeiudiciis gravissimisque erroribus, Christianam religionem amplexi fuerint. Demum si factum ipsum inspiciamus, si uti volunt adversarii Christus et Apostoli necessitate compulsi doctrinas quasdam inculcarunt, quid est quod easdem non minus absolute et constanter urgebant cum iis loquentes qui eas aut ignorabant, aut omnino respuebant? Quid est quod Christus Dominus Sadducaeos de resurrectione mortuorum convincere satagebat, quam illi impossibilem esse opinabantur, quid est quod Paulus in areopago Atheniensium philosophorum eamdem veritatem praedicavit, et cur ad Romanos scribens qui nunquam Iudaei fuerant doctrinam peccati originalis, praedestinationis, et gratiae tam vehementer asseruit? In his enim ac similibus casibus nulla minus accommodata fieri potuisset accommodatio.

2° Afferunt Pauli verba 1. Cor. III. 1 et 2 et Hebr. V. 12 ubi dicit se hominibus adhuc *carnalibus* lac potum dedisse, non escam aut solidum cibum, hunc vero reservasse *perfectis*. Iamvero per illam metaphoram *lactis* designari dicunt doctrinam imperfectiorem et carnalibus mentibus, quae praeiudiciis et erroneis opinionibus mancipatae sunt, accommodatam, per *cibum* vero *solidiorem* intelligi doctrinam ab omni errorum admixtione immunem, quam ideo Paulus antea vocaverat absolute *sapientiam,* inquiens 1. Cor. II. 6: « *Sapientiam* autem loquimur *inter perfectos.* »

Resp. Adversarios perperam verba Apostoli exponere. Unde enim probare possunt sub metaphora lactis doctrinam imperfectam

et praeiudiciis admixtam intelligendam esse? Evidens enim est bi de doctrina tantum faciliori, et elementari, cum difficiliori et sublimiori comparata sermonem esse. Id probatur 1° ex ipsa natura metaphorae: lac enim opponitur solido cibo non tamquam malum bono, aut falsum vero, sed tamquam liquidum ac molle duriori, et id quod facilius ei quod difficilius comedi potest. 2° Idem constat ex verborum contextu. Prioris loci contextus hic est: « Et ego fratres non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tamquam parvulis in Christo (ως νηπιοις εν Χριστω) lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis: sed ne nunc quidem potestis, adhuc enim carnales estis. Cum enim sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis? » Unde apparet Corinthios hic non dici carnales (σαρκικους) eo quod erroribus et praeiudiciis occupati essent, quibus proinde Apostolus sese accommodare voluerit, sed tantum ob morales defectus, et Christianarum virtutum inopiam. Clarius etiam hoc apparet ex contextu alterius loci (Hebr. V. 11 et 12). « De quo (Christi sacerdotio) nobis grandis sermo, et ininterpretabilis ad dicendum; quoniam imbecilles facti estis ad audiendum. Etenim cum deberetis magistri esse propter tempus, rursum indigetis ut vos doceamini quae sint elementa exordii sermonum Dei: et facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo. Omnis enim qui lactis est particeps expers est sermonis iustitiae: parvulus enim est. Perfectorum autem est solidus cibus; eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni et mali. » Ubi manifestum est sub metaphora lactis indicari *elementa* evangelicae doctrinae, per solidum autem cibum significari grandiora et profundiora dogmata. 3° Scopus Apostoli in tota Epistola 1. Cor. hic erat ut se defenderet a quibusdam pseudo-apostolis, qui per philosophiam vanamque eloquentiam Corinthios seducentes, excellentiam praedicationis Pauli deprimebant, ex eo quod faciliora dumtaxat, eaque simplici ac rusticiore sermone eis praedicasset: quibus refellendis inter coetera et hoc affert Apostolus, se difficiliora et profundiora non potuisse Corinthiis exponere, quia nondum iis percipiendis idonei erant; ea tamen dicit se cum perfectioribus fidelibus communicasse: « Et sermo meus, inquit, (II. 4 et seqq.) et praedicatio mea non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis

sed in ostensione Spiritus et virtutis: ut fides vestra non sit in sapientia hominum sed in virtute Dei. Sapientiam autem loquimur inter perfectos εντοις τελειοις: Sapientiam vero non huius saeculi, neque principum huius saeculi qui destruuntur: sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est, quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram. » Ex his omnibus clarissime evincitur nullum hic sermonem fieri de erroribus, et de accommodatione iis facta: scilicet non ad accommodationem positive dogmaticam, ut adversarii vellent, sed ad paedagogicam sunt omnia referenda.

3° Instant in factis quibusdam ipsius Apostoli quibus dicunt accommodationem quam volunt manifeste contineri. Ut ex gr: quod Paulus Timotheum circumciderit, in gratiam Iudaeorum qui adhuc necessariam esse circumcisionem falso existimabant (Act. XVI. 3) et quod ob eamdem causam votum nazaraeatus emiserit et publice impleverit (Act. XXI. 23–27), ac denique, 1 Cor. IX 20 seqq., generatim de se ipso affirmaverit: « Et factus sum Iudaeis tamquam Iudaeus, ut Iudaeos lucrarer: iis qui sub lege sunt, quasi sub lege essem (cum ipse non essem sub lege) ut eos qui sub lege erant lucrifacerem; iis qui sine lege erant tamquam sine lege essem (cum sine lege Dei non essem: sed in lege essem Christi) ut lucrifacerem eos qui sine lege erant. Factus sum infirmis infirmus ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum ut omnes facerem salvos. Omnia autem facio propter Evangelium: ut particeps eius efficiar. »

Resp. Omnis haec agendi ratio Apostoli manifeste refertur non ad dogmaticam accommodationem, sed ad moralem, vel forte etiam paedagogicam. Quod quidem non solum suadet character Apostoli aliunde notus, qui tantum aberat a nimia indulgentia seu conniventia, ut potius de contrario excessu a Judaeis insimularetur, sed etiam totius capitis contextus evincit: hic enim loquitur Paulus de licitis quibusdam rebus, ac imprimis de iure percipiendi a fidelibus alimenta, a quo tamen exercendo abstinuit ut omnem amputaret offendiculi occasionem: est ergo moralis praecipua accommodatio quam hic a se adhibitam narrat: « non sum liber? inquit vers. 1 seqq. non sum Apostolus?..... numquid non habemus potestatem manducandi et bibendi? numquid non habemus pote-

statem mulierem sororem circumducendi, sicut et caeteri Apostoli, et fratres Domini, et Cephas?.... quis militat suis stipendiis unquam? quis plantat vineam, et de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat?..... si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus? si alii potestatis vestrae participes sunt, quare non potius nos? sed non usi sumus hac potestate: sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Evangelio Christi.... Nam cum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem. » Mox vero sequuntur verba in obiectione allata. Accedit quod Apostolus hic dicat se ita fecisse ut omnes *lucrifaceret,* idest, salutem eorum promoveret: at si accommodatione positive dogmatica usus fuisset eos potius perdidisset.

4° Obiiciunt quaedam facta et dicta Christi Domini, in quibus exemplum iactatae accommodationis se invenisse putant. Et primo afferunt historiam paralytici Matth. IX. 2 seqq. cui Christus antequam morbum curaret dixit: « Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua » quo dicunt Christum confirmasse praeiudicium apud Iudaeos tunc receptum omnes corporales morbos ab aliquo vel ipsius egroti, vel parentum eius peccato originem habere, cuius erroris in ipsis discipulis vestigium occurrit Io. IX. 2. Deinde afferunt Christi sermonem Matth. XI. 7-15 ubi loquens de Iohanne Baptista ait: « Et si vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est. » Quibus verbis dicunt confirmari commune tunc Hebraeorum praeiudicium Eliam prophetam resurrecturum, seu in mundum venturum ante Messiam (V. Matth. XVII. 10) nempe simul permiscendo ea quae de primo Christi adventu cum iis quae de altero, seu de mundi fine a Prophetis fuerant praedicta.

Resp. Nihil minus ex praedictis locis concludi potest quam quod adversarii volunt. Sane ad primum quod attinet connexio inter morbos et peccata intelligi potest vel in sensu absoluto et generali, veluti si nemo morbis affligi possit nisi propter suum vel parentum peccatum, aut in sensu particulari et concreto de hoc vel illo homine. Porro primo sensu accepta opinio illa procul dubio falsa est, et in ipsis Scripturis refellitur, puta in libro Iobi, et in Epistolis S. Pauli. In altero vero sensu saepe vera esse potest, licet ex eadem Scriptura sciamus aliquando corporales morbos in

poenam peccatorum immitti, quod etiam experientia confirmat. Hac distinctione posita, imprimis dicimus citata Christi verba, si quid probarent, nihil aliud evincere nisi in particulari illo casu paralysim in peccati poenam homini illi accidisse: quod nullam absurditatem, nullumque errorem involvit aut confirmat. Opinionem autem generalem et absolutam, quae vere falsa est, tantum abest quominus Christus confirmaverit, ut potius, cum expresse proposita fuisset, illam directe refutaverit, ut apparet ex Io. IX. 2 et 3, ubi legitur: « Et interrogaverunt eum discipuli eius: Rabbi quis peccavit, hic, aut parentes eius, ut coecus nasceretur? respondit Iesus: neque hic peccavit neque parentes eius: sed ut manifestentur opera Dei in illo. » Nec dici potest ex frequenti, ac simili agendi ratione prius peccata dimittendi, et deinde morbos sanandi indirecte saltem praeiudicium illud Christum confirmasse: non enim frequenter, sed admodum raro ita se gessit, scilicet semel tantum praeter exemplum adductum, cum languidum ad probaticam piscinam sanitati restituit Io. V. 14, quamvis ibi dimissio peccatorum non praecedat, sed tantum monitum subsequatur: « Ecce sanus factus es: iam noli peccare ne deterius tibi aliquid contingat. » Verum nimis concessimus adversariis admittentes Christum laudatis verbis pro casu illo particulari ostendisse nexum inter morbum et peccatum. Quid enim si remissio peccatorum a Christo praemissa fuerit non ad morbi causam removendam, sed potius tamquam conditio quaedam ad recipiendum beneficium sanitatis? Denique omittendum non est in hac ipsa narratione aliquid occurrere, quod contra adversariorum hypothesim retorqueri possit. Erat enim Scribarum et Pharisaeorum praeiudicium potestatem remittendi peccata non posse hominibus communicari (Luc. VII. 49). Iamvero Christus hoc refellit, et Scribas ad silentium redigit in hoc ipso loco, cum enim paralytico dixisset: remittuntur tibi peccata tua « Et ecce quidam de Scribis (prosequitur textus), dixerunt intra se: hic blasphemat. Et cum vidisset Iesus cogitationes eorum dixit: ut quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quid est facilius dicere: dimittuntur tibi peccata tua, an dicere: surge et ambula? Ut autem sciatis *quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata,* tunc ait paralytico: surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam. Et surrexit et abiit in domum suam. Vi

dentes autem turbae timuerunt, et glorificaverunt Deum *qui dedit potestatem talem hominibus.* »

Paulo implicatior est alter locus de adventu Eliae prophetae: nihil tamen ex eo deducere possunt adversarii pro sua hypothesi, siquidem distinguendum est inter Eliam antiquum prophetam in sua persona spectatum, et Eliam per similitudinem quamdam ita vocatum, qui fuit Iohannes Baptista spiritu et virtute Eliae similimus iuxta illud Gabrielis Archangeli dictum ad Zachariam eius patrem Luc. I. 17: « Et ipse (Iohannes) praecedet ante illum in spiritu et virtute Eliae: ut convertat corda patrum in filios, et incredulos ad prudentiam iustorum, parare Domino plebem perfectam. » Iudaei quidem perperam applicantes Eliae prophetae vaticinium Malachiae (IV. 5 et 13) in hanc opinionem venerant, ut crederent antiquum illum prophetam ante Messiam in mundo appariturum fuisse, quod Malachias de Iohanne Baptista praedixerat. At Christus Dominus id nunquam approbavit, imo manifeste refutavit Matth. XVII. 10-13 duos Elias satis clare distinguens, alterum nempe proprie dictum, quem nondum venisse affirmabat, alterum per similitudinem quem iam venisse concedebat, idest Iohannem Baptistam. Sermonis contextus id certissime evincit, ita enim legitur: « Et interrogaverunt eum discipuli, dicentes: quid ergo Scribae dicunt quod Eliam oporteat primum venire? at ille respondens ait eis: Elias quidem venturus est, et restituet omnia. Dico autem vobis quia Elias iam venit, et non cognoverunt eum, sed fecerunt in eo quaecumque voluerunt. Sic et filius hominis passurus est ab eis. Tunc intellexerunt discipuli, quia de Iohanne Baptista dixisset eis, » tantum abest quominus in illo Scribarum errore confirmati fuerint. Eodem igitur sensu accipienda sunt obiecta verba Matth. XI. 14, ubi Iohannes dicitur Elias: quinimo ibi etiam implicite refellitur falsa opinio, de qua loquimur, eo ipso quod de Iohanne Baptista explicatur Malachiae vaticinium quod Scribae de propheta Elia interpretabantur: ait enim ib. 9 seqq. « Sed quid existis videre? Prophetam? etiam dico vobis, et plusquam prophetam. Hic est enim, de quo scriptum est: ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui praeparabit viam tuam ante te..... Omnes enim prophetae et Lex usque ad Iohannem prophetaverunt: et si vultis recipere (ει θελετε δεξασθαι) ipse

est Elias, qui venturus est. » Ipsa formula, *si vultis recipere,* idest, si ita vobis placet accipere, satis ostendit Christum Dominum in auditorum opinionem non concessisse, sed quasi ad hominem loquutum eam implicite correxisse, quasi diceret: vos existimatis Eliam ante Messiam venturum esse; esto quidem, sed sciatis hunc non esse Eliam proprie dictum, sed hunc Iohannem Baptistam, qui merito alter Elias dici potest.

5° Urgent responsum Christi duobus filiis Zebedaei, eorumque matri, quae ab eo poposcerat: « Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram in regno tuo; » quae interrogatio involvebat pervulgatum tunc Iudaeorum errorem de futuro regno temporali Messiae: Christus autem hunc errorem non refellit, sed confirmat respondens: « Sedere autem ad dexteram meam vel sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo. » (Matth. XX. 20-23).

Resp. hoc esse exemplum accommodationis ad summum negative dogmaticae: scilicet Christus Dominus commiseratus ignorantiam, et imperfectionem mulieris, eiusque filiorum in praesentiarum omittit directam refutationem illius praeiudicii, quod in eorum animis latebat, eam ad opportuniorem occasionem reservans: interim vero indirecte de eius falsitate monet duos fratres; audito enim propositione statim respondet: « Nescitis quid petatis, » deinde ab idea temporalis regni eorum mentem avertit subdens: « Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei possumus. Ait illis calicem quidem meum bibetis, » quo nomine intelligebat passionem et mortem suam, cuius imitatores futuri erant duo illi Apostoli, quasi diceret: vos quaeritis a me temporalem dignitatem, ego autem vobis praedico opprobria ac passionem. Pulchre Chrysostomus a hunc locum Hom. LXVI. in Matth. « Et adiecit (Christus): potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum, et baptismo quo ego baptizor baptizari? perpendis quomodo statim ab hac opinione ipsos removit, contraria eis disserens. Nam vos, inquit, de honoribus et coronis mecum agitis, ego vero de luctamine atque sudore dissero. Non praemiorum hoc tempus est, nec illa gloria mea modo apparebit: sed caedis ac periculorum tempus praesens est. » Nulla ergo positiva erroris confirmatio hic confingi potest.

6° Demum adversarii putant suum interpretationis systema con-

firmari Apostoli verbis 2 Cor. III. 6: « Litera enim occidit, spiritus autem vivificat, » idest, inquiunt, literalis et grammatica Scripturae interpretatio saepe falsa et perniciosa est, spiritualis vero seu philosophica in sensu ab eis exposito lucem ac vitam affert. Quo etiam trahere volunt sequentia verba vers. 17: « ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas ».

Resp. 1° Etiamsi Apostoli sermo ad Scripturae interpretationem referendus esset, quis adversariis concederet eum condemnasse literalem Scripturae sensum, et commentitium illum a rationalistis inductum laudasse? Quis unquam nomine *spiritus* intelligeret philosophiam et rationis principia in sensu adversariorum, cum Paulus revelationem divinam et mysteria ubique praedicet? Quis denique *libertatem* ab Apostolo laudatam confundat cum intollerabili illa licentia qua adversarii Scripturam tractandam esse docent, ut alia quidem recipiant, alia vero repudient quae in ea leguntur, iuxta suum iudicium, seu potius arbitrium? Verum 2° negamus omnino hic sermonem esse de Scripturae interpretatione sive literali, sive spirituali. Contextus enim evidenter docet nomine literae occidentis hic intelligi Veterem Legem, quatenus efficacia interna homines iustificandi, et gratiam conferendi carebat, nomine vero spiritus designari Legem Evangelicam, quatenus est lex gratiae. Ita enim loquitur v. 6 seqq.: « Qui (Deus) et idoneos nos fecit ministros Novi Testamenti: non litera, sed spiritu: litera enim occidit, spiritus autem vivificat. Quod si ministratio mortis literis deformata in lapidibus fuit in gloria, ita ut non possent intendere filii Israel in faciem Moysi propter gloriam vultus eius, quae evacuatur: quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria? » Idest si lex vetus cum tanta gloria ac pompa promulgata est, tantoque honore affectus est ille, per quem promulgata fuit, quanto maior esse debet gloria Novae Legis, eiusque ministrorum! Hoc etiam sensu libertas esse dicitur ubi est Spiritus Domini, scilicet in Lege Nova quae tota spiritualis est et in libertatem filiorum generans cum contra Lex Vetus magis externa et quodammodo materialis erat lex timoris et servitutis, quemadmodum idem Apostolus explicat Rom. VIII. 15: « Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, pater ». Et similiter Gal. IV. 24 commemo-

rata historia duarum uxorum Abrahami: « Quae sunt, inquit, per allegoriam dicta: haec enim sunt duo testamenta. Unum quidem in monte Sina in servitutem generans, quae est Agar.... illa autem quae sursum est Ierusalem, libera est, quae est mater nostra.... itaque, fratres, non sumus ancillae filii, sed liberae, qua libertate Christus nos liberavit ». De philosophica et libera Scripturae interpretatione ne verbum quidem.

§. II De systemate Kantiano *Interpretationis moralis.*

Emmanuel Kant notissimus philosophus Regiomontanus (Königsberg) postquam certitudinem obiectivam omnium humanarum cognitionum evertere conatus fuerat per suam *Criticam rationis purae,* ad revelationis etiam et sacrae Scripturae scientiam se convertit, novoque inducto systemate quidquid supernaturale est e sacris Libris eliminavit. Systema hoc a Kantio exponitur in opere: *Religio intra limites rationis purae.* Konigsberg ed. 2ª 1794 (germanice), et sub nomine systematis *Interpretationis moralis* a criticis agnoscitur. Eius summa ita proponitur a Laur. Bauer uno ex rationalistarum primoribus, et magno Kantii admiratore, licet in hoc cum debita reverentia ab eius opinione recedat. Sacrae Scripturae textus, sive historici, sive dogmatici, sive prophetici aut alterius cuiusve argumenti, sensu *morali* exponendus est, seu iuxta principia ethica rationis purae, quamvis eiusdem sensus nulla adsit hermeneutica ratio, imo etiamsi repugnet manifeste contextus aut mens auctoris. Omnia igitur mysteria, miracula, imprimis vero totus legis supernaturalis ac revelatae complexus nihil prorsus facienda sunt iuxta historicum et grammaticum sensum, sed unice attendendum est ad moralia documenta, quae ex illis quomodocumque erui possunt. Unde principium fundamentale Hermeneutices biblicae hoc esse contendit: sensus moralis, neglecto etiam literali, ubi opus fuerit, semper investigandus et exponendus est, seu aliis verbis: sensus moralis, quamvis vel invito contextu eruatur, literali est praeferendus, ubicumque is virtutis studium vel non promovet, vel impedit; tale autem esse contendit quidquid ordinem naturalem, et rationis principia supergreditur. Huiusmodi systema non modo a Catholicis, sed etiam a Protestantibus passim reiicitur. Contra illud esto

THESIS XVII.

Systema interpretationis moralis a Kantio excogitatum arbitrarium, absurdum, ipsoque interpretationis nomine indignum est.

1° Kantiana interpretationis methodus duplici innititur falso supposito, scilicet 1) Religionem nonnisi moralia principia continere debere, 2) in sacris Scripturis multa inveniri quae si accipiantur secundum sensum historicum et literalem cum moralibus principiis conciliari non possint. Porro utrumque falsum est, alterum vero etiam impium ac absurdum. Primum quidem tum a priori tum a posteriori falsum esse constat. Religionis enim officium cum sit hominem Deo coniungere et ad suum finem adducere, cumque homo rationale simul ac liberum ens sit, oportet ut religio simul cum praeceptis atque officiis implendis veritates etiam ei proponat intelligendas vel credendas, puta circa divinam naturam eiusque attributa, circa humanae animae proprietates, dignitatem ac destinationem, rerumque mundanarum originem ac finem, nam sine horum cognitione nec ipsae morales leges rationabiliter ab homine observari possent: si vero de religione positiva seu revelata agatur, praeter ea quae ex lumine rationis de his obiectis cognosci possunt, quaeque etiam declarari, confirmari, ac plenius sanciri oportet, alias etiam veritates necesse est promulgari quae mentem humanam perficiant, atque muniant, eamque supernaturali ordini idoneam reddant. Si vero factum ipsum spectemus, nulla unquam fuit religio sive vera sive falsa, quae non contineret praeter moralia officia etiam dogmata quaedam tenenda ac credenda, in specie vero mosaica et Christiana religio quae in sacra Scriptura continetur partem speculativam ac dogmaticam aeque ac practicam complectitur, et utramque a suis cultoribus omnino requirit, dicente Christo Mar. XVI. 16: « Qui *crediderit,* et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero *non crediderit* condemnabitur. » Et Paulus ait Hebr. XI. 6: « Sine fide autem impossibile est placere Deo ». Alterum vero suppositum non minus impium quam absurdum est. Cum enim certissimis argumentis demonstretur utriusque Testamenti Libros divinam revelationem continere, haec autem non possit sanae ratio-

nis principiis contradicere, impossibile omnino est, et divinae sapientiae ac sanctitati repugnat aliquam in iis doctrinam insinuari, quae sanae rationis principiis contradicat. Scilicet adversarius more solito rationalistarum confundit id quod *supra* rationem est cum eo quod est *contra* rationem, cum tamen haec maxime differant: confundit etiam relativam et negativam imperfectionem Legis antiquae cum positivo et absoluto vitio, quod nullatenus admitti potest. Lex enim Mosaica a Deo profecta est, ideoque nihil docere aut praecipere potuit quod absolute repugnaret bonis moribus aut sanae rationi: attamen cum ea non esset nisi figura perfectioris legis, eiusque officium esset tantum populum carnalem ac durae cervicis praeparare ad puriorem et perfectiorem legem suo tempore suscipiendam, evidens est eam cum Lege Evangelica, quam adumbrabat, comparatam minus perfectam videri ac esse, et in multis doctrinae ac morum capitibus a Christo Domino completam, declaratam, et ad maiorem perfectionem adductam fuisse. Doctrina vero haec a Christo et Apostolis promulgata nec absolute nec relative imperfecta dici potest, sed undequaque purissima, ac sublimissima, quaeque hominem ad summum moralis perfectionis gradum evehere potest, quemadmodum ipsi increduli rei evidentia convicti saepe fateri non dubitarunt.

2° Verum ne nomine quidem interpretationis digna est Kantiana methodus. Interpretari enim, ut saepe dictum est, significat illud ipsum intelligere atque exponere quod auctor dicere voluit, non autem, eo reiecto, aliud quidpiam ei substituere. Hoc autem est quod adversarius faciendum esse docet. Idque etiam citatus Bauer in Kantiano systemate reprehendit, eoque nomine illud reiiciendum putat, quod « Haec interpretandi ratio non diversa est ab ea, quam Graecorum et Romanorum philosophi in explicandis mythis suis, antiquioribusque de diis narrationibus, aliorumque populorum doctores in libris, quos sacros existimant, exponendis sectati sunt. »

3° Hinc sequitur aliud argumentum ab absurdis. Si enim sola ratio ac philosophia sensum Scripturae affingendum docere debeat, unusquisque videt, ut recte monet Ranolder « sic quaecumque imaginationis somnia ac portenta bibliis affingi posse; ut nihil dicam de opinionibus philosophorum perpetuo fluctuantibus, et sin-

gulis fere decenniis variantibus, cum ex adverso doctrina divinitus revelata, tamquam verissima, eadem sit aeternum et immutabile ».

Quae adversarii obiiciunt ad suum systema fulciendum fere praeoccupata sunt in argumentorum expositione. Quod autem dicunt Patrum Ecclesiae exemplo interpretationem suam moralem confirmari, absonum omnino est. Moralis enim interpretandi ratio a Patribus usurpata toto coelo differt ab ea quam Kantius invexit. Illi enim morales aliquando sensus ex historiis vel doctrinis biblicis eruere satagunt, supposito tamen vel saltem non negato literali et historico locorum illorum sensu; et si quando *literalem* sensum excludunt, recolendum est, eos hoc nomine intellexisse solum propriam verborum significationem, quae revera aliquando non est ab auctore intenta: Kantius vero generatim praecipit literalem sensum reiicere, quem fatetur a sacris Auctoribus intentum fuisse, et alium inducere quem illi non intenderunt.

§ III. De Systemate *interpretationis mythicae.*

Pauca de historia huius systematis praemittenda sunt. Saeculo elapso usus invaluerat apud literatos et criticos praesertim Alemannos philosophice explicandi mythos, seu fabulas in antiquis diversarum gentium libris narratas et in carminibus veterum poetarum obvias, ita ut Heyne absolute affirmaverit « *a mythis omnem priscorum hominum cum historiam, tum philosophiam procedere.* » (1) Contendebant scilicet docti isti viri in fabulis ac mythologiis Orientalium, Graecorum et Romanorum distinguendam esse historicam a philosophica veritate, illam quidem admittendam non esse nisi ex parte tantum, quatenus figmenta mythica plerumque historico fundamento innixa ac veluti superstructa dicenda sint, philosophicam vero veritatem dicebant saepe latere sub mythorum cortice, quam proinde oporteret iuxta sanam criticam, philosophiae principia, et singularum gentium indolem, culturam atque historica

(1) Hic Gottingensis Professor praecipuam partem habuit in hoc systemate per Germaniam propagando. V. Chr. G. Heyne *Opuscula Academica.* Eum sequuti sunt Herrmann, Creuzer, Müller aliique. Ex mythologiis paulatim haec methodus translata fuit ad libros historicos Graecorum, et Romanorum opera praesertim Wolfii, et Niebuhr, unde facilis erat transitus ad sacrae Scripturae libros pro iis scilicet qui iampridem Divinam Scripturae inspirationem in dubium revocaverant, aut omnino negaverant.

adiuncta sollicite investigare atque eruere. *Mythum* igitur vocarunt: historiae alicuius aut veritatis philosophicae et religiosae symbolicam repraesentationem sub forma absolute historica, sive ex parte, sive undequaque falsa propositam. Quibus verbis satis aperte distinguitur mythus, prout hic sumitur, a *fabula* vel *apologo*, nec non ab *allegoria* vel *parabola*. In his enim omnibus non habetur forma absolute historica, et lector facile animadvertit narrationem confictam esse, et per modum signi tantum, seu figurae adhiberi ad aliquid aliud repraesentandum, seu significandum: contra vero in mythis proprie dictis contendunt formam ita absolute historicam esse ut secundum ordinarias interpretandi leges ceu vera historia accipienda esset, quod tamen ob philosophicam considerationem, novumque systema a se excogitatum cavendum esse docent. Mythos hosce distinguunt in *historicos, philosophicos, poëticos* et *mixtos*. Vocant *historicos* narrationes antiquas de rebus vere gestis multis tamen figmentis et prodigiosis praesertim adiunctis exornatas, ac veluti indutas: *philosophicos* mythos, seu, uti loqui amant, *philosophemata* dicunt esse priscorum sapientum de rebus abstrusioribus, imprimis religiosis ac moralibus opiniones ac sententias historico quodam involucro seu habitu donatas; *poëticos* mythos vocant narrationes vel omnino ex poëtarum imaginatione exortas, aut saltem poëticis formis et figmentis ornatas: *mixtos* denique vocant illos qui de duobus prioribus aut de omnibus simul speciebus participant. Haec fuse pertractant, copiosisque exemplis illustrant Damm in lexico homerico ad vocem μυθος, Bauer in lib. I. suae Symbolica Mythologiae, Wegscheider Instit. Theologiae dogm. Prol. cap. I § 8, aliique satis multi. Hucusque nihil absurdi critica ista methodus praeseferebat. Attamen sub finem elapsi saeculi saepius memoratus Eichhornius in suo *Repertorio literaturae Biblicae et Orientalis*, et in *Historia Primitiva*, ac demum in *Introductione in V. T.* mythicum systema in sacrae Scripturae interpretationem inducere ausus est, animadvertens nullam esse causam cur, si omnium gentium libri a mythis incipiunt, non credamus etiam in Iudaeorum libris id factum esse (1). Itaque prima Geneseos ca

(1) Citatus Heyne expresse declaraverat mythicam interpretationem, e formulam a se enunciatam de mythis in omnium gentium historia ac religione admittendis nulla ratione ad sacros Libros et ad Hebraeorum histo

pita, seu Mosaicas narrationes de mundi atque hominis creatione, de protoparentum felicitate, ac lapsu aliaque ibidem proposita tamquam mythos, seu historicos, seu philosophicos habendas esse insinuavit, et mythica interpretatione exponendas. Ultra progredi non est ausus. Quod tamen ipse non fecit statim praestiterunt alii rationalistae, ut Vater, Gabler, De Wette aliique plurimi qui in biblica exegesi systema, uti vocant, *interpretationis mythicae* avide exceptum excoluerunt, scriptis exornarunt, et ad omnes libros historicos V. T. sine ulla exceptione extenderunt. Horum itaque sententia est, omnia facta prodigiosa seu supernaturalia quae in libris V. T. narrantur non esse historice pro veris habenda, sed ut ex parte, aut ex integro conficta, vel popularibus praeiudiciis et figmentis commixta, ita ut interpretis sacri officium sit, critice quidem vera a falsis discernere; philosophice autem sub figmentorum mythicorum cortice latentem veritatem detegere: in hoc autem negotio nullam aliam normam sequendam esse dicunt praeter rationem uniuscuiusque philosophica scientia et archaeologica eruditione imbutam, quo fit ut tandem aliquando nihil in Scripturae sacrae narrationibus uti verum admittendum sit quod vel rationis captum, vel naturae vires excedat. Hoc systema auctores hucusque citati libris tantum V. T. interpretandis adhibuerant. Bauer tamen in sua mythologia ad libros etiam N. T. illud extendere coepit: eum vero coeterosque mythicos temeritate et impietate superavit Strauss totam evangelicam historiam in mythum convertere ausus in opere saepius citato: *Das Leben Jesu* Tubingae 1835. Hic mythorum hypothesim extendit ad praecipua Christi Domini facta, imprimis prodigiosa ab Evangelistis relata. Cum autem videret nimis absurdum et incredibile mythos supponere in narrationibus a coaevis et immediatis testibus conscriptis, fundamenti loco statuit Evangelia non esse genuina, sed serius tandem circa medium saeculum II ex populari traditione conflata, et scripto mandata ab incertis auctoribus fuisse. Quo posito fundamento, ita suum systema adornavit. Christus Jesus vir fuit singulari sapientia ac virtute praeditus, qui conatus est Iudaeos ad puriorem ac saniorem reli-

iam extendi posse. Verum non omnes eius declarationi acquiescere, aut eius moderationem imitari parati erant; hinc paulo post ex profana ad sacram historiam mythica interpretatio sine ulla haesitatione porrigi coepit.

giosam, moralemque doctrinam revocare: cum autem eius agendi ratio minime responderet imagini Messiae, quam Iudaei ex Prophetarum scriptis sibi effinxerant, gentis suae conversionem ad effectum perducere non potuit, et ab eis morti addictus est. Plures tamen extiterunt qui eius sapientia ac sanctitate permoti religionem ab eo praedicatam amplexi sunt, et post eius mortem propagare ac stabilire satagerunt. Horum discipulorum admiratio erga Christum tanta erat, ut ei indiscriminatim applicaverint quidquid in Prophetis legerant de promisso Messia, et de portentis ab eo patrandis, additis quoque iis quae Hebraeorum imaginatio, aut superstitio characteri Messiae addere solebat. Hinc sensim sine sensu decurrente aetate, gesta Christi coeperunt in ore Christianorum in prodigia transformari, et multae huiusmodi narrationes circumferri ac demum divina natura Christo tribui. Ita res se habuerunt usque ad dimidium circiter saeculi II, quando historia haec popularis vitae Jesu longe lateque propagata, et sine examine tamquam vera admissa scripto consignata est in quatuor libris quae dicuntur Evangelia. In his igitur non omnia historice accipienda sunt, sed quaedam prodigiosa facta habenda sunt ut mythi philosophici sed puri, qui veritatem aliquam religiosam sub historica forma omnino conficta repraesentant, qualem dicit Strauss esse historiam Transfigurationis: aliae narrationes continent mythos historicos, idest vera quaedam facta, multis tamen figmentis et adiunctis prodigiosis ornata; demum alia ab ipsis scriptoribus Evangeliorum addita supponit ad historiae verosimilitudinem et nexum inducendum, quem admodum in *legendis* fieri solet (Op. it. Introd. §. XV.). Hanc omnia prae oculis habens interpres N. T. hoc unum curabit ut veram historiam Christi a mythico involucro secernat, et exinde Christianorum opiniones ac doctrinas eruat. Praefatum systema, quo tota Christiana religio a fundamentis convellitur, avide exceptum fuit a plurimis hodiernis incredulis per Germaniam, Angliam, Gallia, quos inter praecipuam adeptus est famam Ernestus Renan in sua *Vita Jesu*. Hic auctor minus logicus, sed callidior quam Strauss, Evangeliorum genuinitatem quodammodo admisit, et historico elemento plus concessit substituens mythis proprie dictis *legendas*, stylo etiam ac forma scribendi minus gravi ac scientifi

quam germanus professor usus est, ideoque plures quam ille lectores et laudatores habuit.

Huc igitur res pervenerunt per istam scholam, quae iam Tubingensis vocari solet, quae omnia revelatae religionis criteria subvertit. Oportet igitur in huius systematis refutatione paullisper immorari.

THESIS XVIII.

In historicis Sacrae Scripturae narrationibus, imprimis miraculorum, repudianda prorsus est ea interpretandi methodus ab hodiernis rationalistis passim recepta, qua mythico, *ut aiunt,* cortice *aut involucro, idest portentosa specie illas exuendas esse docent, ut genuinae puritati restitutae naturali suo habitu proponantur, aut latentes sub iis veritates exquirantur atque eruantur.*

Refutatio mythici systematis paulo diversa est prout illud respicit libros aut V. aut N. T. Oportebit igitur haec distinguere: cum vero contra mythos N. T. alias disputatum sit (Introd. crit. Par. I Thes. XIX) satis erit de his pauca in mentem revocare, praecipue vero de mythis in V. T. non admittendis hic agemus.

I. Mythica interpretatio in libris V. T. admitti nequit. Argumenta quibus id ostenditur ad duo revocabimus.

Arg. 1^m^ Desumitur ex dictis de authentia et veracitate librorum V. T. Sane cum auctores coaevi, vel quasi coaevi, ac omnimoda fide digni affirmant se veram historiam narrare, tamquam vera facta habenda sunt ea quae referunt, nec licet ea tamquam mythos seu fabulas traducere. Atqui auctores V. T. hac ratione biblica facta referunt. Ergo.

Recolantur quae alias exposuimus de Libris et Auctoribus V. T. Plerique ex istis coaevi sunt rebus quas narrant: plures etiam immediati testes fuerant, et earumdem rerum vel participes vel auctores. Hi saepe affirmant se vidisse et audisse ea quae narrant, quae quidem publica facta sunt, et ad testes adhuc superstites auctores appellant. Qui vero paulo post rerum eventum scripserunt antiquiorum testium fidem invocant, et documenta coaeva ac pu-

blica vel exscribunt, vel citant, et lectores ad ea remittunt. Evidens ergo est eos voluisse veram historiam narrare. Fidem vero eis habendam esse apparet tum ex circumstantiis in quibus scribebant, ut modo vidimus, tum ex personali eorum ac morali charactere omni exceptione maiore, qui tum aliunde notus est, tum ex ipsis libris evidenter elucet.

Arg. 2^m^ Ipsa factorum natura quae in V. T. narrantur adversariorum hypothesi contradicit. Coeteris omissis, satis erit duo animadvertere, scilicet nexum historiae biblicae cum veritatibus religiosis, et cum principiis rationis, et nexum inter varias eiusdem historiae partes: haec enim duo historiae veritatem confirmant, ac mythos excludunt. Ad primum quod attinet narrationes omnes biblicae, quamvis saepe portenta referant, non solum carent omnibus absurdis atque impiis opinionibus quae in fabulis aliarum gentium continentur et supponuntur, non solum nihil praeseferunt quod humanae mentis dignitati aut morum puritati repugnet, sed apprime tendunt ad hominem elevandum, erudiendum et in virtutis semita dirigendum. Quod vero pertinet ad historicum nexum, clarissime patet omnes eventus in V. T. narratos arctissime inter se cohaerere ita ut praecedentes subsequentium rationem in se contineant, et hi sine illis explicari nullatenus possint. Ita ex. gr. protoparentum historia rationem suppeditat narrationi corruptionis humani generis, haec rursum diluvii explicationem praebet, et alterius hominum propagationis ex filiis Noe, dispersio populorum: quemadmodum cum praecedentibus connectitur, ita subsequenti historiae vocationis Abrahami, et electionis populi hebraici occasionem et explicationem tradit, haec rursus connectitur cum promissione ipsis protoparentibus facta de futuro Reparatore: Patriarcharum historia in omnibus suis partibus cohaerens est, et cum omnibus eventibus Hebraeorum, qui usque ad Christi adventum locum habuerunt, et in sacris Libris narrantur intime connectitur. Insuper notandum connexionem istam inveniri non modo in praecipuis factis, sed etiam in minoribus et in secundariis rerum adiunctis: imprimis vero observatione dignus est mysticus ac typicus nexus, quo fit ut antiquiores eventus, res ac personae posteriorum et imprimis Christi Domini historiam, praerogativas, et muneras adumbrent et praefigurent, idque tanta frequentia, tanta certitudine

ac evidentia, ut casui nullatenus tribui possit. Iamvero haec certa ndicia sunt veritatis historicae, nec cum mythica fictione conciliari possent.

Haec autem clarius apparebunt ex solutione argumentorum quae a fautoribus mythismi adduci solent.

Obiic. 1° Omnium gentium historiae a mythis incipiunt. Imo iuxta divisionem Varronis, omnis historia in tres epochas, seu, ut ipse ait, in triplex aevum dividenda est, quorum primum vocari potest obscurum (ἀδηλον), cuius nempe nulla certa memoria superest, sed confusae tantum et vagae notiones, alterum mythicum (μυθικον) de quo scilicet multa narrantur, sed fabulis commixta et ornata, tertium denique historicum (ιστορικον), ad quod certae ac genuinae factorum narrationes documentis, ac monumentis firmatae pertinent. Cur igitur ab hac lege eximendi erunt Hebraei, cum potius gravior adversus eos suspicio oriatur considerata eorum ignorantia, superstitione et minori ingenii animique cultura, si cum Graecis, Romanis, Persis, Aegyptiis aliisque populis comparentur ? Haec adversarii.

Resp. tamen divisionem illam trium aetatum, etiamsi admitti posset pro historiis ac libris aliarum gentium, de quo hic non quaerimus, nullatenus tamen pro Hebraeis admittendam esse. Sane, velint nolint adversarii, concedere debent Hebraeos singularem prorsus gentem fuisse, et sub speciali quodam ordine divinae providentiae fuisse constitutam. Si alia argumenta deessent, nonne ad hoc ostendendum sufficeret puritas atque sublimitas moralis ac religiosae doctrinae, quam Hebraei semper professi sunt, et in suis libris deposuerunt, quae quidem tam longe superat omnium aliarum gentium, et ipsorum philosophorum systemata, ut ipsi adversarii eius praecellentiam fateri debuerint? Si Hebraei tam rudes fuerunt, et tam inferiori ingenio ac cultura comparati cum aliis gentibus, explicent adversarii phoenomenon illud sine speciali aliqua Dei providentia ac revelatione. Quae si semel admittatur nulla erit difficultas in recipienda historica veritate biblicorum eventuum: hi enim partim explicant, partim continent supernaturalem illum Divinitatis influxum, sine quo vidimus non posse intelligi moralem ac religiosam Hebraeorum indolem ac conditionem. Concedant igitur aevum obscurum ac mythicum in Hebraeorum

historia non inveniri. Accedit omnes aliarum gentium libros etiam antiquissimos, ut sunt Sinensium, Indorum et Persarum sacra volumina, multis saeculis posteriores esse plerisque Hebraeorum libris: quapropter horum auctores aut coaevi erant eventibus quos narrant, aut non longe ab iis distabant, historici vero seu mythologi profani cum de priscis aetatibus scribebant nonnisi ex incertis rumoribus, ac popularibus traditionibus earum rerum notitiam hauserant, quae multis ante saeculis accidisse dicebantur. Quare si isti ob certae scientiae defectum vera falsis miscuerunt, nemo iure concludere posset etiam sacris Hebraeorum scriptoribus idem contigisse.

Obiic. 2° Humanae naturae conditio fert, ut memoria factorum per vulgi traditionem propagata, ac conservata sensim sine sensu corrumpatur, et figmentis admisceatur. Quod quidem magis valet de priscis hominibus, qui scientiarum cultura et adminiculis carebant, et imprimis de Orientalibus qui ob ferventioris imaginationis aestum antiquas rerum narrationes facilius corrumpere debuerunt, et simpliciores eventus paullatim in portenta convertere. Ergo fieri non potuit quin scriptores V. T. cum haec scripto consignarent, aliquos saltem mythos historiae immiscerent.

Resp. imprimis distinguendum esse inter historiam quae in libro Genesis continetur, et historiam quam continent alii quatuor Moysis, et reliqui V. T. libri. Si enim agatur de omnibus his alterius ordinis libris obiectio urgeri non potest: horum enim auctores facta narrant non ex antiqua populari traditione hausta, sed coaeva, quibus ipsi plerumque interfuerant, aut saltem quasi coaeva quorum adhuc non solum memoria, sed etiam monumenta aut scripta historia extabat, ad quos fontes confidenter appellant. Quod si adversarii negaverint genuinos esse libros V. T. quemadmodum plerique eorum existimant, eos remittemus ad introductionem criticam: quamvis impossibile non esset etiam praescindendo a singulorum librorum genuinitate historiae biblicae veritatem vindicare. Si vero de libro Genesis sermo sit, licet concedamus in eo historiam narrari eorum quae multis saeculis ante Moysen eiusdem libri scriptorem acciderunt, tamen negamus rerum illarum notitiam certam et incorruptam ad Moysen pervenire non potuisse. Ne autem dicta repetamus adversarios remittimus ad Introd. crit. Sect. II. Cap. IV.

Thes. XXXVII, ubi pluribus ostendimus imprimis traditionem de rebus in Genesi narratis et incorruptam conservari potuisse, et facile a Moyse discerni potuisse si quid falsi in eam irrepsisset, deinde praeter traditionem alia quoque monumenta imprimis ad Patriarcharum historiam spectantia eidem praesto fuisse, quibus rerum notitia confirmari ac illustrari poterat.

Instant 3° examine instituto in narrationibus biblicis, praesertim Pentateuchi et libri Iosue, apparet eas maximam analogiam praeseferre cum paganorum fabulis. Ita historia paradisi terrestris cum aurea poetarum aetate convenit; diluvium in Genesi, et pariter in Sinensium et Graecorum mythologia locum habet, frequentes angelorum ac numinis apparitiones utrobique observantur, gigantes in Genesi et in paganorum libris commemorantur, mira Samsonis facta cum Herculis historia comparari possunt, et ita in pluribus aliis. Aut igitur omnia ut vera habenda sunt, tum scilicet paganorum fabulae tum biblicae narrationes, aut si illae tamquam mythi habentur, idem de istis dicendum erit.

Resp. Inter fabulas paganorum et narrationes biblicas tantum intercedere discrimen, ut non solum nihil exinde concludi possit adversus harum veritatem, sed potius eadem validissime confirmetur. Aliquam intercedere similitudinem inter utrumque narrationum genus non negamus: contendimus tamen talem ac tantam esse differentiam inter biblica facta et poetarum figmenta, ut haec quidem mythicam, illa vero prorsus antimythicam, seu vere historicam indolem praeseferant. Coeteris omissis, ut de tempore quo libri sive sacri sive profani apparuerunt, de fontibus unde utrique hauserunt, aliisque quae superius observata sunt, hic duo praecipua discriminis capita urgebimus. Itaque differunt biblicae narrationes a paganorum mythologiis 1° ratione materiae seu argumenti. Totum substratum, ut ita dicam, mythologiarum sunt errores absurdissimi polytheismi et anthropomorphismi; scilicet deorum ac dearum multitudo, connubia, generationes, lites ac foedera, passiones demum atque etiam vitia turpissima, quibus omnibus sublatis corrueret tota veterum mythologia: alii quoque errores iis communes sunt circa hominum genus, eius originem, destinationem, divisionem, in quibus praeter absurdas hypotheses de animarum emanatione a divina substantia, vel de naturali filiatione illustriorum virorum a diis et deabus,

multa quoque evidenter conficta occurrunt de scientiarum ac artium origine, quae plerumque ab aliquo numine, et a prodigioso quodam divino interventu repetuntur; quod valet etiam de urbium aut gentium originibus: denique si spectetur moralis character ac effectus mythologici systematis, is talis erat qualis expectari poterat ab absurdissima illa errorum religiosorum congerie; scilicet tantum abest quominus systema illud religiosum mentem elevaret, hominem ad Deum duceret, vitia ac inordinatos animi motus comprimeret, virtutisque moralis studium promoveret, ut contra humanae dignitati maxime derogaret, divinitatis conceptum ac debitam ei reverentiam labefactaret, omnibus denique vitiis atque effroenatae licentiae et viam aperiret, et fomitem subministraret, quemadmodum historia paganae societatis apud Graecos, Romanos atque Orientales satis et abunde confirmat: hinc est quod ipsi Graecorum ac Romanorum sapientissimi et gravissimi viri omnia illa vel prorsus irridebant, vel saltem, spreto historico eorum involucro, conabantur ea ad meliorem sensum utcumque pertrahere. Quis vero audeat cum his comparare narrationes biblicas? quae quantumvis mirae ac portentosae sint aliquando, semper tamen et divinae naturae unitatem, et infinitam eius simplicitatem, omniumque attributorum perfectionem ac complexum ubique supponunt, ac praedicant, et humanae rationis ita assignant vires ac limites, ut nec ex una parte divinum interventum obtrudant ubi necessarius non est, nec ex alia hominem oblivisci permittant absolutae subiectionis ac dependentiae quam a Deo habet tum respectu habito ad privatam uniuscuiusque agendi rationem, tum ad publicam et politicam gentium conditionem, vicissitudines ac relationes: denique totam biblicam historiam ad hominem meliorem efficiendum, ad corruptam naturam coercendam, et ad sublimiorum virtutum moralium ac supernaturalium studium promovendum necessario tendere, nec ipsi adversarii diffiteri audent. Differunt 2° ratione *modi,* quo utrobique facta ac doctrinae proponuntur. Mythologiae veterum a poetis plerumque primum expositae inveniuntur poetico et ornatissimo dicendi genere, quibus cum potestas *quidlibet audendi* semper concessa fuerit, quis in eorum dictis historicam quaerat veritatem? Biblicae vero narrationes etiam antiquissimae, ut de mundi origine, protoparentum felicitate et lapsu, de diluvio universali, ita simplici ac brevi stylo referuntur, ita omni phantaiaes

llecebris et figmentis destitutae sunt, ita parcae ac sobriae appa-ent in minoribus factorum adiunctis tradendis, ut indolem omnino istoricam praeseferant. Mythologiae paganorum eo magis diffun-luntur ac deliriis imaginationis abundant quo antiquiores epochas espiciunt, cum vero ad recentiores aetates accedunt parciores et erosimiliores sunt donec in historiam proprie dictam desinant: ontra fit in sacris libris V. T. ibi enim quo antiquior est aetas, eo parcior et prudentior est Agiographus, cum vero ad proxi-niora sibi tempora descendit plura numero facta, et maiori ad-unctorum copia ornata refert. Ita ex. gr. de prima mundi aetate usque ad Abraham, quae duo circiter millia annorum comprehen-dit, tam pauca Moyses narrat ut vix undecim capita Geneseos iis devoveat, reliqua triginta novem historiam Patriarcharum conti-nent quae paucorum saeculorum spatium occupat, et Moysi aetati proximior erat. Hoc discrimen ostendit mythologos quidem, quia non veritatem sed fabulas sectabantur, ibi potissimum habenas maginationi et ingenio laxasse ubi nulla erant monumenta, nulli-que testes quibus rerum falsitas convinci posset, ubi vero recen-ior aetas incipiebat cum testium, traditionum et monumentorum copia, ingenio et calamo temperare debuisse; contra vero Moysen, quia veritatem tantum sequi proposuerat, ibi prudentius et par-cius scripsisse ubi de remotis et priscis eventibus agebatur, simul ero ac pervenit ad Patriarcharum gesta, quorum memoria adhuc recens erat, monumenta extabant, et ipse praesens Hebraeorum tatus in Aegypto et in deserto Arabiae effectum simul et con-irmationem praeseferebat, tunc demum copiose et diffuse histo-iam scribere coepisse: non enim contradictionem timebat. Deni-que nexus historicus et chronologicus inter varias mosaicae histo-iae partes, ut paulo ante innuimus, ipsius historiae veritatem con-irmat: hic enim eventus invicem coniuncti apparent, unus alterum upponit et explicat, nec ullus removeri potest, quin tota historia perturbetur ac nutet, contra mythi paganorum seriem fragmento-um exhibent, quae nullo aut vago tantum nexu inter se cohaerent, demque mythi apud varias gentes sub variis formis, diversisque diunctis repetiti inveniuntur. (1)

(1) Mythorum paganorum vanitatem et historicae veritatis defectum ipsi raecorum ac Romanorum sapientes viri, ut diximus saepe, fassi sunt. Placet

Ceterum quoniam aliqua similitudo narrationum biblicarum cum paganorum mythis negari nequit, huius etiam rei explicatio dari potest, quae tamen non modo adversarios non iuvat, sed ad historiam biblicam vindicandam, mythosque ab ea excludendos apprime conducit. Sane, populorum historia, et traditionum indole mature perpensa, clarissime apparet paganorum mythologias plerumque nihil aliud esse nisi priscorum eventuum narrationes aliter atque aliter corruptas ac transformatas, quorum genuina notitia ac memoria apud Hebraeos tantum sine errorum admixtione permansit. Causa vero cur apud gentes rerum illarum notitia fabulis corrupta est, non alia assignari potest qnam defectus specialis divinae providentiae, continuatae Patrum ac Prophetarum successionis, et legitimorum divini cultus ministrorum, quae omnia apud Hebraeos cum extiterint, vetustam traditionem a corruptione immunem servarunt. Sed de his aliqua diximus in Introd. Crit. Parte I Thes. XXX et XXXVII, plura autem videri possunt apud illm̃um Hetium in Demonstr. Evang. prop. IV.

Obiic. 4°. Pro mythis philosophicis: necessarium omnino fuisse aut saltem valde conveniens ut Moyses aliique vetusti Hebraeorum Scriptores sub historica forma difficiliores veritates morales, ac religiosas proponerent. Hoc enim requirebat populi illius conditio, qui tunc admodum rudis ac in infantili veluti aetate constitutus erat, quare nonnisi per sensibilem et concretam factorum formam ad altiorum conceptuum intelligentiam perduci poterat, praesertim cum ferventiori imaginationis aestu praeditus esset. Accedit indolem totius historiae biblicae eam esse ut tota dirigatur, et sponte sua tendat ad mores informandos, veritatesque insinuandas: ad hunc ergo finem ipsa historia excogitata videtur.

Resp. Gratuita haec omnia sunt et nullius momenti. Quod enim Hebraei sub Moysis regimine adhuc rudes et imbecilles essent gra-

hic afferre verba Thucydidis Lib. I. Cap.XXI: « ne quis credat, inquit, res antiquas esse tales, quales poetae eas celebrarunt, cum ornatu eas in maius extollentes, neque quales memoriae prodiderunt oratores, qui verborum illecebras potius quam veritatem sectati sunt : pleraeque etiam ob ipsarum vetustatem in mythos abierunt ita ut nulla fides eis habeatur ». Eadem habet Plato in Phaedro, itemque Livius in lib. XXI. cap. 62. et alibi. Contra Mosaicae, aliaeque biblicae narrationes quamvis portentosae ab omnibus Christianis etiam doctissimis ac ingeniosissimis ut verae semper habitae sunt.

tis affirmant adversarii, cum ipsa historia profana contrarium doceat. Patriarchae enim a quibus illi descendebant prudentissimi viri fuerant, et partim ex propria scientia atque experientia, partim divina revelatione edocti pretiosam populo suppellectilem doctrinae ac veritatum legaverant, Aegyptus, ubi Hebraei diu incoluerant, ac in ingentem populum excreverant, scientiarum atque artium cultura quam maxime tunc florebat, demum tota historia peregrinationis in deserto gentis illius sufficientem intelligentiam atque animi culturam ostendit. Deinde si daremus adversariis Hebraeos tam rudes tunc fuisse, in quibus phantasiae vis tantopere praevaleret rationi ut nonnisi sub sensibili forma doctrinam percipere possent, nonne satis fuisset parabolis et allegoriis uti quemadmodum ex. gr. fecerunt Aesopus apud Graecos, et Phaedrus apud Latinos, et ipse Christus Dominus in Evangelio? Quid opus erat eos mythis in sensu adversariorum acceptis decipere, in quibus nempe historicum involucrum falsum seu confictum tanto difficilius potuisset a latente veritate secerni quo magis illi ignari ac imperiti supponuntur? Quod autem addunt totam historiam biblicam ad virtutis et religionis doctrinam tendere, verum quidem est, quinimo etiam profana historia iuxta notam Tullii sententiam est magistra vitae, nuntia veritatis. Num ergo ob eam causam desinit esse vera historia? Quod si connexio ista cum doctrina in biblica historia evidentius elucet recolendum est, tum ipsos eventus biblicos sub speciali divina providentia ac directione evolutos fuisse, tum Moysen aliosque Agiographos ex pluribus factis consulto illa selegisse, scriptoque mandasse, quae ad mores informandos, veramque religionem animis lectorum insinuandam aptiora visa sunt, ut nihil dicamus hic de divina inspiratione, quam scribentibus adfuisse credimus. Et haec de libris V. T.

II. Neque in libris N. T. mythica interpretatio adhibenda est. Si libri V. T, a mythicis figmentis immunes dicendi sunt non obstante antiquissima aetate ad quam pertinent, aut de qua pertractant, quanto minus licebit mythos supponere in libris N. T., qui tanto recentiores sunt, et historiam continent aetatis tam plene cognitae, ac tot monumentis scriptisque munitae, quemadmodum certe fuit primum imperii Romani saeculum? Quoniam vero de hac re satis multa dicta sint in Introd. critica Par. I Thes. XIX, satis erit prae-

cipua argumenta adversus Strauss et Renan ibi allata hic brevite in mentem revocare.

Itaque a Libris N. T. mythos quoslibet removendos esse, omnia que ut vere ac proprie historica in eis habenda esse contra citato rationalistas ostenditur: 1° Ex eo quod adversariorum sententia nullo prorsus fundamento innitatur, proindeque adversus unanimem Chri stianorum persuasionem urgeri nullatenus possit. Argumenta adver sariorum aut falsa supposita sunt, aut gratuitae assertiones. Sup ponunt nempe Evangelia non esse genuina, sed serius tandem al incertis auctoribus iuxta popularem traditionem concinnata. Sed hoc alibi ostendimus falsum esse: quare contra Straussium argu mentum valide retorquetur, cum ipse ingenue fateatur, admissa genuinitate Evangeliorum non posse de historiae veritate dubitari. Supponunt etiam *a priori* miracula ac vaticinia non posse fieri. ideoque ea quae in N. T. narrantur non esse ut historice vera habenda. Verum possibilitas supernaturalium eventuum ex primis philosophiae ac theologiae principiis demonstratur, et adversario rum suppositum non minus rationi quam fidei repugnat. Asserunt denique veras contradictiones inter narrationes Auctorum N. T. deprehendi, ideoque figmenta et historicos errores necessario sup ponendos esse. At vero omnes et singulas huiusmodi difficultate docti viri non modo catholici sed etiam protestantes removerunt, nosque etiam praecipuas et graviores solvimus in Introd. critica. Scilicet haec nonnisi apparentes antilogias praeseferunt, quale expectandae erant in libris tam antiquis et tanta simplicitate con scriptis, quae si aliqua ratione explicari et a vera contradictione purgari possint, tantum abest quominus historicam Auctorum ve racitatem evertant, ut contra, fatentibus omnibus criticis, illam vehementer confirment. 2° Excluduntur mythi a N. T. omnibu argumentis, quibus, admissa librorum genuinitate, Auctorum ve racitas tum directe tum indirecte demonstratur (Vide Introd. cri tica Thes. XV). 3° Adversarii refelluntur ex ipsa aetate qua Evan gelica et Apostolica historia locum habuit: non enim aevo obscuro vel mythico haec facta acciderunt, sed aevo maxime historico, aetate scilicet excultissima, eademque notissima, omnisque generis monu mentis referta, qua nulla minus apta adsignari poterat mythorum ori gini ac formationi. 4° Excluduntur mythi ob intimum nexum quem

facta in N. T. relata habent sive inter se, sive cum civili ac politica historia, quod gravissimum de factorum veritate argumentum praebet. Huc etiam pertinet intimus nexus miraculorum evangelicorum cum origine, propagatione ac stabilitate christianae religionis et Ecclesia Christi: haec enim omnia, sublata historica illorum veritate, moraliter absurda et inexplicabilia forent. Haec sunt praecipua quae ostendunt nullos in N. T. mythos supponendos esse, nec proinde laborandum esse interpreti ut vera a falsis discernat, ut vellent mythicae interpretationis adsertores, sed fideliter tantum exponenda esse ea omnia quae in iisdem libris continentur.

§. IV. De Systemate *interpretationis psychologicae.*

Systema *interpretationis psychologicae* seu *sensus psychologici* a Paulus Prof. Heidelbergensi excogitatum ad haec revocari potest. Quemadmodum alii rationalistae auctor hic negat Scripturarum inspirationem, miraculorum possibilitatem, licet trium priorum Evangeliorum genuinitatem admittat. In hoc tamen differt ab auctoribus scholae Tubingensis, quod hi errores ac fabulas in narrationibus Evangelicis supponunt, Paulus vero plerumque historicam auctorum veracitatem admittit, sed contendit narrationes ita explicandas esse, ut quod prima fronte supernaturale ac prodigiosum videtur ad eventum mere naturalem redigatur. Id autem a sapiente interprete fiet si seipsum veluti transferat ad aetatem illam illasque circumstantias in quibus factum evenisse narratur, atque ita distinguere possit facti substantiam, prout fieri debuit iuxta ordinem naturae ac rerum adiuncta, ab ea forma sub qua expressum est iuxta Hebraeorum ipsorumque Agiographorum sentiendi, cogitandi ac loquendi rationem. Hinc appellatio interpretationis psychologicae, quia nempe in subiectivo psychologico sensu tota fundatur. Applicatio quae ab auctore fit variis narrationibus evangelicis nec ipsis rationalistis placuit, multo minus orthodoxis placere potest. (1) Adversus hoc systema erit sequens

(1) Inter caeteros ipse Strauss systema Paulusii luculenter refellit in Introductione suae Novae Vitae Iesu §. IV. ubi inter alia scribit post theoriae psychologicae expositionem: « Le vice de se raisonnement est manifeste: les récits evangeliques ont le miracle pour theme fondamental, et loin de se laisser eliminer, la cause surnaturelle doit être sousentendue, quand elle n'est pas formellement énoncée ».

THESIS XIX.

Systhema interpretationis psychologicae a Paulusio excogitatum ad narrationes evangelicas explicandas arbitrarium, et absurdum est.

I. Praefatum systema in falsis et gratuitis suppositionibus totum innititur: nullum eventum praeter ordinarias naturae vires admitti posse; religionem nihil praeter naturalis theologiae veritates, atque ethica rationis principia complecti oportere; Iesum sapientem quidem piumque virum, sublimi quoque charactere praeditum, sed tandem aliquando purum hominem fuisse; Apostolos in eius gestis dictisque aestimandis deceptos fuisse. Quis haec sine demonstratione admiserit? Quinimo quis ea non reiiciet ob evidentes rationes quibus haec omnia falsa demonstrantur? Et tamen adversarii de his ne suspicari quidem videntur, et ingenue mirantur si quis ea in dubium revocet. Strauss qui Paulusii systema ceteroquin respuit, eum tamen summis laudibus extollit eo quod, inquit, Kantii discipulus, et in Spinozae scriptis enutritus, praefata principia nitide proposuerit, et logice adhibuerit, ita ut eius *Commentarius Evangeliorum* plerisque aliis Protestantium et Rationalistarum non solum praecedentibus, sed etiam posterioribus antecellat. (Strauss ed. cit. pag. 13.)

II. Psychologica interpretandi methodus violenta prorsus est, et naturae Hermeneutices contraria. Ut enim saepius animadvertimus, interpretis officium est sensum auctoris exponere iuxta consuetas loquendi leges, non autem immutare verborum sensum, et contextui vim inferre. Hoc autem est quod adversarius faciendum praecipit: ait enim substantiam facti, a circumstantiis et a forma sub qua propositum est distingui oportere, ita ut quibusdam neglectis, aliis intrusis, aliis in alium sensum detortis, tandem aliquando ex portentosa narratione naturalis eventus extundatur.

III. Hinc sequitur nulla certa lege, nullisque finibus circumscriptam esse huiusmodi interpretandi methodum. Si enim ex subiectiva interpretis sentiendi, resque apprehendendi ratione definiendum sit quid ad facti substantiam, quid vero ad formam,

seu, uti ait, ad *impressionem* pertineat, unusquisque videt liberum campum imaginationi et arbitrio apertum iri, ac tot fore eiusdem loci expositiones ac sensus quot sunt interpretes, quemadmodum iamdudum observarunt docti viri, qui contra praefatum systema calamum acuerunt, ut ex. gr. ex catholicis Sandbichler, Kaulfuss, et Hug, et ex protestantibus ipsis Fritzsche, Tholuck, aliique multi (1) praeter superius cit. Strauss. Ad hoc illustrandum non erit inutile specimen huiusmodi interpretationum exhibere. En aliquot praecipuas ex Paulusii *Commentario in Evangelia* (1800-1804), et ex eiusdem *Vita Iesu* (1828) excerptas. In historia Annunciationis Mariae Virginis distinguendam docet substantiam facti, scilicet Mariae aliquem subito apparuisse, eamdemque inscio Iosepho filium concepisse, et *impressionem* in aliis productam, scilicet virum illum Angelum fuisse, et Spiritus Sancti operatione Christum conceptum esse: hoc alterum admittere recusat, quia prodigiosum. Itaque potuit ille esse vir aliquis ex stirpe David ab Elisabeth sagaci et prudenti foemina submissus, ut ita Messiam sibi fingeret, cuius praecursor infantulus eius Iohannes esse posset. In nuptiis Canae licitur aqua in vinum conversa: substantia facti vera est, nullum amen ibi est miraculum, quia Christus, facta cum ministris collusione, vinum clam afferendum curavit ut sponsos improvisa eius apparitione exhilararet. Bis in Evangelio narratur Christum panes ac pisces multiplicasse hominum turbae satiandae: sed hic non est nisi emphaticus dicendi modus; non enim proprie multiplicati panes, sed cito et inopinato inventi sunt, proferentibus multis de turba cibos, quos occulte secum tulerant. Multi languidi dicuntur

(1) Horum testimonia videri possunt apud Ill. Ranolder. op. cit. ed. 2 pag. 416 seq. not. 440: placet hic exscribere verba Fritzsche com. in Matth. Lipsiae 1826 pag. 331: « Eorum portenta, inquit, qui hoc miraculum sibi credibilius reddere adnisi sunt, reticeo, quae ejusmodi sunt, ut non homines qui Matthaeum interpretentur, sed histriones, qui suam quamdam fabulam doceant, audire tibi videare »; item pag. 505 loquens de multiplicatione panum scribit: « Frustra sunt, qui miraculorum impatientes haec loca in omnes partes versant, ut emergat res, quae ipsis fieri potuisse videatur. Quae ratio omni est destituta fundamento.... cum grammaticas linguae leges, quod eos pudere oporteat, violarent, tum suas quasdam narrationes componerent, non Evangelistarum explanarent, ut hoc loco fecisse videmus Paulum, contra quem non est quod fusius disputem ».

iacuisse prope piscinam probaticam, ut eius aquis prodigiose sanari possent: locum hunc, mutatis verbis, nihil aliud esse vult quam publicum valetudinarium. Sanationes etiam plurimae a Christo peractae non sine naturalibus medicamentis fieri debuerunt, quamvis de iis ab Evangelistis mentio facta non fuerit; illaeque ob insolitum numerum, ac peculiares circumstantias prodigiosae existimari potuerunt. In Transfiguratione Christi facti substantiam hanc esse dicit, quod Christus in vertice montis visus fuerit luce circumfusus cum duobus viris loquens; quod vero lux illa supernaturalis esset, et duo viri essent Moyses et Elias, hoc ad impressionem referendum esse putat. Christus dicitur super mare ambulasse et ad Apostolos tempestate iactatos venisse: hoc ita intelligendum est ut revera Christus in litore ambulaverit, quod supra aquae superficiem paulisper eminebat. Denique, ne ulterius in his immoremur, ipsam Christi Resurrectionem ex mero concursu causarum naturalium, divina utique providentia ordinato, commode explicari posse asserit, si nempe supponamus Christum in cruce reipsa mortuum non fuisse, sed tantummodo in lethargum incidisse, ex quo post triduum excitatus est, ita ut potuerit discipulos invisere, licet post aliquot hebdomadas ob sequelas tormentorum quae passus fuerat succubuerit, et e vita decesserit. Sufficiat haec enunciasse ut absurditas et instabilitas huius methodi appareat. Quare merito possumus adversus Paulusium eiusque sectatores urgere dilemma, quo citatus Strauss eorum refutationem concludit: « Aut Evangelia sunt documenta vere historica, et tunc miracula non possunt e vita Iesu eliminari; aut miraculum cum historia consistere nequit, et tunc Evangelia non possunt uti historica documenta haberi ».

§. V. De Systemate *interpretationis panharmonicae.*

Huiusmodi systema invectum fuit a Frid. Henr. Germar praedicatore aulico Augustenburgensi eo fine ut discordia existens inter varias Protestantium sectas removeretur. Illud autem confirmare et persuadere conatus est auctor variis editis scriptis, nempe: *Panharmonica interpretatio Sacrae Scripturae.* Schleswig 1821 (1).

(1) Opus germanice scriptum est, quemadmodum alia eiusdem auctoris; integer titulus est: *Die Panharmonische Interpretation der heiligen Schrift, ein Versuch zu einer klaren und gründlichen Auflösung der Streitigkeiten in der Christlichen Kirche beizutragen.* Schleswig 1821.

Suppetiae pro hermeneutica universali, seu, tentamen ad firmius stabiliendam interpretationem panharmonicam Altonae 1828 ; *Defectus hermeneuticae interpretationis grammatico-historicae* etc. Halae 1834. Non pauci huic systemati subscripserunt, illudque aliquantum immutatum recentius proposuit H. N. Klausen in opere: *Hermeneutik des N. T. aus dem Dänischen übersetzt von C. O. Schmidt-Phiseldeck.* Leipzig 1841. Horum finis bonus quidem erat, et sincerus animus: verum vitio protestantici principii nec finem illum obtinere, nec ullum malo remedium afferre valuerunt.

Summa huius systematis haec est. Ad Scripturam recte interpretandam imprimis conflandum est, atque coordinandum systema religiosum ex veritatibus in Scriptura clare revelatis, et ex sanae rationis principiis de Deo, de anima, ac de officiis moralibus: tum vero singula Scripturae loca cohaerenter cum hoc systemate praeconcepto bona fide, et sepositis contentionibus intelligenda et exponenda sunt.

Si haec a Catholicis dicerentur admitti possent: siquidem totum religionis systema reipsa cognosci potest antecedenter ad Scripturae interpretationem, si iuxta catholica principia ab Ecclesiae magisterio revelationis doctrina suscipiatur: atque ita nihil aliud diceretur nisi quod superius admissum a nobis et probatum est, scilicet Scripturam secundum *fidei catholicae analogiam* exponendam esse. Quamvis nec ita intellectum systema perfectum dici posset, non enim alia criteria sive rationalia, sive dogmatica negligenda sunt. Verum si haec iuxta Protestantium principia, quae praefati auctores profitentur, intelligantur, non solum incompletum, sed falsum omnino atque ineptum systema efficiunt. Quod breviter ostendet sequens

THESIS XX.

Systema interpretationis panharmonicae a Germar aliisque propositum, secundum eorum mentem ac principia consideratum, contradictorium, insufficiens, omnique certa ac tuta norma destitutum est.

Recolendum est Protestantes, ex quorum numero sunt huius systematis fautores, nullam aliam agnoscere regulam veritati reve-

latae cognoscendae praeter Sacram Scripturam. Quo posito statim sequitur

I.° In hoc systemate *petitionem principii,* uti aiunt, vel *circulum vitiosum* contineri. Quaeritur enim quomodo explicanda sunt loca Scripturae, quibus doctrina revelata continetur: respondent esse intelligenda secundum integrum systema in antecessum formatum, et ordinatum totius revelatae doctrinae: sed hoc nunquam cognosci ac formari potuisset, nisi intellectis Scripturae locis, de quorum sensu quaeritur. Nec adversarios iuvat distinguere inter loca obscura, et clara: magna enim pars doctrinae in locis obscuris continetur, ac praeterea quod uni clarum videtur, alteri obscurum apparet, et res est in facto posita Protestantium magistros dissentire in iis etiam locis intelligendis, quae nobis clarissima videntur, et revera sunt: ut nihil dicamus de aliis locis innumeris, quae, directe saltem, ad doctrinam non pertinent, quibus intelligendis praeconcepta illa notitia sufficere non posset.

II.° Sequitur hanc methodum ad desideratam concordiam pariendam imparem omnino esse. Oporteret enim ante omnia convenire in uno eodemque religiosae veritatis systemate formando ac recipiendo. Sed quomodo id fieri poterit apud Protestantes, qui nullam, praeter uniuscuiusque privatum iudicium, regulam agnoscunt? Unusquisque in sensu suo abundabit, et aliud Theologiae systema Lutheranus, aliud Calvinista, aliud Methodista vel Anabaptista sibi finget, contendens illud veram Christi doctrinam in sua puritate repraesentare: atque ita communi regula deficiente singulorum locorum interpretationes, quae ad illam regulam exigendae essent, necessario discordes erunt. Aliter fit apud nos Catholicos, quibus omnibus unum idemque veritatum systema ab Ecclesia definitum atque explicatum praesto est, cuius plenior notitia interpretem dirigere potest ac debet in singulis locis explicandis.

III.° Hinc etiam sequitur periculi plenam esse hanc interpretandi rationem (intelligatur semper iuxta Protestantium principia). Si enim iuxta praeconceptas ideas Scriptura sit interpretanda, quoniam illae non a positivo aliquo magisterio, vel ab obiectivo quodam principio derivandae sunt, sed unice ex uniuscuiusque privata ac subiectiva sentiendi ratione, unusquisque videt nullum esse errorem, nullamque haereticam absurditatem, quae non possit per

hanc methodum Scripturae affingi. Factum et experientia rem apprime confirmant. Quare, spes omnis quam auctores illi anima conceperant effectu caruit, atque ita implicite rursum ab illis confirmata est veritas catholicae Hermeneutices, quae propositis certis regulis, ac imprimis Ecclesiae iudicio ac sensu, unicum remedium erroribus ac dissensionibns praebet.

INTRODUCTIONIS EXEGETICAE
IN SACRAM SCRIPTURAM
PARS TERTIA
DE SENSU SCRIPTURAE ALIIS PROPONENDO

Duplex, uti vidimus, interpretis sacri officium est, ut et ipse Scripturae sensum intelligat, et intellectum aliis accurate apteque proponat. Cum igitur de sensu inveniendo hucusque dictum sit, oportet nunc de ratione *proponendi* Scripturae sensum breviter pertractare. Quamvis enim naturalis ratio, exercitatio dicendi, ac maturum interpretis iudicium multum in hac re praestare possint, plura tamen sunt prae oculis habenda, quae si una colligantur, ac rite disposita tradantur non parum utilitatis ad hoc negotium expediendum interpreti afferunt. (1) Ut autem plenior evadat tractatio, primum agemus de variis modis proponendi Scripturae sensum, et singulorum indolem, dotes et conditiones expendemus, deinde vero subiiciemus brevem historiam Exegeseos, et notitiam clariorum Scripturae interpretum.

SECTIO I.

DE VARIIS MODIS SCRIPTURAE SENSUM PROPONENDI

Ratio proponendi Scripturae sensum multiplex esse potest, pro vario scilicet fine quem interpres sibi proponit, pro maiori vel minori explanationis amplitudine, et pro vario etiam stylo ac modo

(1) Similis est haec tractatio rhetorum praeceptis de bene concinnanda oratione, quinimo a nonnullis haec tractatio ad rhetoricam sacram refertur. Verum ex alia parte cum haec non ad quodlibet sacrae orationis genus, sed ad Scripturae explanationem stricte pertineant, aptius videtur de iis agere in Hermeneutica biblica juxta divisionem alias indicatam ex Augustino D. C. L. 1. et a biblicis scriptoribus vulgo receptam.

es explanandi. Sixtus Senensis in *Bibl. Sancta* Lib. III non minus uam viginti quatuor modos Scripturam exponendi indicat, ac fuse radit, quorum nomina sunt: 1. *Translatio,* sive interpretatio. . *Stigmatica* expositio (ex punctorum, et apicum significatione t positione desumpta). 3. *Syllabica* expositio, qualis in concordanis biblicis invenitur, aut ex illis derivari potest. 4. *Partitio*, quae *ivisionem,* et *collectionem* complectitur. 5. *Epitome*, seu aptum iblicae sive historiae sive doctrinae compendium. 6. *Eclogae,* seu xcerptum. 7. *Expositio notariaca* (cabbalae species). 8. *Paraphrasis.* . *Lexices,* qualis in lexicis biblicis reperitur. 10. *Adnotatio*, sub uo nomine comprehendit *scholia,* et *glossas.* 11. *Commentatio,* lest prolixior commentarius. 12. *Expositio sciographica,* seu per guras, et imagines delineatas, aut depictas. 13. *Expositio tabelaria,* sive columnaris, seu compendiosae ac dilucidae expositionis er tabulas et columnas coaptatio. 14. *Enarratio*, quo nomine mprehendit *homilias,* et *conciones.* 15. *Collatio,* seu familiaris et lloquialis expositio. 16. *Meditatio*, sive pia et affectiva Scriptuae enarratio. 17. *Poetica* explanatio carminibus vel poetica oraone constans. 18. *Epistolaris* expositio. 19. *Inquisitio,* quam vidit in tres species: *problema, quaestionem,* seu percontationem, *disputationem.* 20. *Collectanea,* ad quam revocat *rapsodiam, llegma, abbreviationem, et catenas.* 21. *Coacervatio,* quam duas dividit prout vel *sensuum,* vel *textuum* accumulationem raesefert. 22. *Thematica* expositio. 23. *Scholastica* methodus; iam quidem in veterem sanctorum Patrum, et recentem Doctom Scholasticorum dividit, hanc vero alteram in decem genera positionis dispescit, nempe Concordantias, Dictionaria, Historias, stillas, Quaestiones, Lecturas seu lectiones, Compendia, Sermones, etros seu rythmos, et Meditationes 24. demum *Pandesiaca* methos plures ex praecedentibus complectens, et amplissimam ac ffusam expositionem praebens. Haec Sixtus in toto libro III op. .; quae hic breviter innuisse abs re non videbitur. Attamen ilti ex praedictis modis non amplius in usu sunt, alii plures ad um revocari possunt: quare de singulis tractare inutile foret. igitur simpliciorem quamdam divisionem dabimus diversorum positionis generum, de quibus postea singillatim quantum satis pertractabimus.

Diversitas expositionis desumi potest vel ex fine, vel ex forma, vel denique ex intima ipsius expositionis indole ac natura. Si *finis* spectetur generalis divisio est in expositionem *historico-dogmaticam*, et *moralem*, prout scilicet interpres sibi proponit vel historiam ac dogmata sacrae Scripturae explanare, vel praecipue mores lectorum vel auditorum informare. Si *formae ratio* habeatur Scripturae expositio alia est *erudita* seu scientifica, alia vero simplex ac *popularis*. Demum si spectetur intima expositionis natura dividitur haec in *versionem*, *paraphrasim*, *adnotationes*, (ad quas revocamus *glossas*, *scholia* ac *postillas*), *commentarios*, *dissertationes*, *praelectiones* et *homilias*. Hanc postremam divisionem in sequenti tractatione tenebimus, cum aliae duae sub aliqua ex hisce formis contineri possint, proindeque in tractatione de singulis nonnulla de illis quoque tradi possunt. Ceterum de pastorali et populari Scripturae expositione ob peculiarem eius gravitatem, et practicam utilitatem paulo plura in fine dicenda erunt.

CAPUT I.

De sacrae scripturae versione.

I. *Versio*, seu translatio, nihil aliud est quam scripti alicuius reproductio in alia lingua ab ea qua exaratum est. Quare in versione nihil prorsus sermoni auctoris additur, nihil demitur, nihil immutatur praeter linguam: nihilominus versio inter modos sensum proponendi recensenda est, supponit enim interpretem sensum auctoris probe intellexisse, secus alia lingua illum repraesentare non posset, simulque eum aliis declarat et communicat, non solum iis qui libri originariam linguam ignorant, sed iis etiam qui eam callent, cum generatim loquendo in libris antiquis versio clarior esse debeat quam textus. Potest autem versio fieri vel directe ex originali textu, vel indirecte seu ex alia antecedente versione, in primo casu dicitur *immediata*, in altero vero *mediata*. Rursum potest vel presse adhaerere vocabulis alterius linguae, vel paulo liberius sensum referre: in primo casu dicitur *literalis*, in altero *libera*. Haec omnia etiam in sacra Scriptura locum habent. Et quisque bonus Scripturae interpres

paratus esse debet Scripturae loca quae intellexit accurata versione in lingua vulgari, cum opus fuerit aliis proponere: quinimo tironibus quoque exercitium huiusmodi negligendum non est, quo maxime possunt vires suas et profectum in biblica Hermeneutica experiri. Hinc enim discent quam difficile opus sit Scripturae sensum et recte intelligere, et accurate exponere: saepe enim fit ut nos sensum alicuius loci intellexisse arbitremur, at si illum alterius linguae verbis exprimere conemur, statim intelligentiae defectum experimur. Itaque operae pretium erit nonnulla tradere de optima ratione versionis conficiendae, deque iis quae in sacris Libris vertendis vel cavenda, vel sectanda sunt.

II. Dotes optimae versionis, imprimis sacrae Scripturae, ad tres revocari possunt, nempe 1° fidelitatem, 2° perspicuitatem, 3° elegantiam. Harum necessitas et gravitas non eadem est, sed iuxta ordinem praedictum primum tenet locum fidelitas, cui reliquae inservire, ac si opus est etiam immolari debent: evidens enim est melius esse, praesertim in sacra Scriptura, minus claram et elegantem habere versionem quam minus fidelem; conandum tamen est omnes hasce dotes simul componere quantum fieri potest, quod tamen difficile opus est, et apprime exercitatum ac maturum poscit iudicium. De singulis pauca.

1. *Fidelitas* versionis ad hoc revocatur ut versio originalem textum in sua integritate repraesentet nihil prorsus immutans, praeter vocabula, seu linguam. Oportet igitur ut cogitationes omnes auctoris integre, et sine immutatione referantur. Quare non licebit maiorem extensionem illis dare, supplendo ex. gr. ea quae implicite in verbis auctoris contineri existimantur, hoc enim non ad versionem, sed ad paraphrasim pertinet, multo minus licebit sensum determinatum affingere vocabulis quae in textu auctoris minus determinata, aut forte ambigua sunt, vel viceversa indeterminatas vel ambiguas voces iis, quae apud auctorem certae ac definitae sunt, substituere. Cavendum est denique ne dictionibus ab auctore usurpatis aliae diversae substituantur, vel iis insolitae et minus obviae significationes tribuantur, atque ita novae intrudantur notiones praeter, vel contra mentem auctoris. Adversus huiusmodi regulas facile peccant non solum qui sufficienti vel linguarum notitia, vel biblica scientia carent, sed etiam et multo magis

qui praeiudicatis opinionibus tenentur, et quorum interest praeconceptam aliquam notionem Scripturae repugnanti affingere, vel sensum qui displicet ab ea removere. Versiones ab haereticis confectae huius vitii exempla plura subministrant. Ita male Kuinoel Matth. IX. 1 vocem διαβολὸς vertit: *malus consultor;* ibi enim pro Satana, seu angelo malo evidenter accipitur: male etiam Schottius in historia prodigii Pentecostes Act. II. 4 verba ἑτεραις γλωσσαις vertit: *novis loquendi rationibus,* cum ibi de prodigiosa locutione linguis vere diversis sit sermo. Idem auctor sensum verborum Colos. II. 9 pervertit reddens: *siquidem ei omnis bonorum numinis divini copia revera inhaeret,* cum tamen certissimum sit de divina Christi natura ibi sermonem esse, ideoque fidelior sit versio Vulgata: *Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (πᾶν πληρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς). Recentiores ex Germania praesertim biblici scriptores protestantismi vel rationalismi placitis addicti in suis, quas in dies edunt, unius vel alterius sacri libri vulgaribus versionibus saepe saepius in praedicta vitia incidunt, Scripturaeque sensum immutant, et ad suas praeconceptas ideas detorquent, modo significatione vocum immutata modo importunis additionibus insertis, aut vocabulis intra parenthesim adiectis. Et haec quidem de materia sermonis. Verum etiam *forma* sermonis quantum fieri potest servanda est a fideli interprete. Scilicet, servata utriusque linguae proprietate, oportet originarium libri characterem et quasi colorem, quoad licet retinere ac exprimere. Scilicet si poetica sit styli forma eadem in versionis stylo apparere debet: si liber orientalis sit, ut imprimis in libris poeticis ac propheticis V. T. fit, non licebit eos hoc charactere exuere ut genio et quasi habitu occidentalium propriis induatur, si archaica sit forma sermonis eam oportebit in styli versionis retinere. Horum omnium exemplum laudabile praebet Vulgata latina, quae licet a viro latini sermonis scientissimo exarata sit, stylum tamen ac formam originalium textuum apprime servat. Contra versio a Seb. Castalione olim confecta (Basileae 1551) quoniam classicam Augustaei saeculi latinitatem affectat minus fidelis habita est, et Scripturae studiosis displicet. Huc quoque pertinet translatio alliterationis, paronomasiae vel allusionis etymologicae, quae frequenter in Scripturis occurrunt: cum enim ex his

pendeat clara horum locorum intelligentia, fideli interpreti labo-randum erit, et torquendum etiam ingenium ut illa verbis suae linguae exprimat: quod si ob linguae naturam id fieri nequeat conandum erit ut saltem approximative vel per circumloquutionem aliquid simile exprimatur. Ita laudatur Hieronymus qui hebraica verba Gen: II. 23 לְזֹאת יִקָּרֵא אִשָּׁה כִּי מֵאִישׁ לֻקְחָה זֹאת vertit « haec vocabitur *virago* quoniam de *viro* sumpta est » ut ita servaretur quantum fieri poterat etymologica derivatio vocis אִשָּׁה ex אִישׁ. Attamen si haec transferri non possint, dimittenda sunt potius quam verba et phrases cum linguae indole pugnantes in-ducendae. Caeterum extrema in hac re cavenda sunt, scilicet forma originalis sermonis nimis presse sequenda non est, hoc enim non so-lum rusticam et inconcinnam, sed etiam obscuram plerumque faceret versionem. Ita ex: gr: Seb. Schmid nimis verbaliter reddit cele-brem locum Malac. I. 11 ita: « *Et in omni loco erit suffitum al-latum nomini meo, et minchah munda* » multo melius Vulgatus interpres: quamvis non minus fideliter, « *Et in omni loco sacrifica-tur, et offertur nomini meo oblatio munda* ».

2. *Perspicuitas* altera dos est prae oculis habenda: et ille demum optimus erit interpres qui noverit perspicuitatem cum fidelitate coniungere. Ad hanc dotem pertinet 1) conceptum au-toris accurate, et clare perspectum nec pluribus, nec paucioribus verbis exponere quam ad illum circumscribendum satis sunt. 2) Vocabula propria adhibere, quae scilicet originalibus vocabulis, et auctoris menti accurate et adamussim respondeant, non autem aliquid tantum simile vel affine significent. Hinc apparet non posse optimam fieri versionem nisi ab eo qui et in scribendo exercita-tus sit, et linguam, qua versio scribenda est apprime calleat. Per-spicuitatis defectus in versionibus nimis verbalibus saepe offendi-tur, ut ex. gr. in versione graeca Aquilae, quem Hieronymus *superstitiosum interpretem* vocavit, et in versione Syriaca philo-xeniana, ut alias vidimus: neque ab hoc defectu prorsus immunis est Vulgata latina praesertim in libro Psalmorum, qui ex Hieronymi versione non descendit, qui certe, fatentibus omnibus, obscuritate aliqua laborat: Ecclesia vero antiquam illam Psalterii versionem po-tusquam novam Hieronymi paulo clariorem retinuit, ob prudentiae causam, ut alibi narravimus.

3. Demum *elegantia* negligenda non est, ita tamen ut semper et fidelitati et perspicuitati, quae potiores dotes sunt, subordinetur. Hoc vero intelligendum est respectu habito etiam ad ea quae dicta sunt de forma et charactere originalis sermonis retinendo: quare, uti diximus, ita calamo temperandum est ut excessum elegantiae characteri divinorum librorum minus convenientem devitemus.

III. Ex hisce satis liquet quam difficile opus sit optimam sacrae Scripturae versionem conficere. Difficultates enim quamplurimae, et certe graviores quam in profanis libris vertendis hic occurrunt, quarum aliae sunt ex parte materiae saepe difficillimae et obscurae, quae sensum ancipitem relinquunt, aut non facile definiendum, dum tamen officium interpreti incumbit cautissime procedendi, nec unquam in rebus tanti momenti privatum suum iudicium aut opinionem interponendi: aliae vero sunt ex parte linguae, cuius dicendi formae saepissime ab indole nostrarum linguarum abhorrent, saepe etiam ob imperfectam eius notitiam quae nobis suppetit ambiguae sunt, aliquando etiam nullum habent accurate respondentem in alia lingua dicendi modum. Haec difficultas aliquando augetur ex differentia interpunctionis. Hinc fit ut pleraequae versiones una vel altera ex praedictis dotibus plus minus careant. In genere autem statui potest fidelitatem in omnibus versionibus Ecclesiastica auctoritate probatis, et publico usu receptis, ad substantiam rerum quod attinet, reperiri: perspicuitatem, et elegantiam non semper perfecte haberi in plerisque antiquis versionibus etiam Ecclesiasticis. Contra in versionibus recenter adornatis a Protestantibus vel Rationalistis postremas hasce dotes studiose servatas fuisse, attamen saepissime cum veritatis detrimento, ita ut ab Agiographorum mente discedant, aut illi omnino contradicant, quod certe multo gravius vitium est, et valorem omnem versionibus adimit. Hinc etiam apparet quanta prudentia Ecclesia novas versiones haud facile admittat, et in usibus Ecclesiasticis antiquas, et longo saeculorum usu probatas retinere maluerit, vernaculas autem versiones nonnisi sub certis quibusdam conditionibus permittat. Se de his plura in Appendice II.

CAPUT II.

De sacrae scripturae paraphrasi.

I. Dicitur Paraphrasis uberior, limitibus tamen orationis continuo adstricta, sensus expositio, seu ut Erasmus definit, « est paraphrasis non translatio, sed liberius quoddam commentarii perpetui genus, non commutatis personis. » Scilicet in paraphrasi ipse auctor introducitur mentem suam paulo clarius explicans servata tamen serie et structura originalis sermonis. In hoc igitur differt ab adnotationibus vel commentariis, quod in his non auctor loquitur, sed interpres auctoris mentem explanans extra seriem orationis, contra vero in paraphrasi. Differt autem a versione, quod haec verborum originalium sensum aliis verbis aequivalenter reddit, servata omni obscuritate quae in ipsis auctoris conceptibus, et in ratione eos proponendi inest, paraphrasis vero hanc etiam removere conatur, nonnullis suppletis, aliis paulo fusius expositis, vel nexu et ordine idearum apertius indicatis.

II. Dotes quae in paraphrasi requiruntur tres assignari possunt, 1° scilicet fidelitas, 2° perspicuitas, 3° brevitas.

1° Ad *fidelitatem* pertinet, ut paraphrasta dum mentem auctoris declarare satagit, eam minime immutet. Quare hic aliter accipitur fidelitas ac in versione : haec enim ut fidelis sit nihil prorsus addere, nihil demere de auctoris sermone debet; paraphrasis vero plura addere, plura quoque demere et potest et debet, ita tamen, ut auctoris sensus non solum alius non evadat, sed potius illarior fiat. (1)

2° Ad *perspicuitatem* pertinet, ut quidquid in sermone auctoris obscurum, vel ambiguum est sive ob brevitatem sermonis, sive ob dictionum ambiguitatem, sive ex rei natura sive ex difficultate contextus, per opportunas circumloquutiones, et additiones verborum removeatur. Ad hunc finem oportet ut expressiones vagae et

(1) Nonnulli ad fidelitatem pertinere putant ut voces additae a textu distinguantur diversa characterum forma ut lector uno oculi ictu discernat quid ad sermonem auctoris, quid ad paraphrasten pertineat. Sed hoc a plerisque non observatur, nec necessario praecipiendum videtur.

indeterminatae iuxta mentem Scriptoris definiantur, ideae intermediae a scribente omissae, cum opus est, sive ex locis parallelis, sive ex contextu vel ex natura rei suppleantur, demum rerum quae lectoribus familiares non sunt, obscuritas per brevem aliquam ex archaeologia vel historia desumptam explicationem removeatur; si vero obscuritas ex linguae idiotismo oriatur per aequivalentem loquutionem lectoribus planiorem removenda erit. Hinc apparet etiam alia differentia paraphrasis a versione. In hac enim non licet interpreti ea quae per se ambigua vel obscura sunt determinare proprio iudicio interposito, paraphrastae vero id omnino faciendum est, quamvis caute et cum solido fundamento, quod etiam in subiectis notis plerumque indicandum erit, ut inferius animadvertemus.

3° *Brevitas* paraphrasis a duobus praecipue pendet: 1) Ut ea tantum declarentur, quae declaratione indigent, 2) ut declarationes haud pluribus verbis fiant, quam necessaria sunt ad auctoris mentem exponendam: uberior enim sensus explicatio et confirmatio ad notas vel commentarium remittenda est.

III. Paraphrasi adiungi solent duo adminicula, scilicet *analysis*, et *adnotationes*. Analysis (1) sermonem dividit in suas partes, earumque nexum paucis indicat, atque ita eius intelligentiam faciliorem reddit. Adnotationes vero ad calcem paraphrasis appositae paulo uberius exponunt quod illic breviter propositum est, simulque rationem lectoribus reddunt cur unus sensus prae alio acceptus fuerit.

IV. Paraphrases biblicae quamplurimae extant a viris tum catholicis tum protestantibus confectae, quae non omnes aeque laudandae sunt, et aliae aliis praestant pro vario scilicet gradu quo tres praedictae dotes in iis servantur. Inter catholicos praestant Gaspar Sanctius, Thomas Leblanc, et Bernardinus a Piconio, quorum priores duo suis commentariis V. T. addere solent accuratam paraphrasim, tertius vero egregium scripsit opus in epistolas Paulinas sub titulo: *Triplex expositio*, idest, analysis, paraphrasis et commentarius in singulas epistolas: quibus addendus est Erasmus

(1) Nonnulli auctores analysim referunt ad modos exponendi Scripturam: nobis videtur potius esse praeparationem quamdam ad expositionem, sive haec sit paraphrasis, sive commentarius.

ob celebrem paraphrasim N. T. quam latinae suae versioni adunxit, et inter recentiores Dominicus de Brentano qui pariter germanicae versioni a se confectae paraphrasim addidit. Inutile non erit aliquod exemplum optimae paraphrasis hic subiicere.

I. Primum exemplum sit ex insigni loco Rom. V. 1-seqq. de peccato originali, eiusque reparatione.

Vulgata Rom. V. 1–18.

1. Iustificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum Nostrum Iesum Christum:

2. Per quem et habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, et gloriamur in spe gloriae filiorum Dei.

3. Non solum autem, sed et gloriamur in tribulationibus: scientes quod tribulatio patientiam operatur:

4. Patientia autem probationem, probatio vero spem,

5. Spes autem non confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.

6. Ut quid enim Christus, cum adhuc infirmi essemus secundum tempus pro impiis mortuus est?

7. Vix enim pro iusto quis moritur: nam pro bono forsitan quis audeat mori.

8. Commendat autem charitatem suam Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus,

9. Christus pro nobis mortuus est: multo igitur magis nunc iustificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per Ipsum.

10. Si enim cum inimici essemus Deo per mortem filli eius: multo magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius.

11. Non solum autem: sed et gloriamur in Deo per Dominum Nostrum Iesum Christum, per quem nunc reconcilationem accepimus.

12. Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt:

13. Usque ad legem enim peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset.

14. Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae, qui est forma futuri.

15. Sed non sicut delictum, ita et donum: si enim unius delicto multi mortui sunt: multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Iesu Christi in plures abundavit....

18. Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic et per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitae.

Analysis Bern. a Piconio.

Stabilita, in superioribus capitibus, nostra iustificatione, ex fide Iesu Christi; nunc disserit de huius iustificationis effectibus, ex quibus illius excellentia et celsitudo demonstratur.

Primus ergo nostrae iustificationis effectus est pax et tranquillitas conscientiae nostrae per Iesu Christi mediatoris nostri merita. vers. 1.

Secundus, adoptio filiorum Dei, et hanc ob causam, gloriatio et exsultatio in spe felicitatis aeternae, filiis Dei praeparatae. vers. 2.

Tertius, gaudium et exsultatio in ipsis affictionibus, utpote huic aeternae felicitati affinibus; quam affinitatem pulchra gradatione demonstrat Apostolus. vers. 3. 4. 5.

Hanc filiorum Dei gloriam sperandi, duo nobis firmissima fundamenta statuit: duo scilicet divini in nos amoris argumenta, nimirum, Spiritus sancti in cordibus nostris diffusionem, et Christi mortem pro nobis adhuc peccatoribus; quam Christi charitatem mire exaggerat, vers. 6. 7. 8. 9. 10.

Quartus nostrae iustificationis effectus est quod gloriemur in ipso Deo, ut Patre nostro, et in Iesu Christo nostro reconciliatore, vers. 11.

Ut autem huius nostri cum Deo reconciliatoris necessitatem convincat, rem ab origine petit. vers. 12.

Adae peccatum, originalem nostrae corruptionis causam indicat, ut Christum, nostrae iustitiae fontem ostendat. vers. 12. 13. 14.

Utrumque ergo Adamum et Christum comparat, opponit, Christum Adamo praeponit, vers. 15. 16. 17.

Ac denique, ver. 18, concludit quod sicut per Adae inobedientiam peccatores facti sumus, sic per Christi obedientiam, iustitiam et vitam aeternam adipiscimur.

Paraphrasis eiusdem.

1. Quandoquidem ergo ex fide, et per fidem in Christum, propter delicta nostra traditum, iustificati, et a peccatis nostris mundati sumus, pacem habeamus erga Deum, pacato ac tranquillo simus animo, et a malae conscientiae terroribus libero, utpote Deo reconciliati, per D. N. I. C. mediatorem nostrum,

2. Per quem habuimus accessum ad hanc reconciliationis gratiam, in qua constanter perseveramus, et de qua gloriamur, sperantes gloriam filiis Dei praeparatam.

3, 4. Non solum autem gloriamur in spe futurae filiis Dei gloriae, sed etiam gloriamur, et exultamus in tribulationibus, utpote huic gloriae affinibus; scimus enim quod afflictio parit patientiam, patientia probationem, probatio spem;

5. Spes autem divina nos re sperata non frustrabitur, aut frustratos pudore afficiet; quandoquidem Dei charitas et liberalitas effusa et profusa est in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis ut haereditatis aeternae pignus; tale pignus qui dedit, quid denegabit?

6. Praeterea, ad quid Christus, pro nobis adhuc impiis, et peccatorum infirmitate languentibus, tempore praescripto, mortuus est, nisi ut suam in nos charitatem ostenderet, spemque nostram firmaret?

7. Vix enim pro alio, licet iusto, quis moritur: dixi *vix,* quia pro iusto, et sibi benefico, forte quis sustinebit mori.

8. In hoc autem Deus suam in nos charitatem demonstrat abundabilem, quod Christus pro nobis non sanctis, sed peccatoribus, non amicis, sed inimicis suis, tempore opportuno mortuus est.

9. Quod si tantum beneficium praestitit impiis, quanto magis nos, nunc per ipsius sanguinem iustificatos, Deoque reconciliatos, servabit ab ira Dei in iudicio?

10. Si enim nos, adhuc inimicos Deo per mortem suam reconciliavit, multo magis reconciliatos salvabit, per vitam suam gloriosam et omnipotentem.

11. Non solum autem gloriamur in spe gloriae filiorum Dei,

aut in tribulationibus ad hanc gloriam conducentibus: sed et in ipso Deo gloriae centro; gloriamur, inquam, in Deo ut Patre nostro, et gloriamur in D. N. I. C. per quem Deo reconciliati sumus, in divinam eius filiationem adsciti; idque mira nostrae reparationis cum nostra perditione convenientia.

12. Quemadmodum enim per unum hominem, Adamum scilicet, peccatum intravit in hunc mundum, et per peccatum mors, et ita omnes homines facti sunt mortales, sicut et peccatores; in Adamo enim, humani generis principio, peccaverunt omnes; ita per unum hominem, Christum scilicet, iustitia, et per iustitiam vita intravit in mundum.

13. Quod in Adamo peccaverint omnes homines, et consequenter quod ab Adami temporibus peccatum fuerit in mundo, etiam ante Legem datam, licet peccatum tunc non imputaretur, aut vix putaretur ab hominibus suam concupiscentiam sequentibus, et legem nondum habentibus, quae peccati foeditatem ipsis ostenderet, patet ex morte, effectu, et poena peccati.

14. Ab Adamo enim usque ad Moysen, per quem Lex data est, mors regnavit in omnes homines, etiam in infantes, qui propria voluntate non peccaverunt, sicut Adam peccavit, et qui ob solum Adae peccatum erant peccatores, et ideo mortales; et in hoc Adamus Christi venturi, et rerum ab eo gerendarum est typus, quod sicut Adam omnibus a se natis auctor est mortis et peccati, sic Christus omnibus a se renatis auctor est iustitiae, et vitae.

15. Magnum tamen est inter Christi gratiam, et Adae peccatum discrimen; longe plura enim bona nobis confert gratia Christi, quam Adae peccatum invexit mala; siquidem vitam tantum abstulit hoc peccatum; gratia vero Christi, praeter vitam redditam, multa Spiritus Sancti dona confert, in ipsam immortalitatem....

18. Sicut ergo per unius Adae peccatum reatus ad condemnationem in omnes homines pertransiit, sic per unius Christi iustitiam, iustificatio transiit a Christo in omnes homines, qui credunt in illum.

Alia eiusdem loci paraphrasis J. Beelen. (1)

V. 1-2. Igitur iustificati per fidem, ut consequitur ex praemissa doctrina, haud amplius irae Dei obnoxii sed cum eo reconciliati sumus per D. N. J. C. per quem nempe tamquam nostri reconciliatorem olim, cum Christiani facti sumus, per fidem obtinuimus gratuitum istud iustificationis beneficium, quod nunc possidemus. Sed et laetabundi gloriamur de spe quam fovemus consequendi gloriam illam, quam nobis filiis suis adoptivis Deus in aeterna beatitudine peaeparavit.

V. 3-4. Non solum autem de illa spe laetamur, verum etiam de afflictionibus, quas identidem patimur, quippe qui scimus, quod afflictio patienter tolerata efficiat constantiam, constantiae autem actus saepe repetitus probatam ostendit virtutem, probata autem virtus spem nobis adaugeat illius coelestis gloriae obtinendae.

V. 5-6. Illa autem futurae gloriae spes non fallit: neque enim promissis suis defuturus est Deus, quippe cuius tantus est amor erga nos, ut Spiritum Sanctum suum in nos effuderit; nec pepercerit proprio filio suo, qui quum peccatores adhuc essemus, constituto tempore, pro nobis impiis redimendis mortem est perpessus.

V. 7-9. Scilicit aegre fiet, ut quisquam pro viro aliquo probo mortem subire velit: nam pro benefactore suo mori forsitan quis denique sustineat. Exhibet autem nobis Deus suum erga nos amorem ut plane singularem per hoc, quod Christum filium suum pro nobis mori voluit tunc, quum adhuc peccatores, et iniusti essemus. Igitur multo potius nunc, postquam per eius sanguinem effecti sumus iusti, per eum servabimur a vindicta in peccatores aliquando exercenda.

V. 10-11. Nam si quo tempore Deo exosi eramus, reconciliati cum eo fuimus per propitiatoriam mortem filii eius, multo magis per vitam ipsius salvabimur, quippe iam cum eo reconciliati, et non solum cum eo reconciliati verum etiam de eo, ut de Patre nostro, tamquam filii eius adoptivi gloriantes per D. N. I. C. per quem nempe nunc illam cum Deo reconciliationem obtinuimus.

(1) Comm. in Epistolam ad Rom. Edit. cit. pag. 132 seqq. vel 475 seq.

V. 12. Quamobrem sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum introivit, et per peccatum mors... Atque ita factum est, ut mors in omnes homines pertransierit, quia nempe per unum illum omnes peccaverunt.

V. 13–14. Nam illo temporis spatio quod fuit inde ab Adami peccato usque ad legislationem Mosaicam, homines peccata committebant. Iamvero peccatum non imputatur ad poenam temporalem quando non extat lex quae istiusmodi poenam in peccantem constituat. Atqui toto illo temporis spatio, ab Adamo usque ad Moysem, mors, quae poena peccati est, dominium suum exercuit in homines omnes, etiam in eos, qui non peccaverant ad exemplum Adami, qui homo typus est hominis illius, qui venturus erat, Iesu Christi.

V. 15–17. Verum non sicut se habet damnum quod humano generi fecit Adamus, ita quoque sese habet divinae gratiae donum quod hominibus obtingit per Christum. Non est, inquam, par utriusque ratio. Nam si, quod profitemur, per unius illius hominis lapsum tota hominum multitudo morti occubuit, culpaque illius in omnium nocumentum exuberavit, at multo abundantius Dei amor, indeque profectum gratiae beneficium erga omnes homines sese effudit per gratiam unius hominis, Iesu Christi: neque eadem mensura nocuit Adamus qua profuit Christus etc.

V. 18–19. Itaque sicut unum peccatum hominibus omnibus cessit in condemnationem mortificam; ita quoque unum recte factum hominibus omnibus cessit in iustificationem, quae ad vitam aeternam obtinendam perducit. Etenim sicut per unius hominis inobedentiam etc.

II. Alterum exemplum esto celebre Danielis vaticinium de Christi adventu Dan. IX. 20–27.

Vulgata Dan. IX. 20–27.

V. 20. Cumque adhuc loquerer, et orarem, et confiterer peccata mea, et peccata populi mei Israel, et prosternerem preces meas in conspectu Dei mei pro monte sancto Dei mei.

V. 21. Adhuc me loquente in oratione, ecce vir Gabriel, quem videram in visione a principio, cito volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini.

V. 22. Et docuit me, et loquutus est mihi, dixitque: Daniel, nunc egressus sum ut docerem te, et intelligeres.

V. 23. Ab exordio precum tuarum egressus est sermo: ego autem veni ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es: tu ergo animadverte sermonem, et intellige visionem.

V. 24. Septuaginta hebdomades abbreviatae sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur praevaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur iustitia sempiterna, et impleatur visio, et prophetia, et ungatur Sanctus Sanctorum.

V. 25. Scito ergo, et animadverte: ab exitu sermonis ut iterum aedificetur Ierusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duae erunt: et rursum aedificabitur platea, et muri in angustia temporum.

V. 26. Et post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus: et non erit eius populus, qui eum negaturus est. Et civitatem, et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo; et finis eius vastitas, et post finem belli statuta desolatio.

V. 27. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una; et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium: et erit in templo abominatio desolationis; et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio.

Paraphrasis Gasp. Sanctii. (1)

V. 20. Cumque adhuc intentus essem orationi, ad Deumque supplices atque humiles effunderem preces; et mea atque populi mei peccata confiterer, et pro monte sancto, eversoque templo apud Deum laborarem.

V. 21. In ipso orationis ardore pernici quodam volatu astitit mihi Gabriel, quem in principio visionum mearum magistrum habui, sub noctis crepusculum, quo tempore vespertinus agnus immolari solet. Cuius attactu quasi e profundo somno evigilare visus sum, et ad novam aliquam illustrationem excitari.

(1) Ex eius Comm. in Danielem Lugd. 1619 col. 360 seqq. Haec paraphrasis prima fronte nimis diffusa videbitur verum si loci huius obscuritas consideretur, et plura quae ad eius explicationem aliunde afferenda ac supplenda sunt, hoc vitio auctori non vertetur.

V. 22. Ille, quod prius ante fecerat, docuit me, et hunc in modum est affatus: hoc ipso temporis momento egressus sum, o Daniel, ad te, ut a me doctore maximarum rerum obscuros eventus intelligeres.

V. 23. Licet ex quo primum orationem exorsus es decretum esset a Deo, ut sermonem audires, quem ad te nunc legatus profero; nunc tamen a Deo cum his mandatis primum egredior; tuam enim orationem, et ardens desiderium ab effectu Deus vacuum esse noluit. Tu ergo animum ad sermones meos adverte; et visionis, seu aenigmatis huius intelligentiam cape.

V. 24. Intra septuaginta annorum hebdomadas, quae annos solares efficiunt quatercentum et nonaginta, quod tempus pro rerum magnitudine breve est, instaurabitur civitas et templum; et adveniens Christus efficiet ut praevaricatio dissolvatur, exulet procul ab hominibus iniquitas, et quod diu dominatum est, peccatum intereat. Adducet autem legem, cui nulla deinde lex silentium indicet, et cum illa iustitiam, quae ut vera est, atque interna, sic etiam in aeternum durabit. Hic implebit, quae aut in visionibus oblata, aut alia quavis illustratione accepta, prophetae praedixerunt. Hic erit Messias, idest unctus, inter sanctos sanctissimus, et sanctorum caput.

V. 25. Hoc itaque tibi certo persuade, et septuaginta hebdomadum tempora, de quibus nuper, hunc in modum partire. Ab eo tempore, quo primum facultas erit instaurandae civitatis et templi, ad templi civitatisque consummatam fabricam septem erunt hebdomades; inde vero ad Christum doctorem, et ducem, idest ad tempus usque Baptismatis (Christi in Iordane) sexaginta duae intercedent annorum hebdomades. Aedificabuntur autem muri civitatis, et quae in illorum complexu continentur, plateae videlicet et civium habitacula, cum magna perturbatione ac metu, obstrepentibus undique, et urgentibus hostibus.

V. 26. Ab urbe porro iam instaurata, idest, per annos quadraginta novem, ex quo facta est aedificandi potestas, cum aliae sexaginta duae hebdomades exactae fuerint, occidetur, quem multa saecula iampridem expectant, Christus Dominus. Neque cladem effugiet populus, qui cum ipsius sit, illum tam scelerate negaturus est. Neque enim execrabile facinus impunitum abire oportuit.

Aderit autem, post completas hebdomadas septuaginta dux Romanus cum exercitu numeroso ac forti, qui civitatem et templum a fundamentis eruet, quorum talis erit desolatio et vastitas, ut nullum supersit superioris molis aut gloriae fastigium. Neque absoluto bello instaurabuntur civitatis ruinae: nam eo finito persereverabit tamen perpetua desolatio.

V. 27. In ultima autem hebdomada ex septuaginta, et in eius dimidio moriens Christus testamentum statuet, confirmabitque novum, et abrogabit antiquum; deficient enim sacrificia atque hostiae. Erit autem in templo execrabilis abominatio, neque ullo tempore illius instaurabuntur ruinae aut cessabit vastitas.

III. Tertium denique exemplum afferemus ex prophetico et Messianico psalmo CIX (hebr. 110) *Dixit Dominus Domino meo,* cuius textum utpote notum hic rescribere praetermittimus, eiusque damus paraphrasim quam exhibet B. Card. Thomasius.

Psalmi CIV. paraphrasis Card. Thomasii (1).

1. *Propheta.* Dominus Deus pater aeternus ad Dominum meum Messiam filium suum coaeternum hominem factum ex genero meo dixit: *Sede a dextris meis, mecumque regna in aequali super omnia potestate.*

2. *Et nunc quoque regna etiam ante id tempus, quo demum tandem ponam omnes inimicos tuos sub pedibus tuis, ut sint omnino subiecti, sicuti scabellum pedibus substratum.*

3. Idem Dominus Deus Pater sceptrum tuum forte, potestatemque tuam regiam emittet in mundum ex Sion et Ierusalem, o Messia; ubi primum regnare incipies credentibus in te, seseque tibi subiicientibus: sed et interim usque ad finem saeculi dominare quoque inter medios inimicos ipsos tuos, tibi quidem rebellantes, sed adversus fidem regnumque tuum non praevalentes.

4. Nam in tempore potentissimi regni tui tecum semper erit unita divinitas, quae omnium rerum est principium et causa te-

(1) Ex opere. *Psalterium Davidis cum Ven. Joseph. M. Card. Thomasii perpetua interpretatione* etc. Romae 1759 pag. 551 et seqq. Paraphrasis haec aliquando redundans videtur, sed hoc ex scopo auctoris explicatur; voluit enim suppetias ferre iis qui commentarium adire non possunt, et huius defectum utcumque supplere.

cumque proinde erit rerum omnium dominatus ac principatus: qui gloriosus inter ineffabiles splendores locorum illorum sanctorum coelestis sanctuarii sedes, aequalis Patri: qui tibi unigenito suo dicit: *Ego te non ex nihilo creavi, sed ex memetipso velut ex utero et substantia mea te genui antequam stellam matutinam et luciferam omnesque creaturas facerem a principio mundi.*

5. Idem Dominus Deus Pater iuravit se Te facturum Sacerdotem nec illum poenitebit unquam huius rei, ut in alios transferatur sacerdotium tuum: dixit enim Tibi nato homini: *Tu es sacerdos in sempiternum, eo quod maneas in aeternum semper vivens ad interpellandum pro hominibus, cum alii sacerdotes morte prohiberentur sacerdotio semper fungi: unde tu sacerdos es secundum ritum sacrificii et similitudinem vitae Melchisedech Sacerdotis et regis: cuius cum vitae finis non scribatur in Scripturis sanctis, manet is quodammodo sacerdos in perpetuum assimilatus in hac re tibi filio meo.*

6. Dominus igitur meus Messias iste, qui a dextris tuis sedet, o Pater aeterne, ipso in tempore iustae vitae suae percussurus est, et confracturus reges omnes terrae sibi rebelles.

7. Qui et iudicium faciet de nationibus omnibus, complebitque ruinas inimicorum ad completam usque aeternamque destructionem eorum: et capita confringet omnibus ibi rebellium super totam terram tot populorum multitudine inhabitatam.

8. Messias hic in via et curriculo vitae suae de torrente multarum grandiumque afflictionum bibet, experieturque passiones et crucem: et propterea super omnia suum caput, et gloriam exaltabit, et a toto mundo agnoscetur et adorabitur; habebitque nomen quod est super omne nomen, ut in nomine eius omne genu flectatur caelestium, terrestrium, et infernorum.

Parcat lector si nimium in his referendis immorati sumus: sed optimis exemplis paraphrasis instruendae rationem docere voluimus, qua nulla opportunior aut utilior Scripturae studiosi exercitatio suaderi potest, et iuxta nostram opinionem cum reliquis omnibus Scripturae expositionibus, sive adnotationes sint, sive commentarii semper coniungenda esset, cum ea paucis contrahat et sub oculis ponat quae antea vel postea de sensu auctoris sparsim dicta, et disputata sunt.

CAPUT III.

DE ADNOTATIONIBUS, GLOSSIS ET SCHOLIIS

Omnes isti Scripturae exponendae modi, quemadmodum etiam commentarii, inter se specie non differunt, omnes enim animadversionibus constant nomine interpretis extra contextum Scripturae appositis, quibus eiusdem sensus illustratur; distinguuntur tamen accidentaliter pro varia quam praeseferunt rerum copia, atque indole. Et de commentario quidem in capite sequenti; nunc breviter de reliquis.

I *Scholia* (σχολια) a Graecis, praesertim Alexandrinis, olim dicebantur breves quaedam expositiones sensus difficiliorum locorum in libris sive sacris sive profanis occurrentium: quae quidem addebantur aliquando in margine codicum, alias textui inserebantur, vel etiam ad calcem librorum reiiciebantur. Scholia libris sacris N. T. apposita, et in multis codicibus sparsa, in unum collecta fuerunt et vulgata a doctis viris imprimis Gregory, et Matthaei (1). *Glossae* vero (γλωσσαι) vocabantur explicationes potius verbales, seu difficiliorum et rariorum vocabulorum in veterum scriptis occurrentium, quarum collectiones *Glossaria* dicta sunt: huiusmodi sunt nota *Hesyehii, Suidae,* et *Phavorini* lexica, in quibus promiscue tum sacrorum tum profanorum librorum voces illustrantur, quorum excerpta ad sacram Scripturam pertinentia vulgavit Ernesti (2); item plura *glossaria minora* vulgata elapso saeculo a C. F. Matthaei Moscoviae 1774–75, et iterum in volumine II *Lectio-*

(1) Vide opus: *Novum Testamentum una cum scholiis graecis, e graecis scriptoribus tam ecclesiasticis quam exteris maxima ex parte deumptis, Opera et studio Io. Gregorii.* Oxonii 1703 Fol. item: *Novum Testamentum XII Tomis distinctum graec. et lat. textum denuo recenuit... scholia graeca maximam partem inedita addidit, et edidit Christian. Frid. Matthei.* Rigae 1783–88.

(2) Vide opus: *Glossae Sacrae Hesychii graecae excerpsit, emendavit et notis illustravit C. G. Ernesti:* Lipsiae 1785; item *Suidae et Phavorini Glossae sacrae graecae cum spicilegio glossarum sacrarum Hesychii et Etymologici magni congessit, emendavit et notis illustravit C. G. Ernesti.* Lipsiae 1786. Similia opera ediderunt Io: Alberti et Matthaei.

num Moscoviensium pag. 6 seqq. Latini nomina ista receperunt, discrimen tamen inter *Scholia* et *Glossas* non servarunt: nomine enim glossarum (imo *glossae* singulari numero) intelligebant breviores explicationes, sive verborum, sive sensus Scripturae: hinc *Glossa ordinaria,* et *Glossa interlinearis* aevo medio percelebres. Nunc vero appellationes istae vix amplius in usu sunt, sed dilucidationes cuiusvis generis in Sacram Scripturam latina voce *Adnotationes* plerumque vocantur, et a commentario non differunt nisi in eo quod breviores sint, nec continuam textus expositionem continere soleant, sed difficiliorum tantum locorum.

II. Utilitas *adnotationum* maxima est, si scilicet opportune et apte textui appositae fuerint, multoque magis si eis *paraphrasis* jungatur, ut supra monuimus: immo saepe utiliores, aut certe commodiores ipso commentario videntur, qui ob rerum copiam nimium lectores morari, aut etiam fatigare aliquando solet. Eaedem aptissimam tironibus exercitationis materiam praebent, si nempe assuescant a probatis auctoribus excerpta, vel proprio studio ac meditatione inventa breviter adnotare ad obscuriora Scripturae loca.

III. Praecipua quae in adnotationibus praestari debent haec sunt:

1° Notentur varietates lectionis, quae forte existunt in textu originali et in versionibus, saltem in versione των LXX, et Vulgata.

2° Voces et dicendi formae obscuriores sive ob raritatem, sive ob diversam linguarum indolem illustrentur.

3° Res, personae, aliaque lectoribus minus nota ac familiari breviter describantur ac definiantur.

4° Sermonis nexus, ubi clarus non est, aperiatur.

5° Demum in locis ambiguis ac valde obscuris diversae interpretum expositiones proponantur, non tamen omnes, sed eae tantum quae diversum omnino sensum praebent, et solidioribus rationibus innixae sunt.

Dotes vero quibus adnotationes biblicae pollere debent sunt praeter *fidelitatem, claritas* cum *brevitate* coniuncta.

Cavendum est igitur 1° ne sensus auctoris importunis animadversionibus immutetur, aut perperam repraesentetur: 2° ne quid quam praetermittatur quod revera indigeat explicatione: 3° vice

versa ne frustra adnotationibus illustrentur, quae vulgo lectorum satis nota sunt.

Ad haec praestanda maturum admodum iudicium requiritur, profunda et accurata sacrae Scripturae scientia, dicam etiam, quod nemo miretur, bona fides, et Christiana animi demissio ac modestia: fieri enim potest, ut adnotator ad suam vel ignorantiam celandam, vel eruditionem ostentandam veras difficultates dissimulet et transiliat, et in iis exponendis diffundatur quae sine periculo praeteriri potuissent, atque ita lectoris spem fallat.

Adnotationes in sacram Scripturam plures conscripserunt inter antiquos et recentiores: magnam famam hoc nomine adepti sunt Erasmus, et Grotius, non sine cautela tamen legendi: item Guil. Estius in suis adnotationibus in praecipua et difficiliora sacrae Scripturae loca, quae habentur in eius operum Tomo III. Venet. 1759, et Emmanuel Sa: *Notationes in totam Sacram Scripturam*. Antuerpiae 1598.

CAPUT IV.

DE COMMENTARIIS ET DISSERTATIONIBUS

I. Commentarius est « Erudita, solida rationibusque firmata sensus expositio ». Differt itaque a Paraphrasi et Versione in eo quod explicationem sensus exhibeat extra seriem textus biblici, ab adnotationibus vero eo quod pleniorem et doctiorem sensus expositionem contineat. Non enim commentario sufficit obscuritatem sensus utcumque removere, sed expositionem praebere debet omni ex parte firmam, ita ut lector et fundamenta interpretationis perspiciat, et contrariis refellendis idoneus evadat, et subtiliores quoque occurrentes difficultates earumque solutionem inveniat. Itaque ad optimum commentarium haec potissimum requiruntur.

1° Praemittantur *historicae notitiae* de auctore, scopo et adiunctis libri vel sermonis exponendi. Item ante singula capita *argumentum*, seu summarium, praemittendum erit, una cum *analysi* breviter et clare proposita totius loci.

2° *Lectionum varietas* siqua est subinde adnotetur.

3° *Vocabula et dicendi formae* quacumque de causa obscurae,

vel parum notae, certis testimoniis quando fieri potest, aut etiam per etymologiam, et analogiam linguae explanentur et definiantur.

4° *Sensus locorum ambiguus* vel *obscurus,* adhibitis hermeneuticis regulis sive rationalibus, sive, cum de doctrina sermo sit, etiam dogmaticis, quantum fieri potest certus et clarus reddatur.

5° *Res parum notae,* quae in textu vel leviter tanguntur, vel tantum supponuntur sedulo a commentatore illustrentur, et lectoribus notae reddantur, adhibitis in subsidium vel parallelis Scripturae locis, vel testimoniis ex historia et sacra archaeologia petitis.

6° *Nexus* inter partes sermonis quam accuratissime determinetur, cum exinde sermonis intelligentia praecipue pendeat.

7° Ubi plures occurrunt *interpretum expositiones* ad commentatoris officium pertinet eas proponere, earum fundamenta expendere, et adductis rationibus demonstrare quaenam reliquis praeferenda sit.

8° Demum in *locis doctrinalibus* opportunum erit ea contra haereticorum errores et cavillationes *vindicare,* non quidem diffuse, ut in libris controversiarum fit, sed breviter simul ac nervose.

9° Item abs re non erit conclusiones *practicas,* seu *morales* et *asceticas* indicare, cum hoc ad finem Scripturae maxime pertineat, idque pius lector a commentatore omnino expectet.

II. Ex his satis apparet quaenam esse debeant commentarii *dotes,* et quaenam esse possint *vitia.*

Dotes quidem numerari possunt sequentes. Commentarius est 1° *fidelis:* idque non solum in sensu auctoris repraesentando, qui cuiusvis expositionis prima dos est, sed etiam in aliorum vel opinionibus, vel testimoniis referendis. Qua in re facile peccant qui aut indigesta eruditionis mole onerati sunt, aut nimis festinanter vel negligenter scribunt: hi enim saepe auctores perperam citant, interpretibus tribuunt opiniones quas illi non tradiderunt, textus profanorum inaccurate referunt, et aliquando etiam aliarum scientiarum principia vel conclusiones, quas in subsidium vocant, falso proponunt. Quae omnia nostra praesertim aetate intollerabilia omnino videntur, et in lectoribus fidem in commentarium quem perlegunt omnino labefactant. 2° *Clarus* et *perspicuus:* ad hoc enim commentarius tendit, ut textum obscurum clariorem reddat; si ergo id non assequatur cum tanto rerum et verborum mole

nine, nihil assequutus fuisse videbitur. 3° *Completus*: idest omnia complectens quae lectores ab eo expectant declarari, sive in ordine d sensum intelligendum, sive ad fundamenta interpretationis cognoscenda, et contraria diluenda. 4° *Brevis* etiam pro modulo sit: quamvis enim commentarius copiosior esse debeat cum paraphrasi, um adnotationibus, et ipse tamen modum teneat necesse est, nec nimia rerum copia lectores opprimat, quemadmodum in quibusdam vetustioribus commentatoribus observatur, quos hac etiam de causa nemo amplius legit.

Hinc etiam facile est colligere praecipua *vitia*, in quae commentatores incidere possunt, et aliquando incidunt. Itaque 1° vitio vertendum est commentatori si eruditionis inopportunae ostentandae, vel ingenio suo velificandi gratia interpretationes sectetur artificiosas, nimis subtiles, a longe petitas potius quam obvium auctoris sensum. Quod facile iis evenire solet qui philologiae primas partes concedunt, quae solidiori spiritus Scripturae cognitioni et meditationi concedendae essent. Ab exemplis citandis malumus abstinere. 2° Si interpretationem dumtaxat probabilem tamquam certam tradat, omissis aliis interpretationibus, aut eorum fundamentis non bene ac vere repraesentatis. 3° Si ordinem non sequatur, et arragine observationum, citationum ac opinionum lectoris mentem confundat. 4° Si digressiones admisceat de rebus extraneis, seu am fine interpretationis biblicae parum aut nihil coniunctis. Huiusmodi essent longiores disputationes dogmaticae, morales aut polemicae, quae potius ad separatas dissertationes reiiciendae sunt, t infra dicetur; item nimium allegoriae studium, praesertim si kinde negligatur aut ieiune pertractetur historicus et literalis ensus; item subtiliores deductiones ex singularibus alicuius scholae el philosophicae, vel theologicae placitis unice derivatae. 5° Si ustra immoretur interpres in rebus excutiendis, quae aut clarae indubiae sunt, aut tam parvi momenti ut lectoris attentiom non mereantur; ut ex. gr. quaestiones quaedam mere grammaticales, opiniones obsoletae vel ineptae unius vel alterius interpretis et alia huiusmodi. Apte ad rem nostram Quintilianus lib. I. p. V. § 8. de auctorum enarratione loquens scribit: « Persequi quidem quod quisque unquam vel contemptissimorum hominum exerit, vel nimiae miseriae, aut inanis iactantiae est, et detinet,

atque obruit ingenia melius aliis vacatura. » 6° Si, facilioribus locis probe explicatis, in difficilioribus et vexatis, uti vocant, deficiat, aut brevior et ieiunus sit commentarius. Hoc enim vitium lectores, qui ad haec potissimum intelligenda commentarios adeunt, quodammodo decipit, eosdemque iratos adversus commentatorem reddere solet. 7° Si denique reliquis omnibus etiam servatis, nimis diffundatur commentarius, sive id fiat ob stylum asiaticum et oratorium, qui non est huius loci, sive ob ipsam rerum copiam: est enim contra finem interpretationis omnia dicere quae absolute dici possunt, idque lectoribus nec placet, nec utile est. Erit igitur doctus interpreti ita stylo temperandum ut quantum satis est sensum exponat aç defendat, coetera vero, si opportunum videbitur, in adiectis *Dissertationibus* excutiat, ut videre est ex. gr. in commentariis Aug. Calmeti, ubi singulis tomis *Dissertationes biblicae* de locis, ac rebus obscurioribus appositae sunt.

Postremo animadvertendum est commentarium coniungi posse cum aliis expositionis generibus nempe *versione, paraphrasi* et *adnotationibus,* imo valde opportunum hoc est, et ad expositionis perfectionem quodammodo pertinere videtur. Hoc solent facere quidam recentiores interpretes ex quibus duos hoc nomine laudabimus, et in exemplum huius, ut ita dicam, *mixtae* et *compositae* Scripturam exponendi methodi proponemus. Alter est superius laudatus Bern. a Piconio cuius *Triplex expositio* in B. Pauli epistolas hac ratione instituta est: primo ponit textum latinum uniuscuiusque capitis cum Gallica *versione,* deinde *analysim,* mox addit *paraphrasim;* sequitur *commentarius,* seu uberior sensus expositio, ubi et varias lectiones notat, et philologicas animadversiones inserit; postremo additur *corollarium pietatis,* ubi observationes dogmaticae, morales, asceticae, et pii affectus singulis Apostoli locis respondentes suggeruntur (1). Alter vero est Illmus Io. Theod. Beelen in suo: *Commentario in Epistolam S. Pauli*

(1) Cum tale ac tantum sit huius operis pretium sub quovis respectu consideratum, ita ut Epistolarum Paulinarum studiosis nihil utilius aut charius esse soleat, subit mirari Illmum Beelen nullam de eo mentionem fecisse in *Prolegomenis* sui commentarii in Epistolam ad Romanos, ubi profitetur se optimos quosque Epistolarum Paulinarum interpretes enumerare voluisse.

ad Romanos Lovanii 1854 1 Vol. in 4° sequenti methodo adornato. Praemittit docta *Prolegomena,* ubi de Epistolae authentia, scopo, indole, interpretibus agit; tum vero pro singulis capitibus affert 1° Argumentum (cum analysi), 2° textum Graecum, Vulgatam latinam, et suam *paraphrasim* (tribus columnis), et in margine inferiori variantes lectiones, 3° commentarium philologico-historico-dogmaticum, 4° In margine alias breviores adnotationes. In fine demum Voluminis repetit ac simul sistit continuam totius Epistolae paraphrasim. Similem methodum Cl. Auctor tenet in suo *Comm. in Acta Apostolorum* Lovanii 1850, et in *Comment. in Epistol. S. Pauli ad Philippenses* ib. 1852. Haec tamquam optimum eruditae expositionis specimen haberi possunt.

Et haec de commentario.

Dissertationes vero, ut supra innuimus, tamquam complementum et supplementum commentarii habendae sunt. Hic vero non loquimur de *dissertationibus biblicis* in genere consideratis, sed in specie de dissertationibus *exegeticis* (1). Sunt autem istae longiores tractationes de singularibus Scripturae locis. Quare omnia fere quae de commentariis dicta sunt ad has etiam pertinent, cum hoc tantum discrimine quod in his brevitas non praescribitur, quinimo oportet eas omni ex parte plenas esse, ita ut rem de qua agitur quodammodo exhaurire videantur. Ad earum tamen rectam institutionem duo tantum hic observabimus: 1° ea quae afferuntur in dissertatione apta sint ad rem illustrandam, nec vanae eruditionis speciem tantummodo praeseferant. 2° Ordo tractationis, quam accuratissime fieri potest servetur: non raro enim fit ut in huiusmodi elucubrationibus multa festinanter, et absque debito ordine simul congerantur, quae lectoris animum potius fatigant et obnubilant quam illustrent. Contra vero si omnia lucido, et apto ordine di-

(1) Dicuntur enim dissertationes biblicae quae ad S. Scripturam quovis modo referuntur. Possunt autem in varias species dividi pro vario argumento quod pertractant; et in genere vel ad quaestiones Introductionis referri possunt, ut sunt dissertationes de authentia alicuius libri vel pericopae, item aliae chronologicae, geographicae, archaeologicae etc.: vel ad sensum loci alicuius illustrandum. Primae classis dissertationes communi vocabulo appellari possunt *criticae,* alterius vero classis *exegeticae,* de quibus tantum hic est sermo.

sponantur, quantumvis docta et prolixa fuerit dissertatio, libenter et cum fructu legitur, atque intelligitur. Ad huiusmodi exegeticas monographias referendae sunt nonnullae ex dissertationibus Calmeti, item Laur. Reinke *De messia expiatore, passuro, morituro* Monasterii 1836, quod opus nihil aliud est quam diffusa commentatio in Is. LII. 13–LIII. 12. item eiusdem: *Exegesis critica in Isaiae II 2–4 seu de gentium conversione in V. T. praedicta* ibid. 1838.

CAPUT V.

DE POPULARI ET PASTORALI SCRIPTURAE EXPOSITIONE

I. Quae hucusque dicta sunt ad doctam et eruditam Scripturae expositionem pertinent, quae cultis lectoribus, et Theologiae studiosis destinatur. Verum interpretem meminisse oportet verborum Apostoli: *Sapientibus, et insipientibus debitor sum*: quapropter sciat etiam necesse est quomodo Scripturae expositio Christianae plebis captui accommodari possit, ut illum ex ea fructum percipiant quem Spiritus Sanctus in Scriptura inspiranda intendit. Cum autem id fieri possit tum scriptis, tum viva voce, hinc distinguere possumus popularem tractationem scripto mandatam, et pastoralem Scripturae expositionem quae viva voce a pastoribus animarum in concionibus ad populum fit, quaeque proprio vocabulo *homilia* dicitur. Rursus de his loqui possumus sub duplici respectu, vel rhetorico nempe, vel hermeneutico. De primo autem tractare pertinet ad oratoriam sacram, uti aiunt, sive eloquentiae sacrae institutionem, ubi de horum sermonum compositione, ac stylo praecepta traduntur, de respectu autem hermeneutico huius expositionis pauca hic subiicienda sunt.

II. Itaque expositio de qua loquimur in multis discrepat a docta et erudita expositione, pro diverso scilicet fine quem speciatim intendit, et pro diversa conditione et idoneitate eorum in quorum gratiam praecipue instituitur. Ex dictis autem satis apparet quaenam esse debeant dotes huiusmodi expositionis. Scilicet 1° *simplicitatem* cum *claritate* coniunctam praeseferre debet. Idest non solum stylus talis sit oportet, ut ab omnibus etiam rudioribus facile intelligatur (quamvis non debeat plebeius esse, et san-

ctitati Scripturae minus conveniens), sed etiam, et multo magis rerum delectus, atque ordo facilis, ac perspicuus omnino esse debet. Opus est enim in populari expositione imprimis quaestiones omnes nimis subtiles, aut mere speculativas omittere, quales sunt ex. gr. chronologicae discussiones, diversae philosophorum aut theologorum opiniones, grammaticales ac philologicae observationes, aliaque similia quae populus Christianus aut non intelligit, aut non amat, aut certe a pastoribus audire non desiderat. Deinde in ipsa rerum quae exponendae sunt tractatione argumenta proponantur non scholastica ratione, aut implexis ratiocinationibus, sed plana omnino et familiari forma, multa supponendo, alia per interrogationes ac responsiones proferendo, adhibitis quoque quantum fieri potest similitudinibus, apteque selectis exemplis, quae auditorum vel lectorum animos saepe melius quam argumenta movere solent. 2° Praecipuus scopus huiusmodi expositionis practicus esse debet, ideoque non solum mentem auditorum illustrare, sed etiam affectus movere, et voluntatem allicere debet popularis interpres: miscendo nempe expositioni exhortationes et incitamenta deprompta ex Christi et Sanctorum exemplis, ex fructibus qui e Christianarum virtutum exercitio proveniunt aliisque huiusmodi. Quae quidem numquam praestabit interpres nisi ipse non solum doctrina, sed et pietate, ac vero Dei spiritu imbutus fuerit. 3° Ad formam specialem quod attinet in homiliis quidem commentarium imitari oportebit, observatis tantum differentiis superius expositis: in scripta vero expositione licebit etiam paraphrasim adhibere, dummodo simplici claroque stylo exarata sit, additis quoque brevioribus adnotationibus, non tam criticis aut philologicis, quam dogmaticis, moralibus et asceticis, iisque ex thesauro sanctorum Patrum quantum fieri potest depromptis.

Ad ultimum notandum est non omnes S. Scripturae partes huius generis expositioni aeque aptas esse. Quare ante omnia oportebit eos libros vel librorum partes seligere, quae populi intelligentiae, indigentiis, ac desideriis accommodatiores videantur, ceteris ad eruditos interpretes ac Theologos remissis. Qui hoc non adverterit cogetur in decursu expositionis aut quaedam transilire, aut populum taedio afficere, aut ad violentas et a longe petitas expositiones allegoricas confugere, quae nunquam probandae sunt. Ita

fieret ex. gr. expositori qui vellet librum Levitici, et minutas descriptiones ritualium et legalium praeceptorum in eo contentas populo enarrare, vel obscurissima Ezechielis, aut Apocalypseos vaticinia evolvere. Nihil fortasse aptius huic populari expositioni quam libri historici, et morales. (1)

Optima popularis expositionis exempla suppeditant Sancti Ecclesiae Patres in suis *homiliis,* et *tractatibus* in S. Scripturam, praeceteris S. Iohannes Chrysostomus in homiliis super Pauli Epistolas; et S. Gregorius M. tum in Libris Moralium in Iob, tum in homiliis super Evangelia. Recentiores vero quamplurimi tam nostrates quam exteri hac laude inclaruerunt, quorum praecipua opera manibus omnium versantur, ut ex. gr. expositio in Evangelia Dominicalia Card. de la Luzerne, Lectiones sacrae PP. Granelli, Zucconi, et Finetti e S. J. Nuper lectiones exegeticas edidit C. Curci praesertim in Librum Tobiae (Florent. 1877), et in IV Evangelia (ib. 18. 74-76).

CAPUT VI.

DE EXERCITATIONE EXEGETICA

Cum Hermeneutica sit practica scientia, imo magna ex parte potius ad artem revocanda, evidens est sola praecepta ad eius certum et expeditum usum sufficere non posse nisi practica accedat exercitatio, et regularum applicatio fiat. Hoc enim experientia teste in omnibus huiusmodi disciplinis observatur, quas saepe probe nos callere existimamus, simul vero ac eas ad practicos usus transferre volumus prorsus haeremus, aut etiam ipsam theoriam haud satis nos intellexisse comperimus. Traditis itaque praeceptis de modo invenienti et exponendi Scripturae sensum, exercitatio exegetica accedat necesse est. Qua in re licet sanum iudicium, et constans voluntas multum valeat, nonnulla tamen in gratiam tironum monere operae pretium erit.

Recolenda imprimis sunt ea quae monuimus initio praecedenti

(1) Plura de populari expositione recte instituenda tradunt auctores qui *pastoralem*, uti nunc vocant, *theologiam* pertractant. Praecipua ex operibus imprimis I. M. Sailer: *Praelectiones de Theologia Pastorali* excerpta accurate exponit Güntner in *Herm. bibl. gen.* §. 124–127.

Partis de subsidiis remotis, seu potius dispositionibus praerequisitis in interprete sacro, sive ex parte intellectus, sive ex parte voluntatis: sine his enim Scripturae interpretatio ne tentanda quidem foret. His itaque suppositis, haec prae oculis habeto.

I. Exercitatio exegetica non sine duce inchoanda est. Scilicet eligatur facilior aliquis Scripturae liber, puta historicus, et sive sub magistri directione ac regimine, sive saltem optimo aliquo commentario in exemplum proposito, explicatio textus incipiatur. Conetur itaque studiosus explicationes ab illo propositas recte intelligere, in singulis animadvertere quaenam hermeneuticae regulae et quomodo adhibitae fuerint, ubi vero dubitaverit alios quoque interpretes vel interroget, vel legat, ac paullatim discat relativum expositionum valorem iudicare. Interim scripto mandanda erunt quae optima in singulis visa sunt, eaque propriis verbis, propriisque argumentis confirmare. Huiusmodi exercitatio per aliquod tempus continuata sensim sine sensu facultatem quamdam interpretandi pariet.

II. Antequam singuli versiculi explicentur integer locus generali quadam ratione dispiciendus erit. Imo totus liber legendus, eiusque dispositio ac nexus secundum contextum et auctoris scopum investigandus est, et *analysis* seu resolutio argumenti totius libri in suas partes saltem maiores facienda, quam praestabit statim scripto consignare. Tum vero ad singulas partes exponendas accedatur.

III. Postquam singula loca quis recte intellexisse sibi videtur, utile erit sensum ita perceptum per *paraphrasim* exponere, quae paucis verbis considerata, et perlecta clare perstringere debet. In hac enim conficienda facile apparebit an quis vere sensum loci perceperit, an vero ulterior consideratio necessaria sit.

IV. Utile erit difficiliora Scripturae loca seorsim notare, ut pro data opportunitate eorum intelligentia quaeratur, et si quis de obscuriori aliquo testimonio interrogatus fuerit, nec, ut saepe fit, quaerenti potuerit satisfacere, hanc occasionem arripiat, et veluti stimulum sibi adiectum sentiat ad locum illum recte et profunde intelligendum. Haec exigua industria vix dici potest quot temporis decursu pariat emolumenta.

V. Interim omittendum non erit affinium scientiarum, et disciplinarum studium: sed harum auctores legendi, fontes consulendi,

et notitiae paulatim comparatae, aut ex libris excerptae (puta de linguis orientalibus, de sacra geographia, de archaeologia) memoriae imprimendae, et chartae mandandae sunt, notatis locis quibus illustrandis inservire possunt.

VI. Demum ita instructus interpres expositionem proprio, uti dicitur, marte, proprioque ingenio confisus aggredi debet, vel per adnotationes cum paraphrasi coniunctas, vel per commentarium aut homiliam. Verumtamen his primis tentaminibus haud nimis fidere oportet, sed ea vel provectiorum iudicio subiicienda, vel paullisper in scriniis delitescere permissa iterum ad trutinam revocanda sunt, et tranquillo animo expendendum an cuncta recte se habeant. Quo facto plura vitia, quae primo attentionem effugerant, animadvertentur, et corrigentur. Atque ita post exactum aliquod temporis spatium securior, et excercitatior quis evadet.

VII. Cum necessarium omnino sit aliorum commentarios consulere ad exegeticum studium non solum inchoandum, sed etiam perficiendum, nec quisquam interpres, aut theologus quantumvis doctus iis carere possit, summi momenti res est prudenter ac scite eos tum deligere, tum in usum convertere. Et ad delectum quidem quod attinet nec omnes legi possunt aut debent, nec quicumque in manus inciderint, verum ex prudentum virorum iudicio, et ex propria experientia, ii tantum seligendi sunt qui optimi iudicati fuerint, ceteri autem in singularibus tantum locis forte erunt adeundi, quando scilicet feliciores in iis exponendis fuerint, quod nonnunquam mediocribus quoque interpretibus usuvenisse scimus. Postquam vero optimi commentatores selecti fuerint in iis legendis haec animadvertenda erunt. Imprimis unus vel alter commentarius eligatur non quidem unius vel paucorum librorum, sed totius Sacrae Scripturae, quem quis tamquam principalem ducem sequatur, et quocum alii interpretes comparentur. Hoc enim efficit ut principia ac methodus interpretandi uniformiter in omnibus Scripturae libris adhibita melius percipiantur et omnes Scripturae expositiones inter se aptius cohaereant. Attamen uni commentario minime adhaerendum est, sed alii comparandi, sive generales, sive quarumdam Scripturae partium, et quidem diversae indolis, ut utilior eorum collatio evadat: singuli enim suas habent dotes in quibus maxime excellunt, suos etiam defectus quibus nemo

caret: alter ex. gr. Patrum et Ecclesiae interpretationes accuratius et copiosius sistet puta Corn. a Lapide, et Calmetus, alter contextum et logicum ordinem clarius exponit, puta Maldonatus, et Bernardinus a Piconio, alius literalem et philologicam expositionem subtilius et doctius persequitur, puta Bonfrerius, Ackermann, Beelen et generatim recentiores melioris notae interpretes, et ita porro: quas proinde dotes in singulis dispicere oportet, ut ita unius defectus per alterum suppleatur, et ex multorum comparatione tum ingenium exerceatur, tum propria interpretandi ratio perfectior evadat. Ad hoc autem facilius dignoscendum praestabit ¡loca quaedam Scripturae profundiora, atque obscuriora apud diversos interpretes consulere, ex iis enim tamquam ex lydio lapide probatur quantum quisque valeat, et quid a singulis sperandum in ceteris locis sit.

Ad haec omnia facilius praestanda subiicitur sequens.

SECTIO II.

BREVIS NOTITIA PRAECIPUORUM SCRIPTURAE INTERPRETUM

Propositum nobis non est elenchum omnium interpretum subiicere, quod maioris operis negotium est, a pluribus doctis viris susceptum (1), sed ad normam Theologorum de clarioribus tantum pauca animadvertere. Haec brevis historia sponte sua dividitur in duas partes, prout interpretes vel Iudaei sunt, vel Christiani. Horum autem historia complectitur notitiam exegeseos tum sanctorum Pa-

(1) Uberiorem notitiam commentatorum Iudaeorum exhibent Bartolocci, et Wolfius alter in Bibliotheca magna rabbinica, alter in Bibliotheca hebraica, prae coeteris vero De Rossi in suo: *Dizionario Storico degli autori Ebrei.* Parma 1802. Christianorum autem interpretum copiosissimum indicem tradunt inter coeteros Sixtus Senensis in Bibliotheca Sancta lib. IV, et recentius Calmet in *Bibliotheca Sacra* praefixa eius *Dictionario biblico*, et imprimis Lelong in *Bibliotheca Sacra in binos syllabos distincta* cum additionibus et supplementis Boernerii et Maschii Halae 1778-90. Notitiam et iudicium de praecipuis commentatoribus tum Iudaeis tum christianis tradit etiam Rich. Simonius in: *Histoire Critique du V. T.* (Lib. III), et in: *Histoire critique des principaux commentateurs du N. T.* Verum hic auctor non semper aequum iudicium fert de SS. Ecclesiae Patribus.

trum, tum Doctorum medii aevi tum recentiorum, qui rursum in Catholicos, et Protestantes distinguendi sunt. Hunc igitur ordinem in hac brevi expositione tenebimus.

CAPUT I.

De iudaeis sacrae scripturae interpretibus

In Prolegomenis nonnulla animadvertimus de Iudaeorum exegesi ante Christum, et initio aerae christianae, quibus tamen aetatibus licet fortasse vere ac proprie dicti commentatores extiterint nulla tamen huiusmodi opera scripta ad nos pervenerunt. De cabbalistica quoque interpretandi ratione, Iudaeorum fere propria, quaedam superius dicta sunt. His igitur omissis, hic eorum tantum scripta recensebimus qui proprie dictos commentarios methodo plus minus literali in Sacram Scripturam composuerunt, quique etiam Christianis utiliores esse possunt. Hi omnes floruerunt inter saeculum XI. et XVI, et dialecto rabbinica plerumque scripserunt, unde versio latina prodiit. Praecipui sunt sequentes.

1. *Aben-Ezra.* In Hispania floruit saeculo XII: scripsit commentarios in Pentateuchum, Prophetas et plerosque alios libros V.T. qui in *bibliis Magnis rabbinicis* primo loco apponi solent. Subtilis est, literalis, licet allegoriam non respuat, a fabellis etiam et superstitiosis Rabbinorum somniis plerumque sibi cavet, regulas quoque interpretandi satis accuratas tradit in praefatione in Pentateuchum. Stylo tamen utitur valde obscuro, quo fit ut etiam hebraice scientes in eius lectione saepissime haereant: quare explicationes seu commentarii in ipsos commentarios scribi debuerunt quos hebraei בְּאוּרִים vocant.

2. *Rabbi Moses Ben Maimon,* quem brevitatis causa Iudaei *Rambam* vocant (1), Christiani vero Maimonidem, et ipse hispanus fuit, eiusdemque cum priore aetatis: commentarium scripsit in difficiliores Scripturae locos, cui titulum fecit: *Moreh Nevuchim*

(1) Conflata est haec vox ex initialibus vocum *Rabbi Moses ben Maimon* רמבם appositis punctis vocalibus seu duplici pathah: simili modo aliorum praecipuorum Rabbinorum nomina in unam vocem contrahunt, ut infra notabimus.

מוֹרֶה נְבוּכִים seu, *doctor perplexorum*. Magnam apud Hebraeos celebritatem adeptus est, et a Christianis etiam doctoribus non raro citatus invenitur.

3. *Rabbi David Kimchi*, a Iudaeis dictus *Radak*, in Gallia saeculo XIII floruit. Commentarios scripsit ob accuratam et literalem sensus expositionem valde laudatos, licet illis subtiliores grammaticas quaestiones plus aequo immisceat. Stylo utitur satis facili, et ad biblicum hebraismum propius accedente: quare Buxtorfius in *Conclusione* sui Lexici Hebraici eius lectionem commendat tironibus, qui ad difficiliora Rabbinorum scripta intelligenda gradatim pervenire student.

4. *Rabbi Salomon Isaac*, cognomine *Iarchi* (et a literis initialibus *Rasci* dictus) in Gallia pariter floruit saeculo, ut videtur, XII. In suis commentariis traditionali Iudaeorum expositioni potissimum adhaeret, neglectis superfluis grammaticorum subtilitatibus: quare in multis locis cum S. Hieronymo apprime convenit; Thalmudicis tamen fabellis non raro indulget, et Scripturae sensum pervertit.

5. *Rabbi Moses Ben Nachman* (*Ramban* dictus) Pentateuchum exposuit; plerumque mysticam et cabbalisticam interpretationem sequitur, saepe tamen grammaticus est, et literalem sensum accurate exponit.

6. *Rabbi Levi Ben Gerson* (*Ralbag*) in Gallia vixit saeculo XIV: in ratione interpretandi Maimonidi similis est, multa ex philosophia peripatetica inducit, miraculorum etiam narrationes saepe extenuat et in alium sensum detorquet.

7. *Rabbi Bechai* puriori stylo Pentateuchum exposuit triplici interpretatione, *literali, allegorica* et *cabbalistica*. Rich. Simonius literalem expositionem laudat, et dignam existimat quae in latinum conversa in lucem edatur.

8. *Rabbi Isaach Abarbanel* Lusitanus saeculo XV floruit. Rich. Simonius eius commentarium existimat ceteris utiliorem esse ad S. Scripturae intelligentiam, vel ex eo quod antiquiorum Rabbinorum interpretationes adducit, expendit et iudicat, pluribus quoque ex proprio ingenio subtilioribus et accuratis observationibus insertis. Stylo utitur puro, eleganti et oratorio; non raro tamen animadversiones antichristianas immiscet.

9. *Rabbi Imanuel Ben Salomon* in omnes V. T. libros com-

mentarios scripsit quos laudat Io. Bern. De Rossi in op. cit. De Auctoribus Iudaicis. Plerique inediti sunt et in eiusdem De Rossi bibliotheca (nunc civitatis Parmensis) mss. asservantur. Idem De Rossi specimen eorum dedit in opusculo: *R. Imanuelis f. Sal. Scholia in selecta loca Psalmorum*. Parmae 1806.

10. *Rabbi Mardochai Ben Eliezer* Cpolitanus saeculi XIV, quemadmodum Abarbanel, aliorum Rabbinorum, praesertim Aben-Ezrae, expositiones ad examen revocat, et sensum literalem plerumque satis accurate ex penitiori linguae hebraicae cognitione et sermonis contextu eruere conatur.

11. *Rabbi Lombroso* Biblia hebraica edidit adiectis brevioribus, sed accuratis et opportunis adnotationibus in difficiliora textus loca.

12. *Rabbi Aben Ben Melech* Hispanus commentarium in totam Sacram Scripturam potissimum ex optimorum rabbinorum antiquiorum expositionibus opportune selectis conflatum edidit, quem Iahnius ait fortasse plerisque aliis esse praeferendum.

Ceteros minoris momenti, praesertim eos qui cabbalisticis et allegoricis sensibus praecipue indulgent, enumerare pratermittimus. (1)

Praedictorum Rabbinorum commentarii Christianis innotuerunt partim ex *Bibliis rabbinicis* quae eorum praecipuos complectuntur (2), partim ex separatis editionibus, et imprimis ex eorum versionibus, quae identidem apparuerunt. Ita Aben Ezrae, et Mai-

(1) Allegoricae scripturae expositiones satis multae a Iudaeis confectae generali vocabulo vocantur *medrascim* מִדְרָשִׁים ex his prolixiores quaedam appellatae fuerunt *Rabboth* רַבּוֹת seu *magnae* (*expositiones*, in Pentateuchum et quinque Megilloth, quorum singulae vocari solent a prima voce seu titulo libri sic: *Berescith Rabba* est expositio in Genesim, *Scemoth Rabba* in Exodum et ita porro. Omittimus etiam alios exegeticos Iudaeorum libros incertae aetatis et auctoris, ex. gr. *Siphra* סִפְרָא (expositio in Leviticum) *Michilta* מְכִילְתָּא (Expos. in Ex. XVI-XXIII, 20 XXXI, 12-17 XXXV. 1-4), *Tanchuma*, aliaque de quibus vide auctores citatos Bibliothecarum Iudaicarum, item Blas. Ugolini in Vol. XIV *Thesauri Antiqq. Sacrarum*.

(2) Haec dicuntur *Biblia magna rabbinica*. Duo sunt praecipuae eorum editiones altera Dan. Bombergii Venet. 1525-26, altera Io. Buxtorfii

monidis commentarii noti erant Doctoribus medii aevi ex antiqua eorum latina versione; commentarium Kimchi in Psalmos latine edidit A. Ianvier O. S. B. Parisiis 1666, eiusdemque commentarium in Isaiam latine redditum vulgavit Caes. Malanimeus Florentiae 1674. Praeterea optimas Rabbinorum expositiones allegarunt, et in suos usus converterunt non pauci interpretes catholici vel ex Iudaismo conversi, vel aliunde in Hebraeorum literis familiariter versati, quemadmodum fuerunt Nicholaus Lyranus, Paulus Burgensis, Sixtus Senensis, Sanctes Pagnini, et prae coeteris Raim. Martini in *Pugione Fidei*, quem excerpsit Galatinus in *Arcanis Catholicae Fidei*, adnotationibus vere copiose instruxit Duvoisinius. Et haec de Iudaeorum commentariis.

CAPUT II.

Antiquiorum ecclesiae patrum exegesis usque ad saeculum VIII.

Nomine Patrum hic comprehendimus brevitatis causa omnes Ecclesiasticos scriptores, qui in antiqua Ecclesia floruerunt, et Sacrae Scripturae ediderunt expositiones: horum vero praecipuos tantum afferemus, et quidem primum Graecos et Orientales secundum varias eorum scholas, tum vero Latinos usque ad S. Iohannem Damascenum.

ARTICULUS I.

Patres graeci et orientales

Primis Ecclesiae saeculis plures extiterunt in Oriente Scholae exegeticae, quarum tres praecipuas in Prolegomenis innuimus, *Alexandrinam*, *Antiochenam*, et *Edessenam*, indole ac methodo interpretandi non parum inter se diversas. Harum igitur praecipuos commentatores indicabimus, additis nonnullis de Schola *Nisibena*, quae magnam cum Edessena connexionem habuit.

I. Schola Alexandrina.

asil. 1618-19. Praeter textum hebraicum complectuntur Targumin, tractatus Masoreticos, et Commentarios praecipuorum Rabbinorum supra, infra, circa textum distributos, omnia hebraice et rabbinice.

Haec schola inter omnes antiquissima creditur, et ab ipso S. Marco Evangelista fundata. Dicta est schola *cathechetica,* quia eo potissimum fine instituta est ut Christianae religionis dogmata ibidem docerentur, profundius exponerentur, et adversus paganos philosophos, quibus Alexandrina civitas abundabat strenue vindicarentur. Religionis revelatae expositio secum ferebat expositionem Sacrorum Librorum, qui eamdem divinam Revelationem complectuntur, quare schola cathechetica mox evasit *Exegetica,* sub quo respectu nunc illam considerabimus. Dicuntur autem ad scholam Alexandrinam pertinere (idem de aliis Scholis intellige) non solum illi qui in eadem schola vel docuerunt, vel Scripturarum scientiam didicerunt, sed ii quoque qui in aliis locis educati et constituti magistrorum Alexandrinorum expositiones, et *Scripturam exponendi methodum* sectati sunt.

Huius autem methodi indoles ac proprius veluti character, ut saepe monuimus, collocandus est in praecipuo quodam studio allegorizandi, seu historias, et praecepta in sacris Libris obvia explicandi improprio, translato et accommodato sensu, quem fidelibus utiliorem existimabant quam sensum obvium et historico-grammaticum, licet et hunc non omnino excluderent: quod infra clarius explicabimus.

Scholae Alex. praecipui Doctores, et interpretes fuerunt sequentes.

S. Pantaenus Alexandrinae Scholae fundator, et primus moderator multa quidem scripsit ab Eusebio laudata, quae tamen ad nos non pervenerunt. Cum in Indiam profectus fuisset ad populum illum Evangelio imbuendum publicam Scripturae expositionem et Scholae regimen reliquit discipulo Clementi Alexandrino circa annum 190.

Clemens Alexandrinus eloquentia, philosophia et omnigena eruditione praestans, diu Scripturas exposuit in laudata Schola, quo ingens auditorum numerus confluebat: praecipuas etiam expositiones plurium librorum utriusque Testamenti scripto consignavit octo libris *Hypotyposeon,* quos Eusebius, et Hieronymus laudarunt, e quibus tamen nonnisi pauca fragmenta aetatem tulerunt. Eius tamen interpretandi ratio magna ex parte diiudicari potest ex Origenis eius discipuli scriptis.

Origenes Clementis discipulus et successor in Schola Alexan-rina magistrum suum, aliosque omnes antecessores, et aequales uperavit tum fama doctrinae et eruditionis, tum numero et splen-ore operum quae posteris reliquit, quae quidem numero poene nfinita fuisse veteres tradiderunt. (1) Ex his magna pars iniuria emporum interciderunt: quae supersunt 4 Voluminibus in folio omprehensa sunt in editione quas PP. Maurini Car. et Vinc. De-rue adornarunt Parisiis 1733-59. Omissis Origenis scriptis dida-ticis, asceticis, dogmaticis, apologeticis (cit. ed. to. I.) de quibus on est hic dicendi locus, omisso etiam percelebri critico opere Iexaplorum in S. Scripturam de quo alias dictum est, ad Scri-turarum interpretationem quod attinet, Origenes primus est qui mnes Sacros Libros V. et N. T. continuata expositione explanaverit, t S. Epiphanius haer. 64. n. 3 testatur, excepta fortasse Apoca-ypsi. Quin immo refert S. Hieronymus (Praef. in interpr. Homil, rig. in Ezechielem) eum triplici expositionis genere Scripturas in-erpretatum fuisse, nempe 1° per *Scholia,* seu breves notas difficilio-ibus locis illustrandis, 2° per *Homilias*, in quibus ad populi captum, t aedificationem Sacros Libros accommodavit, 3° per *Commentarios,* uos ipse τόμους appellavit, « in quo opere (inquit Hieronymus) tota ngenii sui vela spirantibus ventis dedit, et recedens a terra in medium elagus aufugit ». Non omnia exegetica Origenis opera ad nos per-enerunt. Scholia, quae nobis utiliora ceteris fuissent fere deperdita unt, quamvis credatur praecipua quae in eis continebantur in com-nentarios S. Basilii, Gregorii Naz. aliorumque Graecorum prae-ertim Alexandrinae scholae transfusa fuisse. Ex *Homiliis* et *Com-*

(1) Eusebius in Lib. VI. Hist. Eccles. c. 18 et 19, et Hieronymus Lib. vir. ill. et alibi plura referunt de mirabili Origenis doctrina in omnibus ene humanis scientiis, (quam ob causam apud Paganos etiam philosophos est agno in honore habitus), item de incredibili librorum copia ab ipso conscri-orum: « Quis nostrum (inquit Hieronymus) tanta potest legere quanta ille nscripsit? Mille, et eo amplius tractatus, quos in Ecclesia loquutus est, idit; innumerabiles praeterea commentarios, quos ipse appellat τόμους » (Hier. . 41 al- 65). Quinimo S. Epiphanius haer. 63 narrat famam percrebuisse rigenem *sex millia librorum* scripsisse, quod tamen Hieronymus exagge-tum putat, et eius librorum numerum ad 2,000 coarctandum esse. Hac aecipue de causa Origenes cognominatus fuit *Adamantius*, quasi infati-abili et invincibili in disserendo et scribendo robore praeditus.

mentariis satis multa supersunt, alia quidem in originali textu graeco, alia in latina versione a S. Hieronymo, et Rufino adornata; rursus Graeca alia quidem integra reperta sunt in antiquis codicibus, alia tantum in fragmentis quae asservata fuerunt ab Eusebio, aliisque Graecis scriptoribus, vel in *Catenis* Graecis relata vel demum in *Philocalia,* quod opus est conflatum ex variis locis operum Origenis cura SS. Gregorii Naz. et Basilii M. (V. Greg. Naz. ep. 115). Haec fragmenta diligenter collecta et iuxta ordinem Ss. Librorum distributa habentur in laudata editione Maurina aliisque sub titulo: *Selecta* in Genesim, in Exodum, in Psalmos etc. (1)

Ad indolem et meritum Origenis quod attinet, non exigua semper extitit opinionum discrepantia. Inter ipsos coaevos, et suppares alii quidem ut *haereticum* et *animarum corruptorem* Origenem traducunt, ut Methodius, et Eustathius Martyres, et Pachomius Abbas; alii vero tamquam Ecclesiae lumen, et *secundum post Apostolos Ecclesiarum magistrum* eum praedicant, alii scripta eius diligenter conquirebant, et latinitate donata in Occidente propagabant, ut Pamphilus, Hieronymus, Rufinus, alii e manibus fidelium eripere satagebant, ut Epiphanius, et Theophilus, alii speciales sententias et libros eiusdem refutandos suscipiebant, et absolute damnabant; quos alii benigne explicari posse arbitrabantur, ut faciunt Didymus Alex. Iohannes Chrysostomus aliique insignes Ecclesiae Doctores. In subsequentibus saeculis similes controversiae identidem renovatae sunt, multosque Origenes nactus est contradictores et vituperatores, nonnullos etiam laudatores, et vindices: qui tamen mediam veluti opinionem profitentur,ut dicant Origenem quidem orthodoxa scripsisse, eius tamen opera ab haereticis fuisse vitiata, uti apertе monuerat inter alios Pamphilus M. in Apologetico, ideoque Ecclesiae damnationem ad opera eius corrupta, non ad genuina et originaria spectare (2). De dogmaticis Origenis opinionibus et ei

(1) Exegetica Origenis opera, quae graece extant seorsim edidit Gr. et Lat. Illmus Huetius to. II. folio Rhotomagi 1668 cum doctissimis Prolegomenis quae inscripsit *Origeniana.*

(2) Diu post mortem Origenis damnationis in eum sententia lata est in Concilio V. Oecum. a. 553. Coll. V. can. XI, renovata in Conciliis VI VII et VIII.

roribus disserere non est huius loci (1). Hic tantum de eius methodo Scripturam interpretandi pauca adnotabimus. Nemo negabit insignes quasdam dotes in Origenis commentariis et homiliis elucescere, sermonis splendorem ac copiam, singularem claritatem, conceptuum quoque originalitatem, ac profunditatem, quae auctoris mirum ingenium omnigenamque eruditionem patefaciunt, Scripturaeque intelligentiam magnopere promovent. Non minus tamen evidentia sunt vitia interpretationis Origenianae. Distinguit Origenes, et cum eo tota schola Alexandrina, triplicem in sacra Scriptura sensum scilicet *literalem* seu historicum, qui ex obvio verborum sensu, et simplici factorum narratione exurgit, *moralem* qui mores fidelium informat, et per applicationem, et consequentiam locorum sacrae Scripturae eruitur, demum *allegoricum,* seu mysticum aut spiritualem, qui altiora mysteria sub cortice verborum, narrationum, aut praeceptorum latentia exhibet: haec pulchre illustrat exemplo hominis in quo *corpus* (σωμα) *anima* (ψυχη), et *spiritus* (πνευμα) secundum Platonicorum loquendi modum distinguitur: « Triplicem, inquit hom. V. in Levit. n. 5, in divinis Scripturis intelligentiae saepe diximus modum, historicum, moralem et mysticum; unde et *corpus* ei inesse, et *animam* et *spiritum* intelleximus » et eadem repetita distinctione, in Lib. IV. de Princip. n. 11. subdit: « Sicut ergo homo constare dicitur et corpore, et anima et spiritu, ita etiam sacra Scriptura quae ad hominum salutem divina largitione concessa est ». Triplicem exinde Scripturae expositionem admittit *literalem, moralem,* et *spiritualem* seu allegoricam; primam simplicioribus accommodatam esse, alteram provectioribus, tertiam perfectis. Hucusque nihil esset reprehendendum. Verum Origenes literalem expositionem non semper possibilem esse contendit, sed reiiciendam et damnandam eo quod

(1) Errores Origeni adscriptos breviter enumerat Hieronymus postquam mentem suam adversus Origenem immutaverat, in Lib. II. adv. Rufin. n. 12. De his copiose disputant inter recentiores Huetius in *Origenianis* Lib. 2, et Vincenzi in opere cui titulus: *In S. Gregorii Nysseni et Origenis scripta, et doctrinam nova recensio* Voll. V. Romae 1864-69. Vide praesertim *Monitum* ante Vol. II. p. I-XXXIII. et quaestiones in eodem vol. II. et in vol. III docte pertractatas. In vol. IV. c. 9-11 negat Origenem in Concilio V. damnatum fuisse,cuius acta interpolata esse opinatur.Origenis vindicias docte et nervose pertexuit etiam P. Alloixius S. I. in Op. *Origenes* defensus.

historias nonnullas, aut praecepta imprimis V. T. putet nec *veri*
tatem, nec *utilitatem* praeseferre, ideoque moraliter aut spiritualite
tantum esse exponenda. Hoc ita clare et aperte docet in vari
locis ut omnes conatus Cl. Huetii, et Vincenzi ad eius sententia
benigne interpretandam minime sufficere videantur. Ita in Lib. IV
de Princ. n. 15: « Oportet autem etiam illud nos scire, quia cun
principaliter prospectus sit spiritui S. intelligentiae spiritalis con
sequentiam custodire, vel in his quae geri debent, vel in hi
quae iam transacta sunt, sicubi quidem invenit ea quae secundu
historiam gesta sunt aptari posse intelligentiae spirituali, ordin
utriusque textum (idest utrumque simul sensum, historicum,
mysticum) uno narrationis sermone composuit, altius semper a
canum sensum recondens, ubi autem spiritali consequentiae reru
gestarum historia convenire non poterat, interdum interseruit qua
dam vel minus gesta (τὸ μὴ γενόμενον), vel quae omnino geri nc
possent (πῃ μέν μὴ δυνατὸν γενέσθαι), interdum etiam quae posse
quidem geri, nec tamen gesta sunt; et nonnunquam paucis serm
nibus qui secundum corporalem (literalem) intelligentiam non v
dentur servare posse veritatem, interdum multis insertis, h
facit, (1) quod praecipue in legislatione frequentari invenitur; u
multa quidem sunt quae in ipsis corporalibus praeceptis utilia es
manifestum, aliquanta tamen sunt in quibus nulla prorsus ra
utilitatis apparet; interdum vero et impossibilia decernuntur ». N
quis vero existimet haec de iis tantum locis dicta esse quae m
taphorice intelligenda sunt, Origenes in ipsis expositionibus ape
repudiat quasdam veras historias, et quaedam legis clarissima pra
cepta, eaque nonnisi allegorice exponenda esse docet: ita ex. g
hom. VI in Genesim totam historiam Abrahami cum uxore Sara
Aegyptum proficiscentis, eaque quae Sarae dicuntur accidisse cu
Abimelech rege (Gen. XX) non veram historiam continere doc
sed meram allegoriam; similiter Rebeccae historiam explicand
esse contendit in hom. X. postquam enim dixisset Rebeccam es
animam fidelem, puteum S. Scripturam, Isaac Christum, qui anim

(1) Hic locus clarius et accuratius secundum Graecum textum reddit
in alia versione ita: « Accidit etiam aliquando ut paucae interiectae si
dictiones veritati (si ad corpus spectes) non consentaneae: est ubi mult
huiusmodi sunt » V. ed. Migne to. I. Orig. col. 375-6.

sponsam sibi quaerit, servum Abrahami esse sermonem propheticum, difficultatem sibi proponit cur Rebecca dicatur virgo, et deinde addatur: *et vir non cognoverat eam* (Gen. XXV. 16) « Quasi vero, inquit, aliud sit virgo nisi quam vir non contigit.... Est enim aliqua virgo quam contigerit vir? Saepe iam dixi quod in his *non historiae narrantur*, sed mysteria contexuntur. Tale ergo in hoc aliquid indicari puto ». Similia habet in Hom. I. in Exodum de rebus Aegyptiorum ibi narratis, item hom. II. de obstetricibus, et in hom. VIII. et IX in Iosue de Deuteronomio Legis lapidibus insculpto, et de aliis bene multis, quae historice minime vera esse contendit utpote inania, vel impossibilia. Idem de Legis praescriptis docet in pluribus locis. Ita ex. gr. hom. VII in Leviticum exponens leges Mosaicas de distinctione ciborum, et de animalibus mundis et immundis contendit haec omnia non esse intelligenda de veris animalibus, sed de hominibus sive bonis sive malis, et post longam de hac re disputationem concludit n. 5 his verbis: « Si secundum hanc intelligentiam dicamus Deum summum leges hominibus promulgasse, puto quod digna videbitur divina maiestate legislatio. Si vero assideamus literae, et secundum hoc vel quod Iudaeis, vel id quod vulgo videtur accipiamus quae in lege scripta sunt, erubesco dicere et confiteri quia tales leges dederit Deus. Videbuntur enim magis elegantes, et rationabiles hominum leges, verbi gratia, vel Romanorum, vel Atheniensium, vel Lacaedemoniorum ». Hoc ipsum clarioribus, et durioribus verbis inculcat in Lib. IV. de Princ. n. 17: « Si ad Leges etiam Mosaicas veniamus, plurimae si ad literam observandae sunt *absurdum*, aliae *impossibile praecipiunt*. Absurdum est vulturum esum prohiberi, cum nemo ne extrema quidem urgente fame eo adduci potuerit ut ad istud animal confugeret. Octo dierum infantes non circumcisi exterminari e genere suo iubentur (Gen. XVII. 14), cum potius, siquid de his ad literam servandis sanciendum erat, praecipi oporteret ut eorum parentes, vel eorum altores interficerentur. Quod si impossibilia quae lege praecipiuntur vultis noscere, animadvertamus tragelaphum ex iis esse animantibus quae consistere in rerum natura non possunt, quem tamen ut purum iubet nos Moyses offerre: gryphem nunquam auditum est ab homine captum esse, quem nihilominus edi vetat legislator ». Nec magis parcit

Origenes historiae ac praeceptis in N. T. relatis. Ita (hom. VI. in Isaiam) negat veritatem promissionis Christi de miraculis a discipulis patrandis Io. XIV. 12: in to. XI Iohan. dubitat an ver Christus venditores e templo eiecerit; « Si tamen, inquit, hae historia contigit: » et in to. X. n. 2 generatim de Evangelistarum narrationibus pronunciat eas aliquando historice falsas esse et contradictorias, mystice tamen semper veras: « Non reprehendo, ait ipsos aliquo pacto transposuisse ad utilitatem mysticae considerationis harum rerum, id quod, quantum attinet ad historiam, *alio modo factum fuerat,* ita ut quod uno loco factum fuerat tamquam in alio gestum sit narrarent, et quod uno tempore tamquam in alio, et illud quod uno modo pronunciatum fuerat cum quadam alterationе referrent. Propositum enim illis erat vera narrare e spiritualiter, et corporaliter *ubi liceret;* ubi vero *non contingeba utrumque*, rem praeferre spiritualem rei corporeae, servata saep spirituali veritate *in corporali,* ut quis diceret, *mendacio.* » Simili habet de quibusdam praeceptis Evangelii Lib. IV. de princ. n. 18 et adductis nonnullis exemplis concludit: « Haec omnia a nobi dicta sunt ut ostendamus non solum ea quae litera exhibet pro positum fuisse ei, quae sacras nobis literas dedit, divinae virtut explicare, quippe quae interdum *secundum literam minime ver sint,* sed et *absurda* et *impossibilia;* tum attexta esse nonnull (falsa) rerum gestarum historiae, et iis legibus, quae secundum literam utilia praecipiunt. » Haec pauca sufficiunt ad veram indolem systematis hermeneutici Origeniani deprehendendam. Duo igitur in eo vitia notanda sunt: 1° quod sensum mysticum in omnibus omnino tum historiis, tum legibus Scripturae sacrae latere doceat nimis presse accipiens nota Apostoli testimonia, quibus asseritur Legem fuisse exemplar et umbram futurorum, et omnia ad nostram doctrinam scripta esse: 2° quod affirmet in pluribus loci sensum allegoricum unice admitti posse sine historico sensu, it convertens magnam historiae ac doctrinae biblicae partem in toti dem parabolas, vel fabulas, aut philosophemata. (1) Ex his duobu

(1) In quo differat haec Origenis praepostera interpretandi ratio a re centioribus systematibus Paulusii, Kantii aliorumque rationalistarum vi intelligi posset, nisi aliunde sciremus Origenem admisisse divinam Scriptu rae inspirationem et supernaturalem ordinem, imo ad haec facilius tuend

placitis alterum Origeni proprium est, nam reliqui eiusdem Scholae interpretes commentum illud probare non sunt ausi, imo aliquando expresse refutarunt; alterum vero, de sensus mystici in Scripturis extensione, universis Scholae Alexandrinae Doctoribus commune fuisse videtur, quamvis alii aliis temperantiores in eo admittendo, et applicando extiterint, ut ex dicendis apparebit.

S. Gregorius Neocaes. (Thaumaturgus) Origenis discipulus in Palaestina fuit, cuius etiam methodum interpretandi sectatus est, licet allegoriae excessum paullisper coercere conatus fuerit. Extat eius *Metaphrasis in Ecclesiasten* « brevis quidem, sed valde utilis », teste Hieronymo (c. 65. Catal.).

S. Basilius M. Caesareae in Cappadocia Ep. († 379) Origenem pariter sequutus est in Scriptura exponenda, iis tamen correctis et immutatis quae ipsi non arridebant, ut testatur Socrates Lib. IV. c. 26; idque imprimis in expositione Psalmorum. Praecipuum eius opus exegeticum est commentarius seu homiliae IX in *Haxaemeron* (εἰς τὴν Ἑξαήμερον) idest historiam creationis, quam literali sensu potissimum exponit, dimissis allegoriis, et moralibus tantum, vel dogmaticis multis insertis. Styli elegantia et claritas, dicendi vis, conceptuum profunditas, spiritalis unctio in huius S. Doctoris scriptis laudem omnem excedunt. Optima editio Opp. S. Basilii habetur Maurina a Garnerio et Marano concinnata Paris. 1721–30 III Voll. fol.

S. Gregorius Nazianzenus († 389) S. Basilii amicissimus, et in Scripturarum studio socius, quo magistro ipse S. Hieronymus se Scripturas didicisse fatetur (Catal. c. 117) nullum tamen commentarium, aut aliud opus proprie exegeticum reliquit, si excipiatur Oratio XXXVII. (al. XXXI) quae expositionem continet Matt. XIX. 1-12, et quaedam carmina (Carm. I. 12 seqq.) in quibus canonicas quas-

adversus Paganos philosophos suum illud paradoxum excogitasse. Quae hic proferunt Huetius, et Vincenzi ad Origenis defensionem nihil aliud evincunt nisi eum non ubique historicum sensum negasse, non autem ubique admisisse; quod ceteroquin ipse Origenes expresse fatetur in Lib. IV. de Princ. n. 19. ubi *multa* et facta et praecepta secundum literam accipienda esse docet, hoc ipso confirmans *non omnia* ita accipi posse, quemadmodum hucusque tradiderat. Addere tamen hic oportet allegoricas Origenis expositiones, si tamquam applicationes, aut accomodationes Scripturae accipiantur, plerumque ingeniosas esse, simulque pias et aedificationi fidelium aptissimas, ita ut prudens lector ex earum lectione non parum proficere possit.

dam historias exponit. Ceterum Origenis lectioni eum addictum fuisse ostendit eius *Philocalia*, cuius supra mentionem fecimus. In dogmaticis tamen scriptis literalem Scripturae sensum subtiliter ac solide evolvit, et contra haereticos urget (Cfr. praesertim oratio nes quinque seu sermones *de Theologia*). Optima operum Gregori Nazianzeni editio, eaque rarissima est Maurina, cuius tomus primus prodiit Parisiis 1778, Tomus secundus diu post ibidem 1840 quae editio iterum accurate impressa est a Migne in Patrol. graec tom. XXXV. seqq.

S. Gregorius Nyssenus († 394) S. Basilii M. frater, eiusque sanctitatis ac doctrinae aemulator multa reliquit opera, ex quibus magna pars exegetica est, scilicet expositiones in historiam creationis, in vitam Moysi, in historiam Pithonissae I Reg. XXVIII, in titulos Psalmorum, in Ecclesiasten, in Cant. Canticorum, in Octo Beatitudines, quas octo homiliis egregie populo exponit, in Orationem Dominicam et alia nonnulla. Nyssenus Origenem generatim imitatur in allegorico sensu proponendo, quamvis modum in allegoris teneat, quinimo aliquando literali sensu presse inhaereat, quod imprimis observatur in eius expositione operis Creationis, quam ideo appellavit explicationem apologeticam de hexaemeron (απολογητικος περι της Εξαημερου), quia in ea defendendum suscipit Moysen ab incredulorum obiectionibus, tum etiam fratris sui Basilii commentarium in eamdem historiam a quibusdam reprehensionibus vindicat et clarius explicat: idem plus minus dicendum est de eius libro de hominis opificio, quo eiusdem Basilii expositionem supplet et complet. Opera Nysseni a pluribus edita olim fuerunt, sparsim tamen, et multis omissis, quae nondum reperta fuerant. Praeclara habebatur editio graeco-latina quae prodiit Parisiis an. 1638 post quam tamen alia opera seorsim apparuerunt in collectionibus Zacagni, Caracciolo, et Gallandi, quae adiecta sunt aliis S. Patris operibus in editione Migne Patrol. Graec. Tom. XLIV-XLVI Paris. 1858, vel ideo caeteris praeferenda.

Didymus Alexandrinus († 397), qui coecus cognominatus est, eo quod in prima pueritia oculis captus fuerit, in sacris tamen scientiis et omnigena eruditione tantum profecit ut scholae Alexandrinae rector constitutus magisterium ibidem diu exercuerit, et ipsum Hieronymum auditorem atque discipulum habuerit (Hieron.

catal. c. 109.) Plurima quidem, imo infinita, ut Hieronymus ibidem loquitur, scripsit, ex quibus multa exegetica, quae tamen fere omnia perierunt, paucis exceptis fragmentis. In his breves enarrationes in Epistolas canonicas, quas olim Epiphanius scholasticus, suadente Cassiodoro, in latinum vertit Dydimi stylum apostolico viro dignum « tam sensuum lumine, quam simplicitate verborum » Hieronymus appellat: eum tamen Origenis methodum et fortasse etiam errores imitatum fuisse insinuat idem Hieronymus lib. I. contra Ruf. N. 6. et lib. II. N. 11.

S. *Athanasius* († 373) Alexandrinus episcopus in expositione in Psalmos, et in libro de Titulis Psalmorum Origenem imitatur in allegorica expositione: dubitant tamen nonnulli an praefatae expositiones ei revera adscribendae sit, quamvis eum Psalmos commentatum fuisse certum sit ex testimonio Hieronymi Catal. c. 87. Supersunt quoque fragmenta nonnulla ex catenis graecis excerpta in Iob, in Cantica etc. quae Athanasio tribuuntur. Ceterum in dogmaticis operibus imprimis contra Arianos literalem Scripturae sensum ingeniose et solide exponit. Editio praestantissima operum Athanasii habetur Maurina per Iac. Lupinum et Bern. Montfauconium vulgata Parisiis 1698 tribus voluminibus in folio, cui tamen postea addita sunt alia Athanasii opera ab eodem Montfauconio et Gallandio edita et in unum collecta in editione Patavina 1777, quae deinceps aucta iterum prodiit typis Migne Patrol. graec. Tom. XXV-XXVIII.

S. *Dionysius Alexandrinus* († 265) multa quidem scripsit, teste S. Basilio epist. 9 n. 2, quorum pars longe maxima intercidit, et in iis etiam quae supersunt vix unus liber integer invenitur. Ad exegetica Dionysii scripta pertinent: Commentarius brevis in principium Ecclesiastae, scilicet in tria priora capita, nec non duo libri *de promissionibus*, in quibus promissiones in Scriptura factas docet non Iudaico sed Christiano more intelligendas esse. Dionysium Origenis admiratorem atque imitatorem fuisse in Scriptura exponenda, tum ex eius scriptis satis apparet, (licet explicationi literali magis insistat), tum etiam ex eo inferendum est quod, eiusdem Origenis discipulus fuerit, et in regimine scholae Alexandrinae successor. Optima editio est Romana a Simone de Magistris curata Romae 1796 in fol. graec. et lat. cui tamen addenda sunt

fragmenta quaedam ab Angelo Maio vulgata in *Veterum Scriptorum nova collectio* Tom. VII pag. 96-108.

S. Cyrillus Alexandrinus († 444) praeter alia, opera satis multa exegetica exaravit, quorum praecipua sunt: Glaphyra (Γλαφυρά) idest interpretationes venustae, quibus selecta Pentateuchi loca exponuntur, Commentarii in Isaiam, et in XII Prophetas minores, et undecim libri commentariorum in Iohannem. In Prophetis exponendis literalem sensum potissimum sequitur, in aliis, ac imprimis in Pentateucho, allegoricos sensus Origenis more proponit.

S. Epiphanius († 403) quamvis Origenis adversarius fuerit, eiusque nimium allegorizandi studium non semel expresse reprehenderit, et ipse tamen in Scriptura exponenda allegoricum sensum literali praefert. Ad opera eius exegetica pertinent *Commentarius in Cant.*, de cuius tamen authentia dubitatur, *Liber de duodecim gemmis* (Exod. XXVII et XXXIX). In libro de Haeresibus, quod *Panarion* inscripsit, et in *Anchorato* textus Scripturae dogmaticos literaliter et accurate interpretatur.

II Schola exegetica Antiochena.

Haec Schola nomen accepit ab Antiochia florentissima urbe totius Syriae Occidentalis metropoli, ubi fides ab ipsis Apostolis praedicata est, et Christiani nominis dignitas exorta (Act. XI. 19. seq. XIII. 1. seqq, XIV. 25–27. Gal. II. 11). In hac itaque urbe inde a primis temporibus floruit schola Theologica et exegetica, quae saeculo praesertim IV summam celebritatem in Ecclesia adepta est. Dolendum non omnes huius scholae doctores in fidei puritate perseverasse, suamque gloriam perversis opinionibus obscurasse. Praecipuus Scholae Antiochenae character, ad exegesim quod attinet, in eo collocandus est quod Scripturae expositionem ad accuratiora principia revocaverit, dimisso allegoriarum nimio et importuno studio, et praecipuis partibus datis historicae et literali interpretationi. Praecipuum scholae Antiochenae lumen est S. Iohannes Chrysostomus, inter alios vero celebriores sunt Diodorus Tarsensis, Theodorus Mopsuestenus, Eusebius Emissenus, Isidorus Pelusiota ac Theodoretus.

S. Iohannes Chrysostomus († 407) patria Antiochenus, deinceps vero Costantinopol. Antistes, una cum Theodoro Mopsuesteno eius amicissimo sub disciplina Diodori Tarsensis Scripturarum studio

operam dedit. Libros Sacros utriusque Testamenti fere omnes exposuit in Homiliis quamplurimis, in quibus partes omnes perfecti interpretis ita implevit ut coeteros Graecos Doctores qui ante eum floruerant superaverit, nec a recentioribus unquam superari potuerit. Difficile dictu est quam dotem in Chrysostomo prae coeteris suspicere oporteat, num expositionis claritatem, ac soliditatem, an dicendi vim et copiam, an affectum et spiritalem unctionem. Quod autem nostra maxime interest, methodus Scripturam interpretandi apud Chrysostomum suam perfectionem obtinuit. Sensus literalis et grammaticus primas habet partes, qui iterum in proprium et translatum dispescitur, sensus mysticus non excluditur, imo accurate exponitur ubicumque revera existit ac probari potest: in sensu literali eruendo usus loquendi consulitur, versiones Aquilae, Symmachi et Theodotionis passim in auxilium vocantur, nec raro ipse textus hebraicus, contextus sermonis, loquentis scopus, et adiuncta subtiliter, accurate, simulque temperate investigantur, et ad sensum determinandum adhibentur. Quare nullus est inter Graecos Patres, cuius lectio magis commendanda sit sive ad Scripturae intelligentiam, sive ad ipsam interpretandi artem practice ediscendam. Supersunt Chrysostomi exegetica opera sequentia: Homiliae 67 in Genesim cum Sermonibus VIII in eumdem librum, Homiliae in Psalmos circiter 60, quibus addi possunt homiliae in illud David: *ne timueris cum dives factus fuerit homo* (*Ps. 48. 17*) et alia quaedam in singulares Psalmorum locos: commentarius imperfectus in Isaiam, una cum homiliis sex in Isaiam cap. VI et alia nonnulla in libros historicos V. T. Ad N. T. quod attinet extant homiliae 90 in Matthaeum, et aliae satis multae in alios Evangelistas et in Acta Apostolorum, demum Homiliae fere innumerae in Epistolas Paulinas, in quibus commentandis ceteros omnes et quodammodo seipsum superavit, ita ut communis fuerit coaevorum opinio eum ab ipso Apostolo, cui addictissimus erat per supernaturalem illustrationem plura didicisse. (1) Optima editio operum S. Iohannis Chrysostomi est Maurina a Bernardo de Montfaucon adornata in XIII voluminibus

(1) Meritum relativum diversorum operum S. Iohannis Chrysostomi secundum commune criticorum iudicium ita enunciari potest. Expositio Librorum N. T. generatim praecellit expositionibus V. T. in ipso autem N. T. expositio in S. Pauli epistolas ceteris praestat.

in folio graec. et lat. Parisiis 1718 seqq. recusa Venetiis 1734, et iterum Parisiis 1839.

Theodorus Mopsuestenus († 429) Chrysostomi olim amicus et condiscipulus Scripturarum studio et interpretatione maxime inclaruit. Attamen longe abfuit a Chrysostomi sive ingenio, sive eruditione, sive fidei integritate: literalem enim expositionem intemperanter defendens mysticum sensum poene exclusit, aut cum sensu accommodato (κατ' εκβασιν) permiscuit, vaticinia Prophetarum de Christo in suo vero sensu intelligenda esse negavit, de quorumdam etiam librorum canonicorum divinitate dubitare est ausus. Ob has causas, quemadmodum etiam ob insinuatum errorem duplicis in Christo personae, a Concilio Cpolitano II damnatus est. Ex eius operibus exegeticis non supersunt nisi commentarius in Prophetas minores, et fragmenta expositionum in varios libros praesertim in Psalmos, et in Epistolam ad Romanos.

Eusebius Emesenus († 368) scripsit Libros decem in Epistolam ad Galatas, quasdam Homilias in Evangelia, et Commentarium in Genesim, ex quibus tamen nonnisi fragmenta quaedam supersunt, unde apparet eum literali potissimum expositioni addictum fuisse.

S. Isidorus Pelusiota († 454) ita dictus eo quod Abbas fuerit Monasterii prope Pelusium in Aegypto, eximius fuit S. Iohannis Chrysostomi discipulus, cultor ac imitator in Scripturarum interpretatione. Quamvis nullum proprie dictum, et continuum scripserit commentarium, tamen inter optimos Antiochenae scholae interpretes numerandus est ob innumeras fere locorum Scripturae expositiones quas in epistolis proponit. Siquidem ob famam eius doctrinae ac sanctitatis plurimi ex variis Ecclesiis ab eo postulabant solutionem difficiliorum de Scriptura quaestionum, quibus ille datis epistolis satisfaciebat. Supersunt Isidori epistolae ad 2000, quas in quinque libros distributas Billius, Ritterschusius et Schottius ediderunt (Unica editio completa est Parisiensis anno 1638). Porro maior pars harum epistolarum exegeticae sunt, in quibus brevi, accurato, et pene attico stylo varia Scripturae loca secundum literalem sensum exponuntur, quamvis non raro ad allegoricas etiam interpretationes excurritur.

Theodoretus († 458) Cyri in Syria Episcopus Theodorum Mopsuestenum et S. Iohannem Chrysostomum in Scripturarum inter-

retatione ita sequutus est ut utriusque dotes in se coniungere onatus fuerit, tantumque nomen sibi comparaverit ut ab omnibus inter praecipua orientalis Ecclesiae lumina accenseatur, a nonnullis vero, ut a Rich. Simonio, ceteris praelatus fuerit. Theodoreti methodus hoc sibi proprium habet quod non solum continuos commentarios in quosdam libros complectatur, sed etiam quaestiones, in quibus difficultates criticae et exegeticae praecipuorum locorum discutiuntur. Supersunt eius *Quaestiones in Octateuchum*, scilicet in libros V Moysis, Iosue, Iudicum et Ruth, *Quaestiones in libros Regum et Paralipomenon*, *Commentarii in Prophetas* maiores et minores, ubi tamen commentarius in Isaiam integer non habetur, *Interpretatio in CL Psalmos*, *Interpretatio in Cant. Canticorum* demum *Interpretatio epistolarum S. Pauli*. Omnia haec scripta utilissima sunt, ac lectu dignissima, imprimis interpretatio in *Psalmos*, qua nihil melius apud Graecos Patres invenire datur, et explanatio in *Cant. Canticorum*, ubi verum libri sensum de Christi cum Ecclesia unione contra Theodorum Mopsuestenum strenue defendit, et luculenter exponit. Interpretatio etiam Epistolarum Pauli in magno pretio habetur. Quaedam Theodoreti scripta in quaestione Nestoriana ab Ecclesia damnata sunt, non tamen scripta exegetica. Editio praecipua Theodoreti prodiit Aleae an. 1769.

III Schola exegetica Edessena, et Nisibena.

Duae laudatae scholae in interiori et orientali Syria a primis Ecclesiae temporibus fundatae magnam famam adeptae sunt, et egregios Scripturae interpretes dederunt, quorum commentarii Syriaca lingua prodibant, sed plerumque per graecam versionem in aliis quoque Ecclesiis perlegebantur. Maximum Edessenae Scholae sidus est S. Ephrem, cui plures alii adiungendi sunt plus minus celebres, ut Zenobius Abbas, Isaac Edessenus, Isaac magnus dictus, Iacobus Sarugensis, Iacobus Edessenus, Dadiesu Patriarcha, Ebediesu episcopus Nisibenus et alii nonnulli. Character harum Scholarum in scripturarum interpretatione similis valde est Scholae Antiochenae ob studium scilicet literalem sensum eruendi, non exclusis mysticis sensibus, et opportunis quoque accommodationibus moralibus, una cum mira unctione ac pietatis sensu, qui undique ex commentariis praesertim S. Ephremi spirat.

S. Ephrem Syrus († 378) Edessenae Ecclesiae diaconus fuit,

nec enim summa eius animi modestia unquam permisit ut ad sa cerdotii honorem, quo dignissimus erat, promoveretur. Tanta eiu sanctitatis ac doctrinae fama percrebuerat ut eius scripta test Hieronymo (catal. c. 115.) post lectionem Scripturarum in quibus dam ecclesiis publice recitarentur. Praeter multa dogmatica, e ascetica partim prosa oratione, partim versibus exarata, commen tarios composuit in Sacros libros utriusque Testamenti. Supersun syriace comment. in Pentateuchum, in Iosue, Iudices, et 4 Re gum, Explanatio in Iob, Isaiam, Ieremiam cum Threnis, Exechie lem et Danielem, item in Oseam, Ioel, Amos, Abdiam, Michaeam Zachariam et Malachiam. In Armenica autem versione superest eiu expositio in harmoniam evangelicam, et in epistolas Paulinas. Prae terea huc pertinent *Sermones* multi, *Scholia* ascetica, *quaestione* breves in plures Scripturae textus, ut sermones XII de paradis Eden, alii XII exegetici, *Tractatus de Sacerdote Heli* etc. S. Eph rem dictione utitur elegantissima, stylo perspicuo et ad popul intelligentiam accommodato, Scripturae sensum ex loquendi usu ex contextu, ex scopo auctoris subtiliter et accurate determinat allegoricas accommodationes sobrie proponit, ubique autem lectore docendo movet, et ad virtutis studium inflammat. Optima editi operum S. Ephremi est Romana cura et impensis Card. Quirin ex codicibus praesertim vaticanis adornata syriace, graece et latine Romae 1732–46 Tom. 6 in fol. Sed multa in hac editione des derantur, quae postea in lucem prolata sunt, vel adhuc inedita in variis bibliothecis asservantur: latina etiam versio accuratior, et sim plicior desideratur.

S. Iacobus Sarugensis († 522) ita dictus ob sedem episcopa lem Batnae vel Batnarum in Sarugo ܣܪܘܓ, ܒܬܢܝ (Mesopotania regione) apud Syros orthodoxos aeque ac eterodoxos tantam famar adeptus est ut antonomastice *Doctor* ܡܠܦܢܐ appellatus fuerit et « *Spiritus Sancti fistula, et fidelis Ecclesiae cythara* » (Asseman Bibl. Orient. Tom. I. pag. 286). Multa pie et admodum elegante conscripsit tam soluta, quam ligata oratione, quorum nonnulla edit sunt, sed maior pars in Bibliothecis Vaticana, Medicea, Londinensi Parisiensi et alibi MSS. asservantur. Ex his non pauca ad exegesin pertinent. Editio completa operum huius S. Doctoris Theologi aeque ac literarum orientalium studiosis utilissima foret.

S. *Isaac Magnus* († Saec. V)presbyter Antiochenus magnam pud veteres celebritatem adeptus est. Multa eum scripsisse tradit ennadius in Catalogo vir. ill. (addito catalogo Hieronymi) n. 66. Iulta inedita latent.

S. *Marutha* (Saec. V) Episcopus Tagritensis in Mesopotania multa rudite scripsit, teste Socrate Hist. Eccles. lib. VII. c. 8. inter lia *Commentarium in Evangelia* (Assemani Bibl. Or. I. 174–195).

S. *Jacobus Nisibenus* episcopus († 338) plura scripsit laudata Gennadio (Catal. n. 1) et ab Assemani (Bibl. Or. I. p. 557) (1). atis multa ex eius operibus Armenice extant imprimis homiliae, uae cum versione latina edita fuerunt a Card. N. Antonellio omae 1756. Recentissimi tamen critici eas Nisibeno abiudicant, t Jacobo Aphraati genere Persae (c. a 340) adscribunt: earum extum Syriacum sub eius nomine nuper vulgavit G. Wright ond. 1869 (2).

Omittimus alios Syrorum doctores et exegetas superius nomina-os, itemque alios quorum scripta parum nota sunt, aut nunquam ulgata (3). Etiam apud syros eterodoxos (Nestorianos, et Mono-hysitas) per hanc aetatem et deinceps non defuerunt viri docti ui Scripturis interpretandis operam dederunt. Ex his sufficiat emorare episcopum Mabugensem, *Henaiam*, alias *Philoxenum* ictum Monophysitam († 518), qui praeter novam versionem N. T. ab eius auspiciis exaratam, ideoque *Philoxenianam* dictam, com-ientarios in S. Scripturam confecit, in quibus tum doctrina, tum agna sermonis elegantia elucet (Assemani Bibl. Orient. II. 23–46). equentibus aetatibus, praecipue saec. XIII Greg. *Abulpharagius*

(1) Assemani in Bibl. Or. I. 19 asseruerat S. Iacobum fortasse nihil riptum reliquisse; sed postea (pag. 557) id retractavit, et de illius scri-is mentionem fecit. Quidam recentiores id non animadvertentes pergunt irmare S. Iacobum Nisibenum nihil scripsisse innixi primo illi Assemani stimonio.

(2) Vide G. Wright: *The homilies at Aphraates, the Persian sa-, edited from syr. Mss. of the fifth, and sixth century.* London. 69.

(3) De his plura invenies apud Assemani Op. cit. et brevius apud Hoff-nn in *Prolegomenis* ad Grammaticae Syr. lib.III Halae 1827 pag. 1-13 apud Bickell: *Conspectus rei Syrorum literariae. Monasterii* 1871.

cognomine Bar-hebraens (Iacobitarum Antistes) et *Ebed Jesu* Sobensis metropolita (Nestorianus) omnigena eruditione floruerunt, et scripta etiam exegetica in S. Scripturam reliquerunt.

ARTICULUS II.

Patres et ecclesiastici scriptores latini saec. I-VIII.

Apud Latinos commentarii in S. Scripturam a saeculo quidem secundo confici coeperunt, et quidem, uti videtur, secundum praevalentem tunc consuetudinem mystici potissimum et allegorici. Verum antiquiores istae lucubrationes ad nos non pervenerunt. Qui paulo post floruerunt interpretes usque ad S. Hieronymum plerumque eamdem sequuti sunt methodum, et saepe etiam Origenis expositiones aut exscripserunt, aut in usum suum converterunt (1). Nihilominus saeculo IV et seqq. insignes extiterunt Doctores qui literalem expositionem cum allegorica coniungere satagebant, et illustria nobis reliquerunt exegetica scripta. Hic tantum praecipuos Latinos interpretes laudabimus, scilicet SS. Hilarium, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, Cassiodorum et Gregorium M.

S. Hilarius Pictaviensis Episcopus († 368) in Scripturis exponendis plerumque Origenem sequutus est. Reliquit *Commentarios in Psalmos* « in quo opere imitatus Origenem, nonnulla etiam de suo addidit » (Hieron.Catal. n. 100), item *Commentarios in Matthaeum,* in quo pariter allegoricum sensum potissimum sectatur, demum tractatus *in Iob* « quos (inquit Hieronymus, ibid.) de graeco Originis ad sensum transtulit ». Est igitur sanctus hic Doctor ex iis Latinis qui in exegesi scholam Alexandrinam sequuti sunt, et ad eam referri possunt, in dogmaticis tamen operibus, imprimis in libris de Trinitate, sensui literali pressius inhaeret.

(1) Commentarius *S. Irenaei* in Apocalypsim ab Hieronymo laudatus ad nos non pervenit. Ex Commentariis *S. Hippolyti* Portuensis tantum fragmenta supersunt allegorica plerumque, et Origenis expositioni similia; *Tertulliani* et *Cypriani* opera nullum commentarium proprie dictum continent, licet copiosas singularium locorum Scripturae interpretationes et quidem plerumque optimas praeseferant. Ex libris *S. Victorini* Petabionensis supersunt *Tractatus de fabrica mundi,* et *scholia in Apocalypsim* fere allegorica, et mystica.

S. Ambrosius Mediolanensis episcopus († 397) praeter alia opera clarissima et omnibus nota, plures Scripturae libros interpretatus est. Extant eius *Libri VI in Exaemeron,* item Sermones, seu Libri *de Paradiso, de Noe et arca,* de *Abraham, de Isaac, de Iacob, de Ioseph, de benedictionibus Patriarcharum,* duo *Apologiae David,* et aliae similes in quibus sacrorum librorum V. T. historias populo exponit, item *Expositio duodecim Psalmorum,* et alia distincta in *Psalmum* 118; ad N. T. quod attinet celebris est eius *Expositio Evangelii secundum Lucam.* Methodus S. Ambrosii in Scripturae expositione similis est Originianae: est igitur fere totus allegoricus, et mysticus non solum in Veteri sed etiam in novo Testamento: quinimo in exponendo exaemerone vix aliud fecisse deprehenditur quam Origenis expositiones, temperatas tamen S. Basilii commentariis, in latinum convertere. Nihilominus opera exegetica S. Ambrosii sacris concionatoribus, et animarum pastoribus utilissima sunt.

Extat ad calcem operum S. Ambrosii commentarius in Epistolas Paulinas, quem olim sancto Doctori adscriptum nunc communi consensu critici eidem abiudicant, et usu iam recepto sub nomine *Ambrosiastri* citare solent. Expositio haec docta simul et perspicua magnam laudem meretur.

S. Hieronymus († 420), quem ecclesia « in exponendis Scripturis Doctorem maximum salutat » (Oratio in eius festo) Stridone in Dalmatia natus circa annum 331, Gregorii Nazianzeni, et Dydimi Alexandrini, ut ipse testatur discipulus fuit, ita tamen ut magistros suos, ceterosque Patres in Scripturarum scientia superaverit. Siquidem nemo occurrit inter Ecclesiae Doctores qui omnibus dotibus ad optimum intrepretem formandum necessariis, et opportunis aeque instructus fuerit. Acri ingenio praeditus, et in profana literatura apprime eruditus Scripturarum studiis se totum addixit a prima iuventute usque ad 90 fere annum, nihilque omisit quod ad Scripturae intelligentiam conferre possit. Praeter latinam linguam, graecam quoque et hebraicam profunde callebat, chaldaicam quoque serius didicit, in Oriente diu commoratus biblicam geographiam ac topographiam susceptis itineribus familiarem sibi reddidit, hebraicam archaeologiam ex orientalium consuetudine, et a pluribus Iudaeorum magistris diligenter haustam notam habuit, demum antiquas versiones, vetustos codices, et aliorum sive La-

tinorum sive Graecorum commentarios pervolutare nunquam destitit, nullis ob hanc causam expensis aut laboribus parcens. Exegetica eius opera, praeter novam ex hebraeo latinam versionem V.T., et recensionem vulgatae N. T., sunt sequentia: *Liber quaest. hebr. in Genesim, et Lib. de nominibus hebr , Comment. in Ecclesiasten, Comment. in Isaiam libri XVIII, Comment. in Ieremiam libri VI, Comment. in Danielem et in Ezechielem, Tractatus in lament. Ieremiae, Comment. in Prophetas minores, Comment. in Evang. Matthaei, in Epist. ad Galatas, ad Ephesios, ad Titum, ad Philemonem, Comment. in Iob.* Praeterea plures Origenis lucubrationes in Isaiam, in Ieremiam, in Ezechielem, in Canticum, in Lucam et alia latine reddidit, et in Epistolis persaepe Scripturarum interpretationes egregias proponit. Ad methodum interpretandi quod attinet, Hieronymus mediam quamdam viam inire studuit inter allegorizantem scholam Alexandrinam, et literalem Antiochenae exponendi rationem, ita ut principaliter quidem literali sensui inhaereat, eumque doctissime exponat, saepe autem mysticos indicet sensus, non eos tantum qui a Spiritu Sancto Scripturae locis subiecti sunt, sed et eos qui sive ad ornatum orationis, sive ad lectorum aedificationem Scripturae verbis accommodari possunt. S. Hieronymus non semel conqueritur quod multitudine negotiorum, et amicorum importunitate coactus multa scribere cum nimia festinatione debuerit, nec ad limam ea revocare potuerit (vid. Pröemium in lib. III comm. in epist. ad Galatas, et in lib. II comm. in epist. ad Ephesios). Et re quidem vera festinationis huius vestigia non semel in Hieronymi scriptis offenduntur, quae obscuritatem aliquando pariunt, et aliquando non satis inter se convenire videntur, cum scilicet sanctus Doctor vel decursu temporis opinionem mutaverit, vel non suam sed aliorum expositionem proponat, quin lectorem de hoc admoneat. Commentarii in Prophetas minores ceteris praeferendi videntur: iuxta alios vero commentarii in Prophetas maiores praecellunt. Certum est utrosque thesaurum biblicae scientiae continere, et obscurioribus vaticiniis, iis praesertim quae ad historiam Orientalium populorum alludunt, miram lucem affundere, quae frustra alibi quaereretur.

S. Augustinus († 430) episcopus Hipponensis, Tagastae in Africa natus anno 354, et a Manichaeorum errore, vitaeque li-

centia, precibus piae matris Monicae, ac opera S. Ambrosii revocatus, sacris scientiis ac Scripturarum meditationi se totum addixit. Inter opera quae poene infinita posteris reliquit satis multa ad Scripturarum expositionem pertinent. Scilicet, praeter *Libros quatuor de Doctrina Christiana,* ubi methodum Scripturas exponendi tradit, *Liber imperfectus de Genesi ad literam*, libri XII *de Genesi ad literam, Quaestionum in heptateuchum* libri VIII, *Adnotationes in Iob, Enarrationes in omnes Psalmos, de Consensu Evangelistarum* libri IV, *quaestionum Evangeliorum* libri II, *de Sermone Domini in monte* libri II, *Tractatus* 124 *in Iohannem, Tractatus* 10 *in Epistolam primam Iohannis, Expositio quarumdam* (84) *propositionum ex epistola ad Romanos, Epistolae ad Romanos expositio inchoata, Expositio Epistolae ad Galatas*, praeter alios quosdam Tractatus et Sermones recenter detectos et ab Angelo Maio aliisque vulgatos, et epistolas nonnullas exegetici argumenti. De valore exegetico operum S. Augustini non una est criticorum sententia. Quidam ex Protestantibus, a quibus non prorsus abludit Ioh. Iahnius (Enchir. hermen.) Augustini expositiones prorsus despiciunt, alii contra ceteris Latinorum commentariis ipsique Hieronymo praeferunt (ex. gr. Keil introd. pag. 658); idemque dissensus plus minus etiam inter catholicos criticos existit, quamvis omnes Augustini doctrinam ac meritum suspiciant. Negari certe non potest dogmatica Augustini scripta exegeticis praeferenda esse. In illis enim Ecclesiae doctrinam apprime edoctus, et in philosophorum opinionibus diligenter versatus, et sublimissimo et acutissimo ingenio praeditus ceteros omnes Ecclesiae Patres superavit, et profundiorem theologiae christianae scientiam quasi fundavit. In Scripturarum vero studiis pluribus subsidiis caruit, quorum utilitatem aut necessitatem ipse frequenter fassus est: linguam enim hebraicam ignorabat, graecam mediocriter tantum novit, in hebraicis antiquitatibus haud magnam cognitionum suppellectilem sibi paraverat: hinc in literali sensu exponendo saepe haeret, nonnunquam verborum lusibus ac subtilitatibus indulget, saepissime ad mysticas et allegoricas interpretationes confugit. Haec in Psalmorum expositione potissimum observantur. Nihilo tamen minus ingenii acumine et ardenti Scripturarum amore, ac indefesso studio defectum illum quodammodo supplens ipsum literalem sensum in pluribus

difficilioribus locis feliciter exponit, et in libris praesertim de consensu Evangelistarum, et in Epistolam ad Galatas tum historicis, tum dogmaticis locis miram affert lucem. Praeterea morales applicationes, et fervidae exhortationes quas in commentariis passim inserit piae fidelium meditationi et concionatorum usibus ingentem utilitatem afferunt. Ceterum de exegesi S. Augustini extat speciale opus sub hoc titulo: *Aurelius Augustinus Hipp. Sacrae Scripturae interpres* a H. N. Klausen Hafniae 1827. Praestantissima editio operum Augustini parata est a Maurinis Parisiis, 1679 XI tom. in fol.

Marcus Aurelius Cassiodorius († 562) ex publica magistratura et forensibus negotiis sub Gothorum regibus in Italia gestis in monasterium Vivariense se recepit, ubi sacrarum Scripturarum studiis ad mortem usque operam dedit, atque ut a suis monachis diligenter excolerentur curavit. Ad hunc finem exemplarium latinorum copiam collegit et eidem monasterio legavit, eorumque emendationi tempus laboremque non exiguum impendit, demum exegeticis quoque scriptis latinam Ecclesiam exornavit. Nam praeter libros *de Instit. divin. literarum,* in quibus monachos docet rationem sacros libros intelligendi, nec non priorum Patrum commentarios breviter enumerat ac diiudicat, scripsit etiam *Expositionem in Psalmos,* item in canticum Cantic. quam tamen multi eius esse negant, item *Complexiones* in Epistolas, Acta Apostolorum et Apocalypsim. In Psalmorum expositione Augustinum maxime sequitur ac fere exscribit, nonnullis tamen additis observationibus plerumque mysticis, dogmaticis ac moralibus. Complexiones, ideo dictae quod non singula verba sed plures simul versus ad sensum breviter explicant, maioris momenti esse videntur ob accuratiorem et planiorem literalis sensus expositionem. Optima editio Opp. Cassiodori prodiit Rothomagi 1679 2. Tom. in fol.

S. Gregorius M. († 604) unus ex praecipuis Ecclesiae latinae Doctoribus praeter alia opera plures Scripturae libros explanavit morali plerumque,et mystica interpretatione. Exegetica opera quae absque dubio ad Gregorium M. pertinent sunt *Libri XXXV Moralium in Iob, Homiliae XXII in Ezechielem, Homiliae XL in Evangelia,* quibus addi potest expositio in lib.1 Regum, quae tamen creditur ab eius discipulis paullisper immutata et interpolata fuisse.

Quamvis S. Gregorius in praefatione in Libros Moralium expresse doceat allegoriarum fructus ex historiae radice derivandos esse, historicum tamen sensum non semper sequitur, et saepe neglecta litera ad allegorias, et ad morales sensus excurrit. Negari tamen non potest in hoc temperamentum ac sobrietatem adhibuisse, eiusque morales praesertim expositiones minime contortas esse, sed spontaneas, spiritu plenas, et lectoribus utilissimas. Optima editio est Maurina Parisiis 1705 IV Vol. in fol.

S. Isidorus Hispalensis († 636) praecipuum hispanicae Ecclesiae lumen inter plurima doctissima opera pauca admodum exegetica reliquit, scilicet *lib. De Allegoriis S. Scripturae, Quaestiones in V. T.* et *Librum numerorum* qui in sacris Scripturis occurrunt. In omnibus fere praecedentium Doctorum, imprimis Augustini et Gregorii expositiones ac sententias colligit, aliaque de suo ingenio adiicit plerumque allegorica et mystica.

Ven. Beda († 735) Ecclesiae Anglicae, et Benedictinae familiae decus in Scripturis exponendis plurimum insudavit, et in omnes fere libros commentarios reliquit. Scilicet *Libros IV in Genesim,* quos scripsit *Hexaemeron, Comm. in Pentateuchum,* item libros III de *Tabernaculo et Vasis eius ac vestibus sacerdotalibus,* Expositiones allegoricas *in Samuelem* prophetam, in *Libros Regum quaestiones XXX,* et alia usque ad *Explanationem Apocalypsis.* Bedae commentarii plerumque ex praecedentium Doctorum scriptis excerpti sunt, ut ipse fatetur in Praefatione ad Comm. in Marcum et in Lucam, ita tamen ut aliorum Doctorum verba maioribus literis initialibus a suis distingueret, et enixe deprecaretur ut transcriptores eius operum eadem distinctionis signa servarent, quod tamen deinceps facere neglexerunt. Licet Ven. Beda distinctionem sensuum in literalem, allegoricum, anagogicum, et moralem agnoscat, saepe tamen literali praetermisso, mysticos sequitur, qui aliquando nonnisi allegoricae accommodationes sunt. Scripta huius sancti Doctoris exegetica utilissima sunt tum interpretibus, tum animarum pastoribus, et facilitate quadam styli, atque expositionis praecellunt.

CAPUT III.

Opera exegetica doctorum medii aevi (saec. viii–xv)

Quamvis verum non sit medio aevo sacrarum literarum studia neglecta prorsus iacuisse, quinimo in monasteriis potissimum viri doctissimi numquam defuerint qui hanc aliasque disciplinas summo ardore prosequerentur, fatendum tamen est omnia, vel fere omnia exegetica opera huius temporis minime nova et originaria fuisse, sed ex praecedentibus auctoribus excerpta. De his pauca dicturi ea in tres classes distribuemus, nempe 1° *Catenas* in sacram Scripturam, quae potissimum apud Graecos apparuerunt, 2° *Glossas* vulgatas apud Latinos, quibus adiungendae sunt *adnotationes*, et *postillae*, 3° *Commentarios* proprie dictos.

I. *Catenae* apud veteres dicebantur expositiones quaedam sacrae Scripturae ex textibus antiquiorum Doctorum conflatae. Huiusmodi opera satis multa innotuerunt potissimum ex graecis interpretibus Origene, Chrysostomo, Theodoreto et Cyrillo Alexandrino excerpta, in quibus etiam plura testimonia conservata sunt ex operibus aliunde deperditis. Huiusmodi compilationis exemplum dederat saeculo VI. Procopius Gazaeus per suam *Catenam in octateuchum*, quem recentius imitatus est *Nicetas Heracleensis* (saec. XI) et deinceps alii. Plures ex his catenis MSS. in bibliothecis asservabantur, unde illas eruerunt, et ediderunt recentiores nonnulli, inter quos eminent Petrus Possinus, et Balth. Corderius, S. I. cuius *Catena graecorum Patrum in Psalmos* Antuerpiae 1643 caeteris praestare videtur. (1) Ex latinis autem simul et graecis Patribus catenam in quatuor Evangelia confecit S. Thomas Aquinas, quae vulgo *Catena aurea* dicitur, et a nonnullis *glossa continua* in quatuor Evangelia appellata fuit, in qua S. Doctor singulorum versuum aut maiorum sectionum interpretationes ex plus quam LXXX latinis, graecisque optimis et antiquis interpretibus excerptas ipsis eorum verbis ex-

(1) Titulus operis est : *Expositio Patrum Graecorum in Psalmos.* Antuerpiae 1643: quam Corderius ex mss. Bibliothecae Caesareae Viennensis, additis codicibus Bavaricis Bibl. Monasteriensis, se edere testatur in *Praefatione* ad lectorem.

hibet. Omittendum non est catenis istis non semper fidendum esse quod pertinet ad operum excerptorum genuinitatem, quum non raro ob critices defectum opera spuria citata inveniantur, aut unius Scriptoris testimonia alteri tribuantur.

II. *Glossae* in S. Scripturam, ut alias innuimus, medio aevo vocabantur breviores quaedam Vulgatae latinae expositiones communi usu receptae. Duae proprie dictae glossae distinguendae sunt scilicet *ordinaria*, et *interlinearis*, quibus postea paulo uberiores duae accesserunt quae vocatae sunt *postillae*, et *adnotationes* ad *postillas*.

Glossa ordinaria concinnata fuit a Walafrido Strabone Abbate Monasterii Augiensis saec. IX. Excerpta est ex commentariis praesertim Hieronymi, Augustini, Gregorii M. et Rhabani Mauri : dicta autem est ordinaria ob generalem eius usum apud scholas et scriptores medii aevi, tantique eam fecerunt scholastici doctores, ut Petrus Lombardus eam antonomastice passim appellet *auctoritatem*, et S. Thomas in commentario praesertim Epistolarum Pauli eam ad solvendas quaestiones frequenter allegaverit.

Glossa interlinearis saec. XII apparuit opera Anselmi Laudunensis. Dicta est interlinearis, eo quod in exemplaribus Vulgatae latinae inter lineas inscribi soleret cum brevissima sit, nec continuam expositionem, sed seiunctas notulas in obscuriora loca complectatur. Prior vero glossa solebat in marginibus exemplarium Vulgatae apponi ideoque posset marginalis appellari. Glossa interlinearis non tantae auctoritatis ac ordinaria unquam fuit, tum quia voces potius quam sensum saepe explicat, tum quia expositiones minus accuratas et a longe petitas, et etymologias saepe ineptas ac plane ridiculas proponit.

Postillae ita dictae ex eo quod recitatis verbis textus, et *post illa* notas adiectas contineat, editae fuerunt a Nicholao Lirano saec. XIV († 1340) et paulo uberiorem Scripturae expositionem quam glossae sistunt. Auctor Lirae in Normannia natus, ex parentibus Iudaeis in graeca et hebraica literatura familiariter versatus, deinceps vero catholicam Ecclesiam, et ordinem S. Francisci ingressus opus suum magno labore, summaque diligentia in usum Christianorum exaravit, quod proinde magno usui interpretibus esse potest. Licet enim allegoriis, et moralibus dogmaticisque ob-

servationibus satis indulgeat, praecipue tamen literalem sensum, et plerumque subtiliter accurateque proponit.

Adnotationes seu additiones ad postillas Nicolai de Lira adiecit Paulus Burgensis in Hispania Episcopus († 1435) item ex Iudaeo christianus, et graece, hebraice et rabbinice doctus, in quibus Liranum uberius explicat, non raro etiam reprehendit ac corrigit.

Haec omnia deinceps in unum corpus conflata sunt quod amplioris commentarii locum tenere potest sub hoc titulo: *Biblia Sacra cum glossa ordinaria a Strabone Fuldensi*, et *postilla Nicolai Lirani, additionibus Pauli Burgensis ac Matthiae Thoringii replicis Theologorum Duacensium studio emendatis.* Tomi VI. Antuerpiae 1634.

III. *Commentarii* etiam proprie dicti, licet non multi, per hanc aetatem apparuerunt, ex quibus sufficiat praecipuos indicare sive Graecorum sive Latinorum.

Ex Graecis, ceteris omissis, tres celebriores interpretes commemorabimus Oecumenium, Theophylactum, et Euthymium.

Oecumenius Tricensis Episcopus (saec. X) commentarios reliquit in *Actus Apostolorum, Epistolas Paulinas* et *Epistolas Catholicas*. Eius expositiones plerumque ex antiquiorum scriptis imprimis Chrysostomi et Theodoreti excerptae sunt, quibusdam tantum huc illuc adiectis; perspicuae tamen sunt, literales, clarae, ideoque interpretibus N. T. apprime utiles praesertim in obscurioribus loquutionibus declarandis, quae in Pauli epistolis occurrunt.

Theophylactus Archidensis Bulgarorum Archiepiscopus († 1107) commentarios reliquit *in Prophetas minores*, et *Libros omnes N. T.* Vulgo creditur hosce commentarios nihil aliud praeseferre quam epitomen homiliarum S. Iohannis Chrysostomi, quem titulum etiam gerunt in quibusdam codicibus MSS. Quod quidem eo tantum sensu verum est quod plurima in his commentariis ex Chrysostomo deprompta fuerint; iis tamen Theophylactus multa de suo adiecit minime spernenda, morales praesertim explicationes.

Euthymius Zigabenus saeculi XII scriptor († 1118) plures sacrae Scripturae libros explanavit Chrysostomi interpretationes imprimis sequutus. Supersunt eius Commentarii in Psalmos, in quatuor Evangelia, in Epistolas Paulinas, et in Catholicas. Quemadmodum Theophylactus, brevis est, clarus et accuratus in sensu literali exponendo imprimis epistolarum Paulinarum.

Ex Latinis plures occurrunt per hanc aetatem Scripturae interpretes ex quibus celebriores quosdam et utiliores laudabimus.

Alcuinus († 804) Anglus Diaconus Eboracensis, et scholae palatinae Caroli M. magister et praeses Scripturis exponendis sedulam operam navavit, quamvis plerumque ex latinis Patribus suas interpretationes hauserit. Omissis ejus laboribus in Vulgatae latinae emendatione alias commemoratis, extant Alcuini responsiones ad interrogationes quasdam de Lib. Genesis, interpretatio quorumdam Psalmorum, Commentarius super Ecclesiasten, Compendium in Cant. Cantic., Libr. VIII Commentariorum in Iohannem, Tractatus super tres Pauli Epistolas ad Titum, Philem. et Hebr. et Commentatio brevis in quasdam Pauli sententias, denique libri V Commentariorum in Apocalypsin. Commentarius in Ecclesiasten ex simili opere S. Hieronymi depromptus est, plerumque ne mutatis quidem verbis: Commentarii in Iohannem maximam partem ex Augustino, et Beda hausti sunt: idemque plus minus de ceteris dicendum, in quibus expositiones Hieron. August. Ambros. Greg. M. Bed. aliorumque passim refert. Nihilo tamen minus apta rerum dispositione, planoque stylo Alcuini opera se commendant, ac interpretibus utilia sunt. Alcuini discipuli fuerunt Haymo, et Rhabanus.

Haymo Alberstadiensis († 853) multa in S. Scripturam edidisse dicitur, quorum tamen nonnulla dubia sunt, et fortasse Remigio Antissiodorensi tribuenda. Extant sub ejus nomine commentarii in Psalmos et cantica, in Isaiam, in Proph. minores, in Pauli Epistolas et Apocal. nec non homiliae in Evangelia totius anni. Juxta morem Alcuini aliorumque illius aetatis interpretum antiquiores commentarios excerpit, et in compendium redigit.

Rhabanus Maurus († 856) monachus, deinde Abbas Fuldensis, ac demum Archiepiscopus Moguntinus, et ipse ex celebrioribus Alcuini discipulis, graece et hebraice eruditus commentarios reliquit in plerosque libros V. T. in Matthaeum, et in Epist. S. Pauli fere totos ex Hieronymi, aliorumque Patrum scriptis compilatos, quibus mysticas hic illic expositiones de suo adiecit.

Saeculo XII doctores scholastici proprie dicti apud Latinos incipiunt, qui usque ad saeculum XVI tantam sanctitatis ac doctrinae famam, in Ecclesia reliquerunt. Ex his multi praeter philosophicas ac theologicas lucubrationes, Scriptuarae quoque commentariis in-

claruerunt. Praeter Nicolaum Liranum, et Paulum Burgensem superius laudatos hic commemorare sufficiat S. Bernardum Doctorem mellifluum, Petrum Lombardum magistrum sententiarum dictum, B. Albertum M., S. Thomam Aquinatem, et S. Bonaventuram.

S. Bernardus († 1157) Claravallensis Abbas licet commentarios proprie dictos non scripserit, pluribus tamen sermonibus varias Scripturae partes, imprimis Canticum Cantic. (Sermones LXXXVII) et Evangelii lectiones exposuit, ita tamen ut non tam de erudita sensus literalis interpretatione sollicitus sit, quam de allegorica et mystica, in qua persequenda mira sagacitate, profunditate ac unctione pollet.

Petrus Lombardus († 1164) praeter celebre opus Sententiarum scripsit *Glossas in Psalmos,* et *Collectanea in Epistolas Pauli.* In primo opere uberiorem glossae interlinearis explicationem praebet, in altero praecipuas Patrum expositiones colligit, digressiones explicationesque dogmaticas addit, et per scholasticas divisiones ac distinctiones progreditur.

B. Albertus M. († 1280) S. Thomae magister in omni scientiarum genere summus inter innumera alia scripta quae tomis XXI in fol. comprehensa sunt in editione Lugdunensi anno 1651, plura exegetica reliquit scilicet *Commentarios* in *Psalmos,* in *Lamentationes* Ieremiae, in *Baruch,* in *Danielem,* in *duodecim prophetas minores, in Quatuor Evangelia* et in *Apocalypsim,* praeter *Orationes* super Evang. Dominicalia totius anni, et *Sermones* multos, in quibus facta vel dicta biblica explanat. In his omnibus literali sensui interpretando potissimum attendit.

S. Thomas Aquinas († 1274) *Doctor Angelicus* in plures Scripturae libros commentarios composuit qui in editione Romana S. Pii V. iussu confecta occupant tomos XIII-XVI. Sunt autem *Comment. in Iob, in Quinquagenam psalmorum,* in *Cant. Cant.,* in *Isaiam,* in *Ieremiam et Threnos, Comment. in Matthaeum,* et in *Iohannem, auream catenam ex patribus contextam in quatuor Evangelia, Comment. in omnes S. Pauli Epistolas,* et *Sermones de Tempore.* Ex his commentarius in Epistolas Paulinas coeteris praestat, et certe optimis in hanc Scripturae partem commentariis est accensendus. Si Angelicus Doctor linguas biblicas, imprimis hebraicam, calluisset, ceterisque scientiae biblicae subsidiis copiosius instru-

ctus fuisset, fortasse ceteros latinos interpretes superasset: his vero subsidiis aliquantum destitutus commentarios suos in S. Scripturam non potuit ad eam perfectionem adducere, quam eius theologica scripta attigerunt, ubi inter ceteros scholasticae Theologiae tractatores sicut aquila volat.

S. Bonaventura († 1274) *Doctor Seraphicus* opera exegetica reliquit sequentia: *Expos. in Hexameron, in Psalmos,* in *Ecclesiasten,* in *Sapientiam,* in *Lamentationes Ieremiae, in Cap. VI. Matthei,* in *Evangelium Lucae,* et *postillam in Evang. Iohannis.* Expositiones S. Bonaventurae minus scholasticae et litterales sunt quam Alberti M. et S. Thomae, sed ad pietatem fovendam peculiari quadam efficacia pollent, eoque nomine a Gersone et Trithemio imprimis commendantur. Post editionem romanam operum S. Bonaventurae Romae 1588, 8 Vol. in fol. aliasque duas Lugdunensem 1668, et Venetam 1751–56, alia nunc critica editio a P. Fideli de Fanna Ord. Min. paratur.

Ex duobus sequentibus saeculis XIV, et XV praecipue sequentes expositores commendandi sunt.

Petrus de Alliaco († 1396) Cardinalis inter alia opera dogmatica et ascetica scripsit *Expositionem anagogicam Orationis Dominicae,* item *Salutationis Angelicae, Meditationes* in *Psalmos poenitentiales,* in *Psalmum XXX* et alios quosdam, item *Verbum abbreviatum supra librum Psalmorum, Meditationem* in *Cantica N. T.* et *Expositionem in Cant. canticorum Salomonis.*

Alphonsus Tostatus († 1455) Abulae in Hispania Episcopus, unde etiam *Abulensis* dicitur, qui ob feracissimum ingenium, et innumera opera quae conscripsit (XXVII voluminibus in fol.) *stupor mundi* appellatus est, praecipue in Scripturis interpretandis insudavit, et commentarios reliquit in *Genes. Exod. Levit. Num. Deuter. in Iud. et Ruth, in Libros IV Reg.,* in *Paralip.* et *in Evang. Matthaei,* qui licet multa accurata et utilia contineant, tam prolixi tamen sunt (occupant primos XXIV Tomos in fol. editionis Venet. 1728), et tam multis quaestionibus, ac digressionibus repleti, ut amplius non legantur.

Dionysius Carthusianus († 1471) in omnes fere libros utriusque Testamenti commentatus est, eiusque opera magnam famam per illam aetatem adepta sunt.

Iohannes de Turrecremata († 1468) *scholia in Psalmos* atque *Epistolas Paulinas,* maximam partem ex veterum commentariis compilata exaravit, quae soliditate et claritate se commendant.

Huc etiam referri possunt superius laudati *Nicolaus Liranus,* et *Paulus Burgensis,* quos nonnulli reliquis omnibus huius aetatis interpretibus anteponunt. Alii doctissimi viri huius temporis ut *Io. Gerson, Dominicus Iacobatius, Franciscus Zabarella, Taulerus,* Card. *Bessarion* aliique potius quam Scripturae expositioni Theologicis disputationibus operam dederunt, imprimis circa Papae et Concilii potestatem occasione schismatis occidentalis, item Canonum sacrorum scientiam, vel mysticam Theologiam excoluerunt.

CAPUT IV.

EXEGESIS RECENTIORUM SAEC. XVI–XIX

Cum saeculo XVI pseudo-Reformatio Ecclesiae vestem inconsutilem sciderit, biblica exegesis quemadmodum omnis theologia in duas diversas et contrarias partes divisa est Catholicorum nempe et Protestantium. Ex utraque autem parte tot scriptores, totque opera exegetica prodierunt, ut vix numerari possint. Sufficiat hic celebriores quosdam ac praecipuos indicare primum quidem ex Catholicis, tum vero ex protestantibus.

ARTICULUS I.

PRAECIPUI CATHOLICI INTERPRETES RECENTIORES

Quamvis nonnulli ex primis huius aetatis doctoribus ante concilium Tridentinum, et ante propagationem errorum Lutheri scripserint, eos tamen hic referemus, deinde vero posteriores Concilio Tridentino laudabimus.

Card. Caiet. De Vio († 1535) ob theologicam scientiam, et imprimis ob commentarios in summam S. Thomae celeberrimus, in Scripturas quoque commentarios conscripsit. In his tamen non modo eamdem gloriam adeptus non est, sed contra severam poene omnium reprehensionem incurrit, ita ut Pallavicinus in loco alias citatqo, uam-

vis eum defendere conetur ab heraeseos imputatione, quam Canus et Proteolus ei inusserant, fateatur tamen eum gloriam suam ob exegetica scripta obscurasse, eaque pulcherrimi pavonis pedibus comparanda esse. Praecipuum Caietani vitium est quod a recepta Patrum sententia facile discedat, et Vulgatae latinae lectionem non modo non sequatur (nova sibi comparata latina versione) sed etiam frequenter impugnet. Ceterum ad Caietani excusationem illud praecipue valet quod ante Concilium Tridentinum, eiusque Decretum de Vulgatae authentia, et de Patrum consensu sequendo in Scripturae interpretatione, libros suos ediderit. Extant Caietani *Commentarii* in omnes libros utriusque Testamenti, exceptis Prophetis et Apocalypsi. Eius opera edita sunt Lugduni 1739, 5 vol. in fol.

Erasmus Rotterodamus († 1536) in classica literatura, et in critica doctissimus, liberioris tamen ingenii, et in opiniones parum orthodoxas proclivis, praeter alia innumera scripsit *Adnotationes, et Paraphrases in Novum Testamentum,* quae continentur in to. VI et VII operum edit. Basileae 1540. Si caute legantur magno usui esse possunt ad historicam et grammaticam Scripturae interpretationem.

Franciscus Vatablus († 1547) celebre edidit opus *scholiorum* in *universam Scripturam,* quae brevitate simul et soliditate studiosis utilissima sunt. Notandum tamen est eadem scholia cum interpolata fuissent, ut probabilius videtur, ab hispanica Inquisitione prohibita olim fuisse donec corrigantur.

Hieronymus Oleaster († 1553) theologus regis Lusitaniae apud Concilium Tridentinum *Commentarium in Pentateuchum* vulgavit, qui eruditorum omnium laudes promeruit.

Andreas Masius († 1573) in hebraica et orientali literatura supra quam dici potest versatus *Commentarium* scripsit in librum Iosue mira eruditione refertum, licet quaedam minus orthodoxa contineat quorum causa in Indicem librorum prohibitorum relatus est donec corrigatur.

Cornelius Iansenius († 1576) Gandavensis episcopus, et Concilii Tridentini Theologus, inter optimos Scripturae interpretes certe collocandus est. Praeter *Commentarios in Prov. Ecclesiasten, Sap.* et *Psalmos* praecipuum eius opus est: *Concordia Evangelica,* et *Comment. in Concordiam Evangelicam,* quo nihil melius ad Evangeliorum explicationem haec aetas protulit.

Iohannes Maldonatus e S. I. († 1583) plures scripsit commentarios qui ab auctore coram frequentissimo auditorum coetu olim traditi nonnisi aliquot annis post eius mortem vulgati sunt, nempe *Comm. in Prophetas Ieremiam, Baruch, Ezechiel et Daniel; Scholia in Psalmos, in Proverbia in Cant. Cantic., Ecclesiasten et Isaiam:* imprimis vero *Commentarius in Quatuor Evangelia,* qui primum editus est Mussiponte (Pont-à-Mousson) anno 1596 in fol. deinde vero pluries, et in variis locis ob summam eius praestantiam, atque utilitatem. Maldonatus in praefato opere optimae interpretationis specimen, ac veluti exemplar reliquit. Literalem sensum subtiliter ac solide exponit, usum loquendi ex penitiore scientia qua pollebat graecae et hebraicae linguae ad mentem auctoris indagandam feliciter adhibet, veterum Doctorum commentarios et varias expositiones accurate proponit et iudicat, varias quoque lectiones sive textus, sive versionum, cum opus est, animadvertit, in dogmaticis locis praesertim contra Protestantium errores exponendis ac vindicandis doctissime versatur, stylo demum nitido, robusto atque eleganti ubique utitur. Ipse Iahnius, alioquin parcus similium auctorum laudator, Maldonati commentarium commendat, et lectu dignum iudicat.

Alphonsus Salmeron e S. I. († 1585) Concilii Tridentini theologus *Commentarios* reliquit in omnes *libros N. T.*, excepta Apocalypsi, quibus praemisit *Prolegomena* generalia in S. Scripturam, et specialia in Quatuor Evangelia, quae in magno pretio habentur.

Emmanuel Sa († 1596), *Iacobus Tirinus* († 1636), *Stephanus Menochius* († 1655), et *Iohannes Mariana* († 1624) omnes e S. I. breviores adnotationes in S. Scripturam ediderunt, quae studiosis utilissimae, sunt cum paucis verbis multa contineant, et saltem plerumque optimam uniuscuiusque loci interpretationem clare proponant. Ceteris praestat editio Menochii cum additionibus et dissertationibus *P. Tournemine,* quae prodiit Parisiis 1719 III vol. in fol., et iterum Venetiis 1722.

Benedictus Pererius e S. I. († 1610) commentarios in V. T. scripsit ab ipso Rich. Simonio et aliis valde laudatos, *Nicolaus Serarius* S. I. († 1609) praeter notissima *Prolegomena biblica* Commentarios exaravit in libros historicos V. T. et in Epistolas Catholicas, et ob

nguarum peritiam et accuratam sensus expositionem passim com-
ıendatur.

Guillelmus Estius († 1613) universitatis Duacensis Professor et
ancellarius edidit *Commentarios in Epistolas Paulinas* et *septem*
Catholicas, qui a pluribus reputantur optimi inter Epistolarum com-
ıentarios, licet aliquando (praesertim in Epistolam ad Romanos)
l damnatas de gratia et praedestinatione sententias,quae tunc tem-
oris a Baio eius magistro disseminabantur aliquantum inclinet,
leoque in his caute legendus sit, et benigne explicandus. Eiusdem
re pretii sunt eius *Adnotationes in difficiliora loca S. Scriptu-*
ıe primum Antuerpiae 1621 et deinceps alibi saepe recusae.

Gaspar Sanctius S. I. († 1628) inter optimos Scripturae inter-
retes certe adnumerandus est, et unus est ex illis qui in ducem
exemplar interpretationis tuto eligi possint. Praeter styli perspi-
ıitatem, et elegantiam, admirabilis in eo est expositionis soliditas,
ıaturum iudicium, et ingenuus candor in occurrentibus difficul-
ıtibus sine ulla dissimulatione agnoscendis et enodandis, ita ut a
almeto omnium interpretum, quos ipse noverat, praestantissimus
ocetur (Calmet Bibl. Sacra adnexa eius Dictionario biblico). Edidit
ommentarios in historicos libros V. T., in Iob, in Canticum, in
mnes Prophetas et in Actus Apostolorum. *Commentarii in Iob et*
Isaiam ceteris fortasse praeferendi sunt.

Gilbertus Genebrardus († 1597) Ord. S. Ben. Sorbonicus doctor,
Card. *Rob. Bellarminus* S. I. († 1621) egregios ediderunt com-
entarios in Psalmos, qui theologis aeque ac sacris concionatoribus
agno usui sunt. Idem dicendum de *Ioh. Lorini* († 1634) *Com-*
entario in Psalmos, qui addi solet commentariis Cornelii a Lapide.
usdem commentarii in alios plures libros Veteris et Novi Testa-
enti magni etiam aestimantur ab eruditis, imprimis vero eius
ommentarius in Actus Apostolorum.

Cornelius a Lapide (Van den Steen) S. I. († 1637) sanctitate
tae, et orationis studio non minus quam scientia clarus, cum
ripturas diu publice exposuisset tum in Universitate Lovaniensi,
m Romae, Commentarios scriptos reliquit in totam Scripturam
riusque Testamenti, exceptis tantum libris Iob, et Psalmorum.
iiusmodi commentarii in tanto pretio habiti sunt ut, licet ma-
ıae molis, pluries tamen variis in locis recusi fuerint et omnium

manibus terantur. Ingens sane doctrinae biblicae, theologicae, et asceticae thesaurus in his continetur: quamvis auctor in quibusdam locis magis mysticae et allegoricae interpretationi, ac piis digressionibus indulgeat, quam literalis sensus accuratae interpretationi, ideoque sacro concionatori et animarum pastori saepe acceptior sit et utilior quam studioso interpreti. Verum commentarii *in Pentateuchum* et in *Epistolas Paulinas* sub respectu etiam literali optimi sunt et aliis operis partibus merito praeferuntur. Originalis editio Cornelii a Lapide prodiit Antuerpiae 1681 seqq. quam plures aliae sequutae sunt etiam recentissimae ut Melitensis 1843, Neapolitana 1854, Parisiensis 1868 etc. Commentarii in Iob et Psalmos in variis editionibus varie suppleti fuerunt, generatim tamen appositus est commentarius Lorini in Psalmos, et Pineda in Iob.

Iohannes de Pineda († 1637) S. I. Hispanus in literatura classica et Orientali prorsus eximius, praeter quaedam opera hispanice scripta, latinos *Commentarios* edidit in librum *Iob,* in *Ecclesiasten* item Praelectionem sacram *in Cant. Cantic.* et de *Rebus Salomonis libr. VIII,* qui ab omnibus non modo catholicis, sed etiam heterodoxis exegetis summis laudibus feruntur, tanta est expositionis claritas, diligentia et soliditas, quae in eis ubique elucet. Commentarius in Iob libris XIII comprehensus ceteris praeferri solet.

Iacobus Bonfrerius († 1642) S. I. praeter celeberrima *Praelectiones* in totam S. Scripturam Commentarios egregios scripsit in plures Scripturae libros: quorum tamen nonnulli nondum lucem aspexerunt. Extant impressi *Pentateuchus Moysis commentario illustratus* Antuerpiae 1625 fol., *Commentarii in libros Iosue, Iudicum, et Ruth.* Parisiis 1631 in fol. In his omnibus profunda Scripturae scientia, linguarum Orientalium notitia, archaeologica eruditio ubique deprehenditur, et lectoris desiderio solida, accurata simulque sobria expositione fit satis. Commentarius in Pentateuchum reliquis praeferendus videtur, et a nonnullis criticis habetur ut praestantissimus inter omnes Pentateuchi commentarios.

Io. Baptista Du Hamel († 1706) presbyter Oratorii cum se studiis Scripturarum devovisset, post plura alia opera philosophica et theologica edidit commentarium in Psalmos, et Adnotationes in libros Salomonis, et Ecclesiasticum, ac demum extremo vitae anno decrepita iam aetate praecipuum suum opus vulgavit cum ho-

itulo: *Biblia Sacra Vulgatae editionis... una cum selectis adnotationibus ex optimis quibusque interpretibus excerptis, prolegomenis, novis tabulis chronologicis, historicis et geographicis illustrata:* Parisiis 1706. Titulus indicat quid in hoc opere contineatur. Prolegomena quamvis breviter, introductionem quamdam exhibent in totam Scripturam, textus Vulgatae accuratissime est impressus, adnotationes bene selectae et ordinatae sunt, demum in appendice tum chronologia tum geographia sacra quantum satis est exponitur, et de ponderibus, mensuris ac monetis Hebraeorum disseritur. Quare opus studiosis S. Scripturae, iis praesertim qui maioribus Commentariis pervolutandis sive tempus,sive opportunitatem non habent, utilissimum est.

Bernardinus a Piconio (Pequigny) Ord. Min. Cap. († 1709) commentaria scripsit in Evangelia, et in Epistolas Paulinas; hoc alterum opus longe celebrius, quod etiam superius laudavimus, hunc titulum praesefert: *Triplex expositio Epistolarum Divi Pauli.* Parisiis 1703, et iterum gallice 1706, ac deinceps saepius latine recusum est. In hoc opere pius et doctus auctor nihil omisit quod ad textus intelligentiam, et ad lectorum utilitatem conferre posset. In singulis capitibus Epistolarum post latinam Vulgatam et gallicam versionem, ponit primo accuratam totius capitis *Analysim,* tum vero claram, et bene digestam *Paraphrasim,* deinceps *Commentarium* satis amplum, cum criticis etiam et philologicis, ubi opus est, animadversionibus, ac denique expositionem claudit per *Collarium pietatis,* morales et mysticas observationes,et conclusiones continens, cum piis etiam affectibus subiecto respondentibus. Hisce de causis opus istud a Clemente XI peculiari elogio honestatum est, et Scripturae sacrae studiosis, qui scientiam biblicam, ut par est, cum pietate coniungere amant ceteris Epistolarum Pauli commentariis praeferri solet: hinc etiam plures eiusdem editiones variis in locis recentius apparuerunt.

Augustinus Calmet († 1757) Ord. S. Berd. summam celebritatem adeptus est ob diffusum commentarium in totam S. Scripturam, quem primum gallice edidit sub titulo: *Commentaire literal et critique sur tous les livres de l'ancien et du nouveau Testament.* 23 Vol. 4°, 1707–15, iterum, ac tertio postea recusum, ac denique a Io. Dom. Mansi in latinum conversum et editum Vene-

tiis 1754 seqq. VIII Vol. fol., quae latina versio cum eiusdem Mansi correctionibus et notis nunc fere tantum adhiberi solet, et saepius in Italia, et in Germania impressa est. Opus Calmeti, quid quid dicat Iahnius in Enchiridio §.62, summi faciendum est ad doctam et scientificam Scripturae notitiam sibi comparandam. Auctor enim omnigena eruditione pollens literalem sensum solide investigat et evolvit, diversas Patrum aliorumque interpretum expositiones refert et discutit, textus originarios,et varias versiones ub opus est citat, historicas demum, chronologicas, geographicas re aliaque id genus melius quam plerique antiquiores commentatores illustrat: ad haec *Prolegomena generalia* satis ampla toti oper praemittit, singulis autem libris doctas *Praefationes,* et eruditas *Dissertationes* de rebus difficilioribus apponit, quae a nonnullis ips commentario praeferri solent, et simul collectae seorsim plurie editae fuerunt: hisce omnibus cumulum imponit *Dictionarium biblicum,* in quo notitias rerum biblicarum ordine alphabetico dispositas sistit, una cum *Bibliotheca sacra* seu indice praecipuarum editionum S. Scripturae, variarum versionum, interpretu et criticorum biblicorum etc., quod pariter latine conversun prodiit Venetiis 1766, 2 Vol. fol., et commentario adiungi solet ita ut integrum Calmeti opus ad instar bibliothecae haberi possit et fere unum Theologis sufficere possit. Dissimulandum tame non est quaedam minus explorata apud Calmetum reperiri nonnulla etiam parum ordinate digesta, obiectiones etiam aliquand non satis plene ac solide refutatas. Opus quod vulgo dicitur *Bibl de Vence* vix aliud est quam epitome operis Calmeti imprimi eius Dissertationum ab illius Ecclesiae presbytero accurate e docte adornata XIV Vol. 4° 1748–50, quae deinceps cum ad ditionibus Avenione recusa est XVII. Vol. in 4° et vocari sole *Bible d' Avignon.*

In altera parte saeculi elapsi et in nostro XIX saeculo admodum pauci inter Catholicos commentarios in S. Scripturam edide runt,cum longe plures Criticae biblicae,aut Introductioni illustrandae adlaboraverint, quemadmodum necessarium videbatur ad rationalismi biblici errores refellendos, et revelationis iura tuenda. Omittendi tamen non sunt nonnulli qui Scripturae expositiones dede runt.

Imprimis autem laudandi sunt qui versiones Scripturae ver-
aculas ediderunt cum doctis piisque adnotationibus, ut *Martini*
Italia, *Allioli* in Germania, *Kenrick* in Statibus foederatis Ame-
cae et alii de quibus inferius sermo erit.

Iohannes Iahn († 1816) praeter nota opera de *Introductione*
V. T., de *Hermeneutica* et de *Biblica Archaeologia*, edidit *Fa-*
iculos duos Exercitationum exegeticarum Vindoboni 1813–15,
ui praecipua de Christo vaticinia V. T. exponit: in his, quemad-
odum in reliquis operibus, vir sagacis ingenii, et vastae erudi-
nis a catholico tamen sensu et Patrum traditione non semel
eclinat, ac merito orthodoxorum reprehensionem incurrit.

Io: Nepom. Alber. clericus Regularis Schol. Piar. Pesthini
Hungaria S. Scripturae et linguarum Orientalium professor prae-
r opus de hermeneutica biblica alias laudatum, in quo Iahnii
raesertim errores ac liberiores opiniones refellit, edidit lati-
um Commentarium in totam S. Scripturam Pesthini 1801–4 XVI
ol. in 8°, in quo profundam Scripturae scientiam, linguarum pe-
tiam, familiaritatem in SS. Patrum scriptis, et sensum apprime
atholicum ostendit: theologis utilis est eo etiam nomine quod
tionalistarum, et incredulorum errores nunquam omittit indicare,
refutare.

P. Four. Ackermann Canonicus Reg. Lateran. praeter alia opera
lidit *Prophetas minores perpetua adnotatione illustratos.* Vien-
ae 1830, ubi sacri textus expositio docte, et accurate proponitur,
philologia orientalis ad verborum sensum determinandum co-
ose adhibetur. Hic opportunum erit notare recentiores interpre-
s huius postremi saeculi ampliorem philologiae usum in Scri-
turis exponendis fecisse quam antiquiores, idque non solum in
rotestantibus, sed et in Catholicis plus minus observari. Utrum hoc
emolumentum, an in damnum sacrae Exegeseos cesserit difficile
t iudicare. Hoc unum animadvertere licebit recentissimos com-
entarios hac methodo exaratos quamvis in minutioribus rebus ali-
uando melius lectori satisfaciant, saepe tamen aridos, et ad moven-
m animos, virtutisque studium fovendum minus idoneos inveniri.

Daniel Tobenz Can. Reg. Claustro neoburgensis commentarium
idit totius N. T. in usum concionatorum, et sacerdotum curam
animarum habentium Vindobonae 1801, 1804–06 II Vol. in 4°.

Huc etiam pertinet editio germanica totius Scripturae complectens novam versionem ex textu originario, paraphrasim, et brevem commentarium, quam Dominicus Brentano Canon. Campodunensis incepit, Tadd. Al. Dereser continuavit, et Augustinus Scholz ad finem perduxit, quae licet nonnulla reprehendenda contineat, ab eruditis laudatur. Totum opus emendatius prodiit Francofurti 1820–35.

Alii plures unum tantum vel alterum Scripturae librum iuxta recentiorum methodum explanandum susceperunt. Huc pertinet *Io. Leon. Hug* Nova expositio in Canticum (germanice) Friburgi 1813 eiusdemque defensio ibid. 1813; *Io: Henr. Kistemaker*, Canticum Cantic. illustratum ex hierographia Orientalium. Monasterii 1818; *Henr. Klee* Commentarius in Evangelium Iohannis. Moguntiae 1829 et in Epistolam ad Hebraeos ibid. 1833: *Mart. Ios. Mach* Commentarius in Epistolas Pastorales S. Pauli Apostoli (germanice) Tubingae 1836 valde laudatus, aliaque similia opera a Windischmann, Lombe, Maier aliisque apud Germanos vulgata. Optimum commentarii specimen praebent *Ios. Schetta Bohuslav* Praelectiones in Evangelium S. Matthaei. Oeniponti 1847. Huc etiam pertinent *Theod. Beelen* commentarii alias laudati in Actus Apostolorum (Lovanii 1850) in Epistolam ad Philippenses (ibidem 1852) et in Epistolam ad Romanos (ibid 1854). Et apud nos nota opera exegetica *P. Francisci Xav. Patrizi* in Evangelium Marci Romae 1862, in Iohannem 1857, in libros Machabaeorum, in Vaticinia Messianica, et quibus nuper accessit Commentarius in C Psalmos italice sub titulo: *Cento Salmi tradotti letteralmente dal testo Ebraico, e commentati da F. S. Patrizi* d. C. di G. Romae 1875: Item alias laudatus commentarius in Librum Esther *Aloysii Coletta. Del libro di Ester commentario storico filologico di Luigi Coletta Prete Napoletano,* Napoli 1868–69, in quo historicus praesertim sensus fusius exponitur, et ad modum dissertationis critico-philologicae: cui simile est *Commentatio in librum Danielis prophetae, sive de temporibus gentium cum appendice.* Romae 1874 edita a *Guillelmo Palmer* viro doctissimo, genere quidem Anglo, et doctore Oxoniensi, sed post susceptam catholicam fidem Romae diu commorato, ubi nuper pie decessit

ARTICULUS II.

Praecipui quidam scripturae interpretes protestantes

Quamvis apud Protestantes sana et perfecta Scripturas exponendi methodus inveniri non possit, plura tamen opera exegetica apud eos apparuerunt quibus ingenii, eruditionis ac diligentiae quaedam laus negari non potest, quaeque catholico etiam interpreti, si cum debitis cautelis legantur, usui esse possunt. De his pauca dicenda sunt.

Ex antiquioribus Protestantibus in Scripturarum expositione ceteros superasse videntur Drusius, Lud. De Deo et Grotius.

Io. Drusius (Driesches) saec. XVI Orientalium linguarum Lugduni Batavorum, Oxonii in Anglia, ac demum Franecherae in Hollandia professor praeter alia opera scripsit *Adnotationes in S. Scripturam*, quae ad sensum literalem et grammaticum intelligendum, et usum loquendi biblicum addiscendum utiles sunt, quamvis hic illic protestanticos errores redoleant. Auctor hic pro sua aetate et secta satis aequum se praebet erga sanctos Ecclesiae Patres, aliosque interpretes catholicos.

Ludovicus De Deo (Louis de Dieu † 1642) praeses ac professor Lugdunensis in Batavia Universitatis magnam celebritatem adeptus est ob Orientalis philologiae et S. Scripturae scientiam. Scripsit breves et eruditas adnotationes in omnes fere libros Vet. et Novi Testamenti, quas seorsim variis temporibus ac locis edidit, nonnullae etiam post eius mortem tantum lucem aspexerunt. Deinceps vero collectae sunt in unum volumen in folio sub hoc titulo: *Critica sacra, sive animadversiones in loca quaedam difficiliora Vet. et Novi Testamenti* Amstelod. 1693. Adnotationes istae totae fere grammaticae ac philologicae sunt: errores tamen theologicos data occasione continent ac propugnant.

Hugo Grotius († 1645) item Batavus, praeter notum opus de iure belli ac pacis, et plura opera theologica, scripsit *Adnotationes in V. T.* Parisiis 1664 III Vol. in fol. *Adnotationes in libros Evangeliorum, et varia loca S. Scripturae* Amstelod. 1641 fol., itemque *in Epistolam ad Philemonem* ibidem 1642, 8°. In his

profunda linguarum scientia, et omnigena tum sacra tum profana eruditio elucet, unde grammaticae locorum explicationi lux saepe affunditur. Attamen theologicum et propheticum Scripturae sensum auctor passim extenuat ac pessumdat, Pelagianismo et Arianismo favet, et in V. T. quod ad Christum totum respicit, Christum nusquam videt: quod illi non Catholici modo, sed etiam Protestantes saepe exprobrarunt.

Antequam antiquiores Protestantes dimittamus mentio facienda est de magna biblicorum operum collectione, quam Anglicani Protestantes vulgarunt sub titulo: *Critici sacri.* Londini 1660, 9 vol. fol. et iterum Amstelodami 1698. Huius in gentis operis compendium deinceps editum est a Matthaeo Poole sub titulo: *Synopsis Criticorum Sacrorum* Londini 1669-74, quae vulgo *Poli Synopsis* appellatur. In Criticis sacris non solum protestantes interpretes, sed etiam quidam catholici, quamvis pauciores, inserti fuerunt, ut Lucas Brugensis, Is. Clarius, Sim. De Muis, Sanctius aliique. *Synopsis criticorum* modo citata maiori etiam in pretio habetur quam opus maius; non solum enim maiori brevitate lectores iuvat, sed plura etiam melius selecta, et digesta continet ex auctoribus inter Criticos sacros non relatis.

Ex interpretibus saeculi XVII praecipui sunt Wetstenius, Michaelis, Rosenmüller et Kuinoel inter Germanos, et inter Anglos Henry, et Scott.

I. I. Wetstenius edidit: *N. T. cum comment. pleniore* 2. Tom. in fol. Amstelodami 1752, quod non obstantibus erroribus dogmaticis, utilitatem lectoribus non exiguam afferre potest ob accuratas criticas et philologicas observationes.

I. D. Michaelis novam edidit versionem Germanicam Sacrae Scripturae cum notis sub titulo: *Adnotationes in suam versionem V. T.* Editio 2.ª Gottingae 1773-87. XIII. Tom. in 4°. et *Adnotationes in N. T.* 1790-92 IV Tom. Huiusmodi adnotationes « maximam lucem affundunt antiquitatibus, historiae, et geographiae S. Scripturae » (Glaire. *Introduction* Tom. 1re pag. 339).

Io. G. Rosenmüller pater, et *E. F. G. Rosenmüller* filius ediderunt Scholia in totam Scripturam, quae ut praecipuum opus protestantium in hoc genere haberi possunt. Rosenmüller senior edidit *Scholia in N. T.* quorum editio postrema et praestantis-

sima apparuit Norimbergae 1801-8. V Vol. in 8°; iunior autem vulgavit *Scholia in V. T.* XVIII Vol. in 8°, quae pluries seorsim recusa fuerunt, et etiam in compendium redacta Lipsiae 1828 seqq. Utrumque opus utilitate non caret; auctores enim, quantum a viris protestantibus expectari poterat, literalem sensum accurate et subtiliter exponunt, aliorum interpretationes (etiam catholicorum) laudant, quinimo ipsa saepe verba nostrorum interpretum imprimis Sanctii, et Menochii exscribunt, et inter varias expositiones plerumque optimam seligunt: saepe tamen in scholiis V. T. offenduntur principia nimis libera, et rationalismo affinia.

C. T. Kuinoel inter praecipuos Protestantium exegetas referri solet ob eius *Commentarium* (latinum) in libros N. T. historicos, idest *Evangelia et Actus Apostolorum,* qui a Protestantibus tamquam perfectum specimen literalis seu philologicae interpretationis extollitur, et plures editiones habuit, quarum praecipua esse videtur Londinensis 1828. III Vol. in 8°. Catholicus tamen interpres licet philologicam eruditionem laudare debeat, plura tamen offendit in hoc opere rationalismo proxima in miraculorum praesertim expositione, et frigidam plerumque atque aridam corticis Sacrae Scripturae expositionem.

Matthaeus Henry minister Presbyterianus in Anglia in principio elapsi saeculi edidit *Commentarium in Vetus et Novum Testamentum* V Vol. in fol. quod a Presbyterianis et Evangelicis magni aestimatur, ideoque pluries etiam recusum est. Errores suae sectae passim tuetur, sed minus aridum est quam pleraque Lutheranorum commentaria, et mystica quodammodo ac pia interpretandi ratione utitur.

Thomas Scott Anglicanus minister sub finem elapsi saeculi edidit sua lingua: *Vet. et Nov. Testamentum, cum adnotationibus originalibus, animadversionibus practicis, copiosisque citationibus marginalibus,* quod opus ab omnibus Anglicanis aliisque Protestantibus, Angliae praesertim et Americae, in maxima aestimatione habetur. Optima eius editio est Londinensis 1822 VI Vol. in 4°.

Saeculo XIX plerique Protestantium exegetae rationalismi erroribus addicti sunt, quorum opera hic recensere omittimus, praesertim cum saepe de his mentio facta fuerit imprimis in Sectione III Secundae Partis. Attamen non defuerunt etiam inter recentissimos

Protestantes qui saniora interpretationis principia contra ingruentem rationalismum vindicare, et in praxim deducere omnibus modis conarentur, ut in prolegomenis innuimus. Ex his specialem laudem merentur E. W. *Hengstenberg* in sua celebri *Christologia V. T.* seu *Commentario in prophetias Messianicas* (germanice) Berolinii 1829 seq. *H. Olshausen* in suo *Comment. super Scripturas N. T.* Koenisgsbergiae 1836-37: *F. Lücke* in *Comment. super Scripta S. Iohannis.* Bonnae 1820-24; *A. Tholück* in *Comment. supra Evangelium Iohannis* editio V^a^. Hambergiae 1837, in *Epistolam ad Hebraeos* ibid. 1836, in *Epistolam ad Romanos* Berolini 1824.

Sufficiat hosce paucos ex Protestantium interpretibus nominasse. Longe plures non tam commentariis edendis operam dederunt quam philologiae sacrae, archaeologiae, geographiae, moribus et ritibus Hebraeorum, criticis quaestionibus aliisque similibus illustrandis, in quibus certe magnam laudem meruerunt, et omnium interpretum etiam catholicorum utilitati inservierunt, licet semper caute legendi sint. Horum nomina et praecipua scripta, ut Lowthii, Glassii, Spencerii, Relandi, Hodii etc. partim superius laudavimus, et iterum in brevi adumbratione Archaeologiae biblicae inferius commemorabimus.

FINIS
INTRODUCTIONIS EXEGETICAE
IN SACRAM SCRIPTURAM

APPENDIX I.

SPECIMEN INTERPRETATIONIS QUORUMDAM LOCORUM S. SCRIPTURAE

N. 1. Expositio Psalmi XXI (Hebr. XXII)

Argumentum, et analysis.

Psalmus iste, unus ex praecipuis ac pulcherrimis, totus ad Christum pertinet, et ad eius passionem, resurrectionem et gloriam inde sequutam. Ipse Christus inducitur loquens, quin unquam Propheta verba sua inferat, ut in aliis plerisque propheticis psalmis facere solet. Totus psalmus in duas partes dividitur quarum prima pertingit usque ad v. 24 ad illa verba : « qui timetis Dominum laudate eum etc., » altera vero ab his verbis incipit et protenditur usque ad finem. In prima parte Christus in cruce pendens Deum Patrem supplici ac tenera oratione alloquitur suaviter conquestus, quod ab eo derelictus sit in tormentis, huius rei modum et causam exponens (v. 2, 3), tum vero Patris misericordiam implorat, eius obtinendae motiva adducens 1° eiusdem sanctitatem (v. 4); 2° misericordiam Patriarchis aliisque iustis V. T. exhibitam (v. 5 et 6); 3° abyssum ignominiae, ac miseriae in qua ipse iacebat (v. 7-9) ; 4° singularem amorem et providentiam qua illum Pater hucusque protexerat ac foverat, ubi preces magis explicite fundit, et 5° iterum per partes et vivissime dolores suos, et suorum inimicorum multitudinem, crudelitatem et proterviam describens iterum ab iis liberari poscit (v. 12-22). Concludit (v. 23) promittens, seu vovens se

post acceptam gratiam publice nomen Patris laudaturum. Altera pars incipit cum apostrophe qua Christus iam gratiam Resurrectionis adeptus Israelitas, omnesque timentes Dominum invitat ad Deum laudandum pro accepto beneficio (v. 24 et 25), iterumque votum antea emissum confirmat, et solvere incipit non sine allusione ad sacrificium Eucharisticum, ex quo fideles cuiusvis conditionis pascendi et vivificandi sunt (v. 26 et 27), demum praedicit omnes gentes ad Deum convertendas ex quibus Ecclesia formanda sit Novi Testamenti, quae ab ipso Christo fundata et gubernata una cum eo iugiter Deum laudatura est (v. 28-32).

1. Titulus Psalmi.

Hebraicum.	*Hieronymus.*	οἱ LXX.	*Vulgata.*
לַמְנַצֵּחַ עַל־אַיֶּלֶת הַשַּׁחַר מִזְמוֹר לְדָוִד׃	Victori, pro cervo matutino canticum David.	Εἰς τὸ τέλος, ὑπὲρ τῆς ἀντιλήψεως τῆς ἑωθινῆς, ψαλμὸς τῷ Δαυίδ.	In finem, pro susceptione matutina, Psalmus David.

Titulus iste non parum differt prout est in textu hebraico, quem sequitur Hieronymus, et in versione τῶν LXX, quos sequitur Vulgata. Omissa differentia quae oritur ex duplici sensu vocis לַמְנַצֵּחַ quae iuxta duplicem significationem radicis נצח a Hieronymo vertitur *Victori,* a Vulgata vero tum graeca tum latina *in finem,* non solum in hoc, sed in aliis quoque pluribus Psalmis, hoc, inquam, omisso, speciale discrimen in hoc titulo est quod iuxta hebraicum est *cervus* vel *cerva aurorae,* iuxta graecum est *susceptio matutina.* Ex quorumdam sententia *cerva aurorae,* hic nihil aliud esset quam initium cantilenae cuiusdam popularis, ad cuius numeros Psalmum decantandum esse praecipiatur; probabilior tamen sententia est utramque tituli lectionem idem significare, alteram quidem metaphorice, alteram proprie. Scilicet *cervus aurorae* hic designaret vel ipsum Christum summo mane de sepulchro resurgentem, quae explicatio confirmari videtur ex verbis v. 17: « quoniam circumdederunt me canes multi: » quo quasi explicatur metaphora cervi ab insequentibus canibus impetiti, et ad incitas redacti, vel est simplex metaphora, seu potius periphrasis aurorae ab orientali stylo non aliena, illius scilicet aurorae in qua Christus resurrexit. Ad

hanc enim gloriosam Resurrectionem totus psalmus dirigitur, et collimat. In graeco vero et in Vulgata eadem Resurrectio simplicius vocatur *susceptio matutina*, susceptio quidem iuxta illud Psalmi III. 6: « *Exsurrexi* quia Dominus *suscepit* (1) me » matutina vero quia summo mane facta est.

Vers. 2. et 3.

אֵלִי אֵלִי לָמָה עֲזַבְתָּנִי רָחוֹק מִישׁוּעָתִי דִּבְרֵי שַׁאֲגָתִי:	Deus meus, quare dereliquisti me? longe a salute mea verba rugitus mei.	Ὁ Θεός, ὁ Θεός μου, πρόσχες μοι, ἵνα τι ἐγκατέλιπες; Μακρὰν ἀπὸ τῆς σωτερίας μου οἱ λόγοι τῶν παραπτωμάτων μου.	Deus, Deus meus, respice in me: quare me derelequisti longe a salute mea verba delictorum meorum.
אֱלֹהַי אֶקְרָא יוֹמָם וְלֹא תַעֲנֶה וְלַיְלָה וְלֹא־דוּמִיָּה לִי:	Deus meus, clamabo per diem et non exaudies, et nocte, nec est silentium mihi.	Ὁ Θεός μου, κεκράξομαι ἡμέρας πρὸς σὲ, καὶ οὐκ εἰσάκουση, καὶ νυκτὸς, καὶ οὐκ εἰς ἀνοίαν ἐμοί.	Deus meus, clamabo per diem, et non exaudies: et noctl ec non ad insapientiam mihi.

Vers. 1° *Deus, Deus meus, respice in me; quare me dereliquisti?* Pulcherrimum exordium pietate et affectu plenum quo Christus in Cruce iam pendens Patrem alloqui incipit. In Evangelio legimus Christum morti proximum revera haec verba pronunciasse Matth. XXVII. 46. Quinimo existimant multi interpretes eum totum Psalmum tunc recitasse, prima scilicet verba elata voce ut a circumstantibus audiretur, reliqua vero submissiori voce et secreto. *Deus meus:* loquitur ut homo seu creatura. *Respice in me:* haec verba non sunt in textu hebraico sed addita fuerunt a LXX declarationis et emphasis causa. *Quare me dereliquisti?* verba sunt dolentis, et filialiter conquerentis, minime vero desperantis, ut Calvinus blasphemavit; derelictio autem de qua conqueritur duplex fuit, altera externa, quod scilicet Pater illum in manus persequutorum tradiderit, et liberare noluerit, altera interna, quod scilicet Pater

(1) Bellarminus Comm. in h,l.conatur ostendere vocem hebraicam אַיֶּלֶת ambiguam esse; licet enim ordinarie *cervam* significet posset tamen etiam *susceptionem* significare.

quamvis humanitati Christi unitus ob hypostaticam divinae cum humana natura unionem eiusdem, unionis effectus in inferiores facultates animae suspenderit, ita ut sensibilis quies et animi consolatio ac iucunditas, quae ex ea naturaliter provenire debuisset, prorsus impediretur.

Longe a salute mea verba delictorum meorum. Verba delictorum accipi possunt per hebraicum idiotismum pro ipsis delictis, vel etiam metaphorice pro voce delictorum quodammodo clamantium, et poscentium vindictam. Christus autem innocentissimus de delictis suis loquitur quatenus nostra delicta quodammodo sua fecit per charitatem, offerens scilicet seipsum et in se suscipiens onus illa expiandi iuxta illud quod legitur Isaiae LIII v. 6: « Et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum » ad quod vaticinium fortasse Christus respiciebat in citatis verbis. Haec autem verba duplici modo possunt cum praecedentibus coniungi prout accipiuntur vel historice, vel deprecative. Si primum sensus hic esset : vox delictorum quae a me fuerunt assumpta clamat pro vindicta, et impedit salutem meam, seu quominus a morte eripiar; atque ita continerent veluti responsionem praecedenti interrogationi : *quare dereliquisti me?* Si vero deprecative accipiantur sensus hic esset: longe sint peccata mea a mea salute, idest oro ne ad ea respicias, et eorum causa ne differas me liberare. Iuxta hebraicum habetur: *verba rugitus mei,* idest vehementis orationis, et gemitus iuxta illud Ps.XXXVII. 8: « *Rugiebam a gemitu cordis mei* » (1).Secundum hanc lectionem sensus esset Gemitus meus et vehementissima mea supplicatio longe est, seu procul abest ab impetranda salute, seu liberatione mea: quae etiam possent interrogative accipi et ita subiungi praecedentibus verbis: quare me dereliquisti, et quare orationem meam non audis. Illud autem quod Christus Dominus hic tam vehementer implorat non est praecise ut non moriatur, volebat enim mori, et oblatus est *quia ipse voluit,* sed potius ut semel mortuus ad vitam revocetur, et ita inimicorum suorum atrox consilium illum exterminandi frustretur, imo plenum de il-

(1) Discrepantia inter hebraicum hodiernum et LXX posset forte explicari ex simplici literarum transpositione. Vocis enim שַׁאֲגָתִי radix est שָׁאַג quae significat *rugiit,* sed si legeretur שָׁגָא significaret *erravit,* seu *deliquit.*

is triumphum referat. Totus Psalmi contextus hunc sensum evincit.

V. 2. *Deus meus clamabo per diem et non exaudies; et nocte, et non ad insipientiam mihi.* Prosequitur lamentatio quod a Patre derelictus fuerit, et quod eius continua oratio die noctuque ad Deum effusa nondum exaudita fuerit: nonnulli metaphorice intelligunt per diem totum vitae tempus, et per noctem speciatim tempus passionis, atque inde pulchram quamdam antithesim instituunt inter primum et alterum hemistichium, ut mox declarabimus.

Et non ad insipientiam mihi. In textu hebraico legitur: *et non silentium mihi*, quae lectio confirmativa est praecedentium, quasi diceret: nocte et die clamavi et nullam requiem mihi concessi, seu numquam a clamando cessavi. Secundum Vulgatam vero sensus ita reddendus est: nocte et die clamavi, et licet exauditus non fuerim, hoc tamen non est mihi vitio vertendum, nec insipientiae meae adscribendum, factum est enim ex profundo divinae sapientiae consilio, et licet non statim, deinceps tamen exaudiar. Vel etiam, ut supra innuimus, admittenda est antithesis inter diurnam et nocturnam orationem quasi diceret: clamavi per diem, idest toto vitae meae tempore et non exaudisti, clamavi nocte, idest in tenebris et pressura Passionis meae, et tunc exaudies, ideoque non ero insipiens, seu ostendetur me insipientem non fuisse in precibus continuandis, et multiplicandis: confirmari et illustrari potest haec explicatio ex verbis Apostoli Hebr. V. 7. ubi de Christi oratione loquens ait: « qui in diebus carnis suae preces supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere a morte cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia ». Haec explicatio componi potest etiam cum lectione hebraica *et non silentium mihi,* referendo scilicet illud *silentium* דוּמִיָּה non ad Christum, sed ad Patrem, ita ut sensus sit: donec per diem clamavi siluisti, seu non respondisti mihi, cum autem noctu, scilicet in horto Getsemani et in passione, clamavi non amplius siluisti, sed *respondisti mihi*: nota verbum ענה quod vulgata reddit *exaudire,* proprie significare *respondere.*

Vers. 4-6

וְאַתָּה קָדוֹשׁ יוֹשֵׁב תְּהִלּוֹת יִשְׂרָאֵל׃	Et tu sancte, habitator laus Israel.	Σὺ δὲ ἐν ἁγίῳ κατοικεῖς ὁ ἔπαινος τοῦ Ἰσραήλ.	Tu autem in sancto habitas, laus Israel.
בְּךָ בָּטְחוּ אֲבֹתֵינוּ בָּטְחוּ וַתְּפַלְּטֵמוֹ׃	In te confisi sunt Patres nostri, confisi sunt et salvasti eos.	Ἐπὶ σοὶ ἤλπισαν οἱ πατέρες ἡμῶν, ἤλπισαν καὶ ἐῤῥύσω αὐτούς.	In te speraverunt Patres nostri speraverunt et liberasti eos.
אֵלֶיךָ זָעֲקוּ וְנִמְלָטוּ בְךָ בָּטְחוּ וְלֹא־בוֹשׁוּ׃	Ad te clamaverunt, et salvi facti sunt; in te confisi sunt et non sunt confusi.	Πρὸς σὲ ἐκέκραξαν καὶ ἐσώθησαν, ἐπὶ σοὶ ἤλπισαν καὶ οὐ κατησχύνθησαν.	Ad te clamaverunt et salvi facti sunt; in te speraverunt et non sunt confusi.

Vers. 4. iuxta hebraicum textum proprie reddi posset: *tu autem sanctus* (es) *inhabitans laudes Israel,* seu requiescens et secure *sedens* יוֹשֵׁב in laudibus Israelis, scilicet vel quia ipse Deus est praecipua gloria filiorum Israel, vel quia Israel ipsum iugiter laudat. (1) Connectitur autem hoc cum praecedentibus duobus modis primo ad temperandum sensum praecedentium verborum, cum enim antea in vehementem illam querelam erupisset, ne quis putaret eum vel reverentiae vel fiduciae Patri debitae defuisse his verbis sermonem mitigat, et quasi corrigit ac si diceret: licet conquestus sim meam orationem a Te non exaudiri, probe tamen scio et fateor Te sanctum esse, iustum, et misericordem, cui omnis laus debetur: secundo haec prolata videntur ad urgendum effectum orationis tamquam primum motivum cur Pater Filium exaudire debeat, cum enim sanctus sit, et decus populi electi non deceat eum filii ac Christi eius preces aspernari.

Vers. 5. *In te speraverunt Patres nostri* etc. Continent haec verba

(1) LXX. interpretes acceperunt vocem קָדוֹשׁ substantive loco קָדֵשׁ, eamque a participio יָשַׁב regi existimarunt ita ut sensus esset: *habitans sanctum*, seu *in sancto habitas*, ut habet Vulgata latina: verum punctatio masorethica hunc sensum non admittit, est enim punctum *athnak* post vocem קָדוֹשׁ et proinde participium *habitans* est coniungendum cum sequentibus: *laudes Israel*, vel seorsim accipiendum, ut fecisse videtur Hieronymus.

terum motivum ad Patris misericordiam implorandam a praecedenbus exemplis deductum. Patres nostri, inquit, quoties a Te miserirdiam impetrarunt cito eam receperunt: Abraham, Isaac, et Iacob multis periculis constituti ad Te clamaverunt, et eripuisti eos: amorem Hebraeorum in Aegypto audisti, et per Moysen eos a sertute liberasti, deinceps sub Iudicibus quoties ad Te conversi sunt auditis prodigiis eis subvenisti, ac liberatorem misisti: cur igitur e quoque non exaudies? Quo etiam tacite instituitur antithesis, argumentum a minori ad maius: Si enim, inquit, illi, qui tanem aliquando servi tui erant, a Te reiecti non sunt, quanto magis lium exaudire debes.

Vers. 7–9.

וְאָנֹכִי תוֹלַעַ	Ego autem sum vermis et	Ἐγω δέ εἰμι σκώληξ, καὶ	Ego autem sum vermis et
וְלֹא־אִישׁ חֶרְפַּת	non homo, opprobrium homi-	οὐκ ἄνθρωπος, ὀνείδος	non homo, opprobrium homi-
אָדָם וּבְזוּי עָם	num et despectio plebis.	ἀνθρώπων, καὶ ἐξουθένημα	num et abiectio plebis.
כָּל־רֹאַי יַלְעִי	Omnes videntes me subsannant me: dimittunt labium, movent caput.	Πάντες οἱ θεωροῦντες με ἐξεμυκτήρισαν με, ἐλάλησαν ἐν χείλεσιν, ἐκίνησαν κεφαλήν.	Omnes videntes me derisérunt me: loquuti sunt labiis et moverunt caput.
לִי יַפְטִירוּ בְשָׂפָה			
יָנִיעוּ רֹאשׁ :			
גֹּל אֶל־יְהוָה	Confugit ad Dominum salvet eum: liberet eum quoniam vult eum.	Ἤλπισεν ἐπὶ Κύριον, ῥυσάσθω αὐτόν· σωσάτω αὐτόν ὅτι θέλει αὐτόν.	Speravit in Domino, eripiat eum: salvum faciat eum quoniam vult eum.
יְפַלְּטֵהוּ יַצִּילֵ			
כִּי חָפֵץ בּוֹ :			

Incipit describere abiectionem, et ignominiam, in quam deciat. Particula *autem* subindicat antithesim modo commemoratam ut sensus sit: illi servi, ac famuli tui tam magnifice a Te liati, et glorificati fuerunt, ego vero Christus tuus, et verus filius e in quem abyssum ignominiae prolapsus sum. *Vermis, et non mo*: phrasis hebraica ad significandum: magis vermis terrae quam mo videri possem, considerata scilicet summa abiectione in qua sor, non solum enim angelis minor factus, sed omnibus homius etiam infimis, Barabbae homini abiectissimo postpositus, mes inter latrones crucifixus tamquam eis criminosior, ita ut non

amplius humana dignitas mihi constet, sed ut vilis vermis a
omnibus despiciar et pedibus conterar. *Opprobrium hominum* חֶרְפַּת
אָדָם idest, de quo homines erubescunt, nec solum inimici, se
et discipuli et amici, ut Petrus qui erubuit confiteri se eius d
scipulum fuisse, et Iudas qui eum sacerdotibus tradidit, et al
qui relicto eo fugerunt. *Et abiectio plebis:* hebraice וּזְוִי עָם
seu *contemptus, despectus a plebe*: omnis populus eius mortem cl
moribus poposcit, et Barabbae postposuit aientes: « non hunc se
Barabbam » (Io. XVIII 40).

Omnes videntes me deriserunt me: idest ex omni hominu
genere Iudaei et Pagani, sacerdotes et laici, nobiles et plebei u
in Evangelio legitur (Matth. XXVII 39-49). *Loquuti sunt labi*
seu iuxta vim vocis hebraicae dimiserunt, vel distorserunt l
bium, *et moverunt caput:* sunt gestus irridentium et insultantiu
Domino e Cruce pendenti. *Speravit in Domino* etc. Verba sunt S
cerdotum, et populi Christo illudentium, quare subintelligitur an
versiculum 9 participium *dicentes*. His autem verbis Christo ill
dunt eo quod ab eorum manibus ereptus non fuerit a Deo, in q
se sperare dicebat. In textu hebraico habetur hic imperativum p
praeterito גֹּל אֶל יְהוָה וְיַפְלְטֵהוּ idest: confuge, convertere ad D
minum, liberet eum: sensus evidenter idem est, sed fortasse ad
error in punctis, et legendum esset praet. גָּל pro imp.

Mirum est quam accurate et adamussim haec omnia adimple
legantur in Evangelio, non substantia tantum rerum, sed minut
etiam adiuncta, ut illudentium gestus, ac ipsa verba. Matthae
XXVII. 39 seqq.: « Praetereuntes autem, inquit, blasphemaba
eum moventes capita sua, et dicentes..... similiter et princip
Sacerdotum illudentes cum Scribis, et Senioribus dicebant: alios s
vos fecit seipsum non potest salvum facere.... confidit in De
liberet nunc si vult eum: dixit enim quia filius Dei sum ». Postr
ma verba *salvum faciat eum, quoniam vult eum* occurrunt etia
in Ps. XVII. 20.

Vers. 10 et 11.

כִּי־אַתָּה גֹחִי מִבָּטֶן מַבְטִיחִי עַל־שְׁדֵי אִמִּי׃ עָלֶיךָ הָשְׁלַכְתִּי מֵרֶחֶם מִבֶּטֶן אִמִּי אֵלִי אָתָּה׃	Tu autem propugnator meus ex utero, fiducia mea ab uberibus matris meae. In te proiectus sum ex vulva: de ventre matris meae Deus meus es tu.	Ὅτι σὺ εἶ ὁ ἔκσπασάς με ἐκ γαστρὸς, ἡ ἐλπίς μου ἀπὸ μαστῶν τῆς μήτρός μου. Ἐπὶ σὲ ἐπέρριφην ἐκ μήτρας· ἐκ κοιλίας μητρός μου Θεός μου εἶ σύ.	Quoniam tu es qui extraxisti me de ventre: spes mea ab uberibus matris meae. In te proiectus sum ex utero: de ventre matris meae Deus meus es tu.

Addit hic quartum motivum ex eo desumptum quod Deus aternam erga eum providentiam ac sollicitudinem inde a primo itae exordio exhibuisset, unde inferri vult multo magis nunc Paris auxilium sibi sperandum esse, cum nempe maior instet necessitas. Pulcherrima ac tenerrima est haec descriptio Christi infans sub Patris cura constituti.

Quoniam: haec particula, quemadmodum saepe alibi in Scripturis, on habet hic vim causalem, sed aut est mere pleonastica, aut etiam uodammodo adversativa respectu praecedentium, in quibus inimiorum odium et irrisiones descripserat cum ei exprobrarent quod Patre non liberaretur, quibus quasi respondet: *Attamen,* seu, *imo ero tu es* etc. Posset tamen fortasse coniungi illud *quoniam* cum erbis vers. 12 ita: quoniam tu semper mihi adfuisti, multo magis unc *ne discesseris a me:* sed hoc sermonem forte frigidiorem edderet.

Tu es qui extraxisti me de ventre. Etiam textus hebraicus eumem sensum habet: ponit enim participium cum suffixo גֹחִי seu luctor, vel extractor meus; cur autem Hieronymus reddiderit *ropugnator meus* difficile est intelligere cum verbum גּוּחַ hanc gnificationem nunquam habeat. His autem verbis manifeste allusio ad prodigiosam Christi conceptionem et nativitatem, in qua Deus raecipuas habuit partes sine viri consortio et cooperatione, hoc tem adducit ut ostendat se specialiter a Deo dependisse inde a imo tempore quo humana eius natura formata est, et existere epit.

Spes mea ab uberibus matris meae, seu inde ab eo tempore quo coepi puerulus ubera matris sugere. Textus hebraicus habet hic vocem מבטחי, quae licet verti possit: *Spes mea,* seu *fiducia mea,* potest tamen etiam accipi pro Participio *Hiphil* cum suffixo, quod responderet superiori partic. גוחי, atque ita sensum adhuc pulchriorem funderet: Tu eductor meus de ventre, *confidere me faciens super ubera matris meae,* idest, protectione tua, et paterna de me sollicitudine efficiens ut ego tranquille, et sine cura dormirem in gremio matris meae.

In te proiectus sum ex utero: auget et exornat praecedentem imaginem hac altera: vix egressus ex utero matris meae collocatus sum, et quasi decidi in ulnas tuas. *De ventre matris meae Deus meus es tu:* concludit his verbis se Dei fuisse usque a nativitate, et quidem emphatice: *Deus meus es tu,* inquit, non scilicet ordinaria illa ratione, qua pater est omnium Deus, sed omnino speciali ac propria.

Vers. 12-16.

אַל־תִּרְחַק מִמֶּנִּי כִּי־צָרָה קְרוֹבָה כִּי־אֵין עוֹזֵר :	Ne longe fias a me, quoniam tribulatio proxima est, quoniam non est adiutor.	Μὴ ἀποστῇς ἀπ᾽ ἐμοῦ, ὅτι θλῖψις ἐγγύς, ὅτι οὐκ ἔστιν ὁ βοηθῶν.	Ne discesseris a me: quoniam tribulatio proxima est, quoniam non est qui adiuvet.
סְבָבוּנִי פָּרִים רַבִּים אַבִּירֵי בָשָׁן כִּתְּרוּנִי :	Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues vallaverunt me.	Περιεκύκλωσάν με μόσχοι πολλοί, ταῦροι πίονες περιέσχον με.	Circumdederunt me vituli multi: tauri pingues obsederunt me.
פָּצוּ עָלַי פִּיהֶם אַרְיֵה טֹרֵף וְשֹׁאֵג :	Aperuerunt super me os suum, quasi leo rapiens et rugiens.	Ἤνοιξαν ἐπ᾽ ἐμὲ τὸ στόμα αὐτῶν, ὡς λέων ὁ ἁρπάζων καὶ ὠρυόμενος.	Aperuerunt super me os suum sicut leo rapiens et rugiens.
כַּמַּיִם נִשְׁפַּכְתִּי וְהִתְפָּרְדוּ כָּל־עַצְמוֹתָי הָיָה לִבִּי כַּדּוֹנָג נָמֵס בְּתוֹךְ מֵעָי :	Sicut aqua effusus sum, et separata sunt omnia ossa mea, factum est cor meum sicut cera liquefacta in medio ventris mei.	Ὡσεὶ ὕδωρ ἐξεχύθην, καὶ διεσκορπίσθη πάντα τὰ ὀστᾶ μου, ἐγενήθη ἡ καρδία μου ὡσεὶ κηρὸς τηκόμενος ἐν μέσῳ τῆς κοιλίας μου.	Sicut aqua effusus sum: et dispersa sunt omnia ossa mea: factum est cor meum tamquam cera liquescens in medio ventris mei.

יָבֵשׁ כַּחֶרֶשׂ כֹּחִי וּלְשׁוֹנִי מֻדְבָּק מַלְקוֹחָי וְלַעֲפַר מָוֶת תִּשְׁפְּתֵנִי	Aruit velut testa fortitudo mea, et lingua mea adhaesit palato meo, et in pulverem mortis detraxisti me.	Ἐξηράνθη ὡσεὶ ὄστρακον ἡ ἰσχύς μου, καὶ ἡ γλῶσσά μου κεκόλληται τῷ λάρυγγί μου, καὶ εἰς χοῦν θανάτου κατήγαγές με.	Aruit tamquam testa virtus mea, et lingua mea adhaesit faucibus meis: et in pulverem mortis deduxisti me.

Ne discesseris a me: iuxta hebraicum proprie: *ne elongeris, ne procul beas,* quod antithesim continet cum verbis sequentibus, ubi *tribulatio roxima* esse dicitur. Incipit hic Christus Dominus Patrem expresse ogare ut eum a morte liberet, seu, ut superius innuimus, ne eum in ortis potestatem tradat, sed de morte triumphare concedat. Urget ero inquiens: *quoniam tribulatio proxima est,* ideoque promptum uxilium poscit. Volunt nonnulli tribulationem hanc esse totam pasonem, ideoque haec verba intelligenda esse tamquam a Christo di-a in horto, cum a satellitibus iam iam capiendus esset, et passionis eries incipienda. Verum haec explicatio perturbare videtur seriem rationis: in praecedentibus enim versiculis, quemadmodum et in roxime sequentibus, iam supponitur incoepta passio, imo etiam perta crucifixio. Quapropter melius est per istam *tribulationem proxiam* intelligere ipsam mortem, seu animae a corpore separationem, uae ob tormentorum vim mox sequutura erat, quaeque secundum aturalem, et humanum ordinem ac sensum maxima omnium tribuionum dici poterat. Addit autem: *quoniam non est qui adiuvet,* lque ad magis urgendam orationem: nemo, inquit, est qui in hac iprema necessitate mihi succurrere aut possit, aut velit: magistraus Iudaeorum, ac populus meam mortem avide quaerunt, discipuli ie dereliquerunt, Mater et pauci circa crucem adstantes auxium mihi ferre prohibentur, Tu igitur solus mihi subvenire potes, a Te unice liberari confido.

Circumdederunt me vituli multi: tauri pingues obsederunt me. uemadmodum in superioribus vers. 7-9 ignominias, et opprobria hostibus suis illata descripserat, ita nunc cruciatus, et dolores iisdem inflictos, eorumdemque crudelitatem ac saevitiem variis aginibus pingit. *Vitulos* hic sumit pro iuvencis paulo maioribus, ad homines vexandos et feriendos idoneis. Hac autem metaphora daeorum plebem, et militum turmam contra eum saevientium

designat. Pro tauris pinguibus hebraicum habet *fortes Basan,* seu pingues et robusti tauri ex Basan profecti regione fertili, et pascuis abundantissima : metaphorice vero hic intelligendi sunt pontifices, doctores, pharisaei qui potentia et divitiis pollebant. Nisi forte dicere velimus secundum hemistichium non esse nisi explicationem prioris, ita ut distinctio inter vitulos, et tauros admittendi non sit, quasi diceret : circumdederunt et obsederunt me vitulii non quidem minores et imbecilliores, sed robustissimi, qui tauris Basan comparari possint. Tunc autem solum pontifices, principes et pharisaeos hic designaret, tamquam principales mortis suae machinatores, et auctores.

Aperuerunt super me os suum sicut leo rapiens et rugiens. Describit hic furorem inimicorum suorum, quos nunc, paullispe immutata metaphora, leonibus comparat, qui ad praedam rapiendam et discerpendam furibundi proruunt horribili oris rictu, et rugitu terrorem incutientes.

Sicut aqua effusus sum etc : omnia quae habentur in hoc versiculo a nonnullis intelliguntur de moralibus Christi in Cruce pendentis dispositionibus (ita Bellarminus in h. l.), alii, ut videtur verosimilius de physico statu languoris, et aegritudinis ad quem redactus fuerat. Secundum primam explicationem Christus dicere se veluti aquam effusum esse quatenus cruciari et vilipendi a inimicis permiserat, nulla eis oblata resistentia, uti aqua quae in partem quamlibet diffluit, ac dilabitur ; eodemque sensu dixit set omnia ossa eius dispersa seu dissipata esse, quasi scilicet nullum ad resistendum robur haberet, non quidem ex vera impotentia, sed ex charitate iuxta illud 1 Pet. II. 23 : « Qui cum maledi ceretur non maledicebat : cum pateretur non comminabatur : tradebat autem iudicanti se iniuste ». Ita etiam quae addit de liquefactione cordis, intelligenda essent de mansuetudine, et humilitat qua Christus non modo exterius, sed interius quoque, et ex im corde persequutoribus et crucifixoribus suis resistere noluit, eisque pepercit. Verum probabilior et contextui sermonis conformior videtur explicatio, quae omnia haec de physicis doloribus et languoribus intelligit. Dicit itaque Christus Dominus se uti aquam effusum esse, amisso scilicet per vulnera sanguine, et omni robore pessumdato : dispersa esse eius ossa, sive metaphorice ad designan-

am virium exhaustionem, sive proprie ad indicandum ipsa ossa istenta ac veluti divulsa per crucis extensionem fuisse, cor etiam uasi ceram liquefactum in medio ventris, idest in interiori corporis arte, et in visceribus iuxta usum hebraicum vocis מֵעִים quatenus i tormentorum, et imprimis internae afflictionis formidinis, ac ristitiae tabescebat.

Aruit tamquam testa virtus mea, seu vitalis humor exsiccatus st, et defecit, et corpus meum comparari potest vasi fictili igne ornacis arefacto, et indurato. *Et lingua mea adhaesit faucibus eis:* idest palato meo, ut habet textus hebraicus, prae siti scilicet, uemadmodum legitur etiam in Threnis IV. 4: «Adhaesit lingua latentis ad palatum eius in siti.» Qui haec in sensu morali explicant ub prima metaphora testae aridae intelligunt, uti in praecedenti- us, patientiam et defectum resistentiae in Christo, quasi nullum n eo robur reliquum esset, alteram vero metaphoram de lingua alato adhaerente explicant de admirabili Christi silentio, quo abtinuit ab omni querela aut convicio contra suos persequutores. *Et in pulverem mortis deduxisti,* seu detraxisti *me:* non sunt haec ntelligenda quasi Christi corpus corruptum aut in pulverem relactum unquam fuerit, quod falsum esset, iuxta illud Ps. XV. 10: « Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem », sed *pulvis mortis* metaphorice accipitur pro sepulchro, in quo cadavera in pulverem edigi solent, et sensus est: eousque pervenit, te permittente, nimicorum crudelitas et tormentorum vis, ut vitam iamiam amisurus sim, et in sepulchrum descensurus. S. Hieronymus putat haec eferri ad descensum Christi ad inferos ut animas ibi captivas deentas consolaretur, et libertate donaret.

Vers. 17-19.

כִּי סְבָבוּנִי	Circumdederunt me venatores, consilium pessimorum vallavit me, fixerunt manus meas et pedes meos.	Ὅτι ἐκύκλωσάν με κύνες πολλοί, συναγωγὴ πονηρευομένων περιέσχον με. Ὤρυξαν χεῖράς μου καὶ πόδας μου.	Quoniam circumdederunt me canes multi: concilium malignantium obsedit me. Foderunt manus meas et pedes meos.
כְּלָבִים עֲדַת			
מְרֵעִים הִקִּיפוּנִי			
כָּאֲרִי יָדַי וְרַגְלָי			

אֲסַפֵּר כָּל־ עַצְמוֹתָי הֵמָּה יַבִּיטוּ יִרְאוּ־בִי :	Numeravi omnia ossa mea, quae ipsi respicientes viderunt in me.	Ἐξηρίθμησαν πάντα τὰ ὀστᾶ μου, αὐτοὶ δὲ κατενόησαν καὶ ἐπεῖδόν με.	Dinumeraverunt omnia ossa mea. Ipsi vero consideraverunt et inspexerunt me.
יְחַלְּקוּ בְגָדַי לָהֶם וְעַל־לְבוּשִׁי יַפִּילוּ גוֹרָל :	Diviserunt vestimenta mea sibi, et super vestimentum meum miserunt sortem	Διεμερίσαντο τὰ ἱματιά μου ἑαυτοῖς, καὶ ἐπὶ τὸν ἱματισμόν μου ἔβαλον κλῆρον.	Diviserunt sibi vestimenta mea et super vestem meam miserunt sortem.

Quoniam circumdederunt me canes multi (1). Hic persequutores canibus comparat, ob petulantiam scilicet, et rabiem qua in illum ferebantur, nec a latratibus et morsibus cessarunt donec mortuum eum et sepultum vidissent. Graeci interpretes plerumque intelligunt canum nomine paganos homines et milites qui adversus Christum conspirarunt cum Iudaeis, quos sub nomine vitulorum et taurorum antea designatos putant. Ita Theodoretus, Eusebius, Nicephorus et alii. *Concilium malignantium obsedit me:* his verbis statim explicat praecedentem metaphoram canum, dicens eos fuisse concilium, seu coetum, aut congregationem malignantium, idest, iuxta Hieronymum, *pessimorum,* perfide et crudeliter contra eum conspirantium.

Foderunt manus meas etc. Verba huius et sequentis versiculi tam evidenter exprimunt circumstantias Christi mortis, ut impossibile sit id non intelligere, et ut non vaticinium sed historiam narrare videantur. Quare merito S. Iustinus in Apol. 2. et reliqui Patres adversus Iudaeos et paganos totum hunc locum imprimis urgent ad veritatem Christianae religionis evincendam. Prima vox in hebraico textu nunc legitur כָּאֲרִי quod proprie non significaret foderunt, sed: *tamquam leo,* ideoque integrum loci sensum immutaret, et ideam crucifixionis removeret. Plerique Iudaeos accusant de corruptione istius loci quatenus ad eripiendum Christianis validissimum hoc testimonium, una literula immutata, ex

(1) Aquila et Theodoretus pro canibus vertunt venatores κυνηγοὺς, quod sequitur etiam Hieronymus, Iustinus autem in dial. cum Tryphone utrumque coniungit *canes, et venatores:* id fortasse ortum est ex vario modo legendi vocem כלבים, quae tamen nunc nonnisi canes significare potest, et haec est probabilius lectio quam LXX et plerique alii interpretes sequuti sunt.

caarù כָּאֲרוּ quod est foderunt vel fixerunt, fecerint *caari* כַּאֲרִי sicut leo: alii vero Iudaeos ab hoc crimine liberant putantes hodiernam lectionem *caarì* reipsa significationem fodiendi habere, sive demum sit tertia persona pluralis anomala cum *Iod* finali loco *Vau*, sive potius participium Kal plurale *caarim* (*fodientes*) cum apocope *Mem* finalis. Quidquid statuatur de hac critica quaestione, quae alias a nobis tractata est (1) dubitari nequit verum sensum huius loci eum esse quem exhibet Vulgata, in hoc enim conveniunt omnes versiones immediatae, quae aut primis Ecclesiae temporibus, aut etiam ante Christum natum, ut versio LXX, exaratae fuerunt, et ipse Hieronymus, qui sensum hebraici textus adamussim exprimere conatus est, etiam ubi a LXX discrepat, similiter reddidit: *fixerunt manus meas et pedes meos*. His itaque verbis Christi Domini crucifixio clarissime exprimitur: quae etiam descriptio sequentibus verbis continuatur. *Dinumeraverunt omnia ossa mea:* idest extensione membrorum in cruce, itemque corporis macie, et pellis, et carnium dilaceratione effectum est ut ossa mea singulatim apparerent, et numerari possent. Hebraicus textus habet primam personam singularem אֲסַפֵּר *numerabo,* seu numeravi, quae quidem sensum non valde immutaret, sed fortasse levis literarum permutatio hic locum habuit, et probabilior videtur lectio tertiae pers. plur. quam LXX et aliae versiones cum Vulgata sistunt.

Ipsi vero consideraverunt et inspexerunt me. Hieronymus haec verba coniungit cum praecedentibus, ita ut adstantes Christo in cruce pendenti dicantur eius ossa distenta inspexisse. Verum secundum lectionem tum hebraicam tum graecam referenda videntur ad ipsum Christum (hebr. *in me*), quem fixis oculis petulanter intuebantur, quo simul ignominia nuditatis innuitur, quae mox distinctius explicatur per vestium partitionem. Circumstantiam illam adamussim impletam legimus in Evangelio Luc. XIII. 35: « Et stabat populus *spectans,* et deridebant eum principes cum eis ».

Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem. En altera circumstantia passionis clarissime, et accuratissime praedicta: ubi notandum est hic distingui *vestimenta* (בְּגָדַי ἱματια), et *vestem* (לְבוּשִׁי ἱματισμὸν); illa dicuntur divisa fuisse in varias partes et inter varios, haec vero non divisa, sed uni tan-

(1) Vid. Introd. Critica Par. III. Thes. LIX.

tum sorte dicitur contigisse, hic enim est obvius et clarus huius loci sensus. Quomodo autem haec impleta sint audiamus narrantem Iohannem Evangelistam, qui praesens adfuit, et oculis suis rem inspexit Io. XIX. 23 et seqq.: « Milites ergo cum crucifixissent eum acceperunt *vestimenta* eius, et fecerunt quatuor partes, *unicuique militi partem,* et *tunicam.* Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad invicem: non scindamus eam, sed *sortiamur de illa cuius sit.* Ut Scriptura impleretur dicens: Partiti sunt vestimenta mea sibi, et in vestem meam miserunt sortem.

Vers. 20-22.

וְאַתָּה יְהוָה אַל־ תִּרְחָק אֱיָלוּתִי לְעֶזְרָתִי חוּשָׁה׃	Tu autem Domine ne longe facias, fortitudo mea in auxilium meum festina.	Σὺ δὲ Κύριε, μὴ μακρύνῃς τὴν βοήθειάν μου, εἰς τὴν ἀντίλημψίν μου πρόσχες.	Tu autem, Domine, ne elongaveris auxilium tuum a me: ad defensionem meam conspice.
הַצִּילָה מֵחֶרֶב נַפְשִׁי מִיַּד־כֶּלֶב יְחִידָתִי׃	Erue a gladio animam meam, de manu canis solitariam meam	Ῥῦσαι ἀπὸ ῥομφαίας τὴν ψυχήν μου, καὶ ἐκ χειρὸς κυνὸς τὴν μονογενῆ μου.	Erue a framea, Deus, animam meam, et de manu canis unicam meam.
הוֹשִׁיעֵנִי מִפִּי אַרְיֵה וּמִקַּרְנֵי רֵמִים עֲנִיתָנִי׃	Salva me ex ore leonis, et de cornibus unicornium exaudi me.	Σῶσόν με ἐκ στόματος λέοντος, καὶ ἀπὸ κεράτων μονοκερώτων τὴν ταπείνωσίν μου.	Salva me ex ore leonis, et a cornibus unicornium humilitatem meam.

Tu autem, Domine, ne elongaveris etc. prosequitur orationem similibus verbis superius inchoatam vers. 12, et tamquam conclusionem eorum omnium quae hucusque exposuerat poscit a Patre liberari, seu ut cito per resurrectionem a malis omnibus eruatur. *Ad defensionem meam conspice.* Seu, recordare ut cito in auxilium meum accurras: in hebraico additur, *fortitudo mea* אֱיָלוּתִי, quod emphasim habet, et simul fiduciae motivum praebet, eo quod Deus omnibus persequutoribus licet potentissimis potentior sit.

Erue a framea, idest a gladio, seu a morte, *animam meam,* scilicet *vitam* meam, ut in Scripturis passim. *Et de manu canis unicam meam.* Poscit hic liberari a potestate persequentium, quos etiam supra canes appellaverat, nisi forte dicere velimus hic singularem quemdam inimicum designari, puta Caipham, vel Pilatum,

vel Iudam : sed hoc necessarium non videtur, potuit enim singulari pro plurali uti, quemadmodum etiam in vers. sequenti, sive ob figuram sermonis, sive ad unionem et conspirationem suorum persequutorum innuendam. *Unicam meam,* est casus appositus animae seu vitae, quam *unicam* יְחִידָה vocat, idest dilectam, ut plerumque in Scripturis vox illa accipitur, vel fortasse probabilius solitariam, seu *derelictam,* et moerore confectam, ut Hieronymus intellexit.

Salva me ex ore leonis : idest a potestate eorum quos supra vers. 14 repraesentaverat tamquam leones contra eum aperientes os suum. *Et a cornibus unicornium humilitatem meam.* Unicornes רְמִים passim in Scripturis memorantur tamquam fortissimae et ferocissimae belluae, sive eae sint rhinocerotes unico cornu armati, sive aliud animal quod Aelianus in hist. Animal. describit ut ferocia indomabile, equi magnitudine, iuba et pilis fulvis, pedibus inarticulatis, aprima cauda, voce absona, cornu uno in fronte, versuris constante, aspero, in mucronem desinente. Addunt Iustinus martyr Dial. cum Tryph. et Tertullianus contra Marcionem IV. 19 cornu istud crucis figuram quodammodo praeseferre, ideoque intelligunt hic Christum petere liberationem a supplicio crucis. *Humilitatem meam,* idest, meipsum in tantum opprobrii atque abiectionis prolapsum. Vox hebraica עֲנִיָּתִנִי a Hieronymo vertitur *exaudi me,* et tunc sensus esset ellypticus, scilicet : exaudi me (liberans) a cornibus unicornium. Verum versio LXX, et Vulgata praeferenda videtur.

Vers. 23.

אֲסַפְּרָה שִׁמְךָ לְאֶחָי בְּתוֹךְ קָהָל אֲהַלְלֶךָּ׃	Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio ecclesiae adorabo te.	Διηγήσομαι τὸ ὄνομά σου τοῖς ἀδελφοῖς μου, ἐν μέσῳ ἐκκλησίας ὑμνήσω σε.	Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio ecclesiae laudabo te.

Hoc versiculo clauditur supplex Christi oratio, et prima pars Psalmi. Sciens Christus se a Patre certissime liberandum orationem concludit promittens, et vovens se post acceptam Resurrectionis gloriam, nomen Patris glorificaturum: *fratribus meis,* inquit, *narrabo nomen tuum,* seu manifestabo tui nominis potentiam et magnificentiam. Vocat hic *fratres* imprimis Apostolos, quos tali nomine

decorare dignatus est Matth. XXIX. 10, ubi iam reipsa a mortuis redivivus mulieribus apparens inquit: « nolite timere: ite nunciate fratribus meis ut eant in Galilaeam, ibi me videbunt » tum vero reliquos etiam fideles, quos per Baptismum, et adoptionis gratiam fratres suos effecit, ut sit ipse *primogenitus in multis fratribus* (Rom. VIII. 29), et hunc sensum explicat Apostolus Hebr. II. 10 seqq. inquiens: « Qui enim sanctificat, et qui sanctificantur, ex uno omnes. Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare dicens: nunciabo nomen tuum fratribus meis etc ». Horum autem fratrum ingentem multitudinem mox indicat addens: *in medio Ecclesiae laudabo Te,* simul indicans societatem a se fundandam sub Ecclesiae nomine, cuius ipse futurus esset caput, et rector, et in cuius medio gloriam Deo se daturum promittit.

Pars II. vers. 24–27.

יִרְאֵי יְהוָה הַלְלוּהוּ כָּל־זֶרַע יַעֲקֹב כַּבְּדוּהוּ וְנוּרוּ מִמֶּנּוּ כָּל־ זֶרַע יִשְׂרָאֵל׃	Qui timetis Dominum laudate eum: omne semen Iacob glorificate eum, et metuite eum universum semen Israel.	Οἱ φοβούμενοι Κύριον, αἰνέσατε αὐτόν, ἅπαν τὸ σπέρμα Ἰακώβ, δοξάσατε αὐτόν.	Qui timetis Dominum laudate eum universum semen Iacob glorificate eum.
כִּי לֹא־בָזָה וְלֹא שִׁקַּץ עֱנוּת עָנִי וְלֹא־הִסְתִּיר פָּנָיו מִמֶּנּוּ וּבְשַׁוְּעוֹ אֵלָיו שָׁמֵעַ׃	Quoniam non despexit neque contempsit modestiam pauperis, et non abscondit faciem suam ab eo, et cum clamaret ad eum exaudivit.	Φοβηθήτωσαν αὐτὸν ἅπαν τὸ σπέρμα Ἰσραήλ, ὅτι οὐκ ἐξουδένωσεν οὐδὲ προσώχθισε τῇ δεήσει τοῦ πτωχοῦ, οὐδὲ ἀπέστρεψε τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἀπ' ἐμοῦ, καὶ ἐν τῷ κεκραγέναι με πρὸς αὐτὸν εἰσήκουσέ μου.	Timeat eum omne semen Israel: quoniam non sprevit, nec despexit deprecationem pauperis. Neque avertit faciem suam a me, et cum clamarem ad eum exaudivit me.
מֵאִתְּךָ תְהִלָּתִי בְּקָהָל רָב נְדָרַי אֲשַׁלֵּם נֶגֶד יְרֵאָיו׃	Apud te laus mea in Ecclesia multa, vota mea reddam in conspectu timentium eum.	Παρὰ σοῦ ὁ ἔπαινός μου ἐν ἐκκλησίᾳ μεγάλῃ, τὰς εὐχάς μου ἀποδώσω ἐνώπιον τῶν φοβουμένων αὐτόν.	Apud Te laus mea in Ecclesia magna: vota mea reddam in conspectu timentium eum.

Interpunctio et divisio versuum aliquantum differt in textu hebraico et in Vulgata: prima enim verba vers. 25 Vulgatae in textu hebraico adiiciuntur vers. praecedenti. Reliqua vero ab his verbis: *quoniam non sprevit* connectuntur cum sequenti, atque ideo ex tribus versiculis fiunt duo: quae divisio ad sensus claritatem melius fortasse conducens a Hieronymo retinetur.

Qui timetis Dominum etc. Voverat Christus se nomen Dei fratribus narraturum; hic quodammodo incipit votum solvere omnes invitans ad Deum laudandum. Multi interpretes in hoc versiculo indicatum volunt duplicem populum unde formata est Christi Ecclesiae, gentiles quidem sub nomine *timentium Deum*, idest colentium verum Deum, hoc enim nomine solent gentiles pii et veri Dei adoratores designari in Scripturis (Act. X. 2 et 35, XIII. 16 et 26); Iudaeos autem per verba quae sequuntur: *Universum semen Iacob* etc. Hos itaque omnes invitat ad Deum glorificandum. Subiit autem statim causam.

Quoniam non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis etc. idest, quoniam ipsum Christum orantem exaudierat cum pauper, idest, humilis, afflictus et ab omnibus reiectus eius auxilium implorasset. Textus hebraicus proprie habet: quia non sprevit *humilitatem*, seu modestiam pauperis. Sed LXX verterunt τῇ δεησει quam lectionem sequitur Vulgata: sensus tamen in idem recidit.

Et cum clamarem ad eum exaudivit me, concedens nempe, ut gloriose resurgerem, et de omnibus inimicis triumpharem. *Apud Te laus mea in Ecclesia magna.* Abrupte mutatur persona, et iterum sermo ad Patrem convertitur. Hebraica forma מֵאִתְּךָ posset etiam verti: *a Te*, quemadmodum legunt Euthymius, Ambrosius, Theodoretus et alii, qui fortasse habebant in aliquo codice LXX απο σου et tunc sensus esset: *laus mea a te* provenit, tum quia beneficio tuo fecisti ut ego te laudarem, tum quia inde gloria et laus mihi parta est. Verum omnes editiones nunc habent παρα σου *apud Te* et vocem hebraicam eodem modo reddit Hieronymus, quare ab hac lectione discedendum non videtur. Sensus autem est: quod ego me facturum promisi, et ad quod omnes invitavi certissime fiet, et laus tibi a me reddetur, non quidem in parva synagoga, aut in angulo terrae, sed in *Ecclesia magna*, quae tum fideles Iudaeos, tum gentes omnes complectetur, et ad ultimos fines terrae

pertinget, ubique, inquam, tua laus per me resonabit. Coepit autem hoc praestare Christus toto illo spatio temporis, quo post resurrectionem in terris moratus est « per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei » (Act. I. 3), continuavit autem per suos Apostolos, ac deinceps per eorum successores, quinimo et per se ipsum invisibiliter pios sensus, et divinas laudes fidelibus inspirans.

Vota mea reddam in conspectu timentium eum. Per *vota* passim in V. T. significantur sacrificia, et oblationes pacificae et eucharisticae, quas Hebraei in gravi periculo aut necessitate constituti Deo vovere solebant, ac post acceptam liberationem in templo Ierosolymae exsolvebant iuxta illud Isaiae XIX. 21: « Colent in hostiis, et muneribus; vota vovebunt Domino, et reddent » et similiter David in Ps. CXV. 14 aiebat: « Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi eius, in atriis domus Domini in medio tui Ierusalem ». Quare manifesta hic apparet allusio ad sacrificium Eucharisticum novae legis, quod hic Christus se oblaturum promittit et praedicit, per suos scilicet ministros ac sacerdotes, qui hoc sacrificium usque ad finem saeculorum celebraturi sunt, quo simul et passionis Christi, et resurrectionis memoria renovatur. Ita Hieronymus, Augustinus aliique. Hoc autem *in conspectu timentium eum,* seu fidelium, quotidie fiet.

Vers. 28-34.

יֹאכְלוּ עֲנָוִים וְיִשְׂבָּעוּ יְהַלְלוּ יְהוָה דֹּרְשָׁיו יְחִי לְבַבְכֶם לָעַד׃	Comedent mites, et saturabuntur, laudabunt Dominum quaerentes eum, vivet cor vestrum in sempiternum.	Φάγονται πενῆτες καὶ ἐμπλησθήσονται, καὶ αἰνέσουσι Κύριον οἱ ἐκζητοῦντες αὐτὸν ζήσονται αἱ καρδίαι αὐτῶν εἰς αἰῶνα αἰῶνος.	Edent pauperes et saturabuntur, et laudabunt Dominum qui requirunt eum, vivent corda eorum in saeculum saeculi.
יִזְכְּרוּ וְיָשֻׁבוּ אֶל־יְהוָה כָּל־ אַפְסֵי־ אָרֶץ וְיִשְׁתַּחֲווּ לְפָנֶיךָ כָּל־מִשְׁפְּחוֹת גּוֹיִם׃	Recordabuntur et convertuntur ad Dominum omnes fines terrae, et adorabunt coram eo universae cognationes gentium.	Μνησθήσονται καὶ ἐπιστραφήσονται πρὸς Κύριον πάντα τὰ πέρατα τῆς γῆς, καὶ προσκυνήσουσιν ἐνώπιον αὐτοῦ πᾶσαι αἱ πατριαὶ τῶν ἐθνῶν.	Reminiscentur et convertentur ad Dominum universi fines terrae: et adorabunt in conspectu eius universae familiae gentium.

כִּי לַיהוָה הַמְּלוּכָה וּמוֹשֵׁל בַּגּוֹיִם׃	Quia Domini est regnum, et dominabitur gentibus.	Ὅτι τοῦ Κυρίου ἡ βασιλεία, καὶ αὐτὸς δεσπόζει τῶν ἐθνῶν.	Quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium.
אָכְלוּ וַיִּשְׁתַּחֲווּ כָּל דִּשְׁנֵי אֶרֶץ לְפָנָיו יִכְרְעוּ כָּל־יוֹרְדֵי עָפָר וְנַפְשׁוֹ לֹא חָיָה׃	Comederunt et adoraverunt omnes pingues terrae ante faciem eius, curvabunt genu universi qui descendunt in pulverem, et anima eius non vivet.	Ἔφαγον καὶ προσεκύνησαν πάντες οἱ πίονες τῆς γῆς, ἐνώπιον αὐτοῦ προπεσοῦνται πάντες οἱ καταβαίνοντες εἰς τὴν γῆν.	Manducaverunt et adoraverunt omnes pingues terrae: in conspectu eius cadent omnes qui descendunt in terram.
זֶרַע יַעַבְדֶנּוּ יְסֻפַּר לָאדֹנָי לַדּוֹר׃	Semen serviet ei, narrabitur Domino in generatione.	Καὶ ἡ ψυχή μου αὐτῷ ζῇ, καὶ τὸ σπέρμα μου δουλεύσει αὐτῷ.	Et anima mea illi vivet: et semen meum serviet ipsi.
יָבֹאוּ וְיַגִּידוּ צִדְקָתוֹ לְעַם נוֹלָד כִּי עָשָׂה׃	Venient et annuntiabunt iustitiam eius populo qui nascetur quem fecit.	Ἀναγγελήσεται τῷ Κυρίῳ γενεὰ ἡ ἐρχομένη, καὶ ἀναγγέλουσι τὴν δικαιοσύνην αὐτοῦ λαῷ τῷ τεχθησομένῳ, ὃν ἐποίησεν ὁ Κύριος.	Annuntiabitur Domino generatio ventura: et annuntiabunt coeli iustitiam eius, populo qui nascetur, quem fecit Dominus.

Edent pauperes et saturabuntur. Dixerat se hostiam pacificam oblaturum: de hac igitur hostia comedent, et saturabuntur pauperes, fideles scilicet absque ullo ad divitias et saecularem potentiam respectu, et imprimis pauperes spiritu, quibus beatitudo promissa est. Alludit etiam ad morem Hebraeorum, qui oblato sacrificio eucharistico solebant amicos, et inopes praesertim, ad convivium in templi atrio paratum invitare, quibus apponebantur carnes victimae, quae post oblatum iuxta ritum praescriptum sacrificium (Deut XII. 7 et 12, XIV. 23 etc) supererant: notum est autem huiusmodi Sacrificia SSmae Eucharistiae figuram fuisse. *Et laudabunt Dominum, qui requirunt eum,* qui scilicet eius voluntatem exquirunt ut adimpleant. *Vivent corda eorum in saeculum saeculi.* Hoc nempe insigni beneficio cumulati, et pretioso Christi corpore satiati ineffabili laetitia exultabunt, et fame aut inopia spirituali non laborabunt, sed diuturna ac stabili vita gratiae fruentur, iuxta illud quod de eodem sacrificio ac sacramento Christus promisit

Io. VI. 55: « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet *vitam aeternam* » et paulo post: « qui manducat me et ipse *vivet propter me*..... qui manducat hunc panem *vivet in aeternum* ». Hunc sensum isti loco tribuunt Hieronym. Ang. Theod. Euseb. et alii passim. In textu hebraico, et apud Hieronymum pro *corda eorum* legitur: *cor vestrum:* sed praeterquamquod una lectio ex altera per unius literae immutationem facile oriri potuit, differentia sensum non afficit; similes enim subitaneae personae immutationes in Psalmis passim occurrunt.

Reminiscentur et convertentur ad Dominum universi fines terrae. Prosequitur enumerare miros effectus suae passionis, ac resurrectionis, cum scilicet non Iudaei tantum, sed, ut antea innuerat, ceteri quoque populi ex omnibus mundi plagis ad Dominum convertentur, et confluent in Ecclesiam illam magnam ab eo fundatam: apposite autem ait *reminiscentur,* scilicet recordabuntur Domini, quem olim adoraverant, et a quo creati fuerant, et tamen dereliquerant ut falsos Deos sequerentur: ad eum igitur revertentur commoti fama ac praedicatione passionis ac Resurrectionis Christi, quod statim per Apostolorum praedicationem fieri coepit, et deinceps ab Ecclesiae pastoribus continuatur donec « omnis lingua confiteatur quia Iesus Christus in gloria est Dei Patris » ideoque addit: *et adorabunt in conspectu eius universae familiae gentium*, seu omnes nationes mundi.

Quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium. Merito autem, inquit, omnes gentes ad Deum revertentur, eumque adorabunt, ipse enim est supremus ac naturalis omnium rex ac dominus, cuius imperium daemones iniuste usurpaverant, quibus gentes a tot saeculis immeritum obsequium praestiterant. Possent fortasse haec de ipso Christo intelligi quem Pater regem totius orbis constituit, quemadmodum in Ps. II et CIX exponitur.

Manducaverunt, et adoraverunt omnes pingues terrae. Quoniam dixerat supra pauperes manducaturos esse et saturandos, addit nunc etiam divites et potentes, quos pingues terrae appellat, in eiusdem beneficii partem vocandos esse: et ipsi uno charitatis vinculo cum pauperibus uniti, et in eamdem Ecclesiam collecti Deum laudabunt, adorabunt, et de eadem Christi mensa comedent. Ita Augustinus, Hieronymus, Eusebius aliique passim.

In conspectu eius cadent omnes, qui descendunt in terram: idest mnes mortales, qui aliquando in pulverem עָפָר redigendi sunt, eum adorabunt et genua flectent, seu tandem aliquando generalis mnino fiet hominum ad Deum conversio. Nonnulli haec intelligunt e pauperibus et abiectis hominibus qui descendunt in terram, idest, b humilem et obscuram vitae conditionem pro nihilo reputantur in erra, quos hic opponeret *pinguibus terrae* antea nominatis. Euse-ius vult hic allusionem fieri ad externum orandi modum in antiqua cclesia usitatum per corporis prostrationem, et oris in terram emissionem. Sed prior explicatio verisimilior videtur.

Et anima mea illi vivet, et semen meum serviet ipsi. In hoc ersiculo, ut etiam in sequenti, non parva differentia occurrit inter ebraicum textum et LXX cum Vulgata latina. Textus enim coniun-it priora verba cum versiculo praecedenti, eademque legit: *et nima eius non vivet,* quasi nempe esset explanatio verborum quae raecesserant: omnes qui descendunt in terram; quasi diceret Deum dorabunt omnes qui in sepulchrum descendunt, et qui vita iam ıncti sunt. Quo videretur alludere ad animas fidelium in sinu braham et in lymbo detentas quae inde a Christo liberatae sunt. ed probabilius videtur leviorem quamdam immutationem in hunc ocum irrepsisse, veramque lectionem esse quam LXX, et Vulgata xprimunt: haec mutatio facillime explicari potest si attendatur ocem נַפְשׁוֹ *anima eius,* ultima litera Vau in Iod mutata, fieri נַפְשִׁי *anima mea*, et vocem לֹא si legatur לוֹ significare *ei* aut *si,* quod etiam in aliis Scripturae locis contigit: LXX interpre-s certe hoc modo textum legerunt, secus numquam vertere otuissent: και η ψυχη μου αὐτῳ ζῇ. Symmachus haec cum raecedentibus simul et cum sequentibus coniungit ita: « Qui de-endunt in pulverem prosternent se coram eo: ille cuius anima vet, et cuius posteritas (semen) serviet Domino. » Sed hoc vide-r causa conciliandi utramque lectionem inductum esse. Omnibus itur perpensis, lectio των LXX et Vulgatae praeferenda videtur: *anima mea illi vivet:* idest cum omnes gentes, et pauperes mul cum divitibus Deum laudabunt, ego quoque, inquit Chri-ıs, cum omnibus, et in omnibus et prae omnibus Patrem adorabo, eius gloriae augendae toto animo incumbam. *Et semen meum rviet ipsi,* idest Ecclesia seu fideles omnes in me spiritualiter

regenerati tamquam mei filii adoptivi Deo servient in Spiritu et veritate. In hebraeo pro *semen meum* est tantum semen et haec verba cum sequentibus connectuntur ita ut ad generationem venturam haec referantur.

Annuntiabitur Domino generatio ventura. Haec possunt intelligi obvio sensu, quod futura Christi Ecclesia Domino iubente a prophetis praenunciabitur. Sed melius cum Bellarmino intelligi potest ita : annuntiabitur generationi venturae, seu generatio ventura nuncium accipiet de gloria, de potentia et de doctrina Domini, quasi diceret annuntiabitur de Domino generationi venturae, nobis scilicet qui praedicantibus Apostolis fidei lumen recepimus et in partem beneficii redemptionis vocati sumus: hebraice enim est לַדּוֹר *generationi*, et sensus ita melius cohaeret cum sequentibus (1). In hebraeo separatur *generatio* a voce *ventura,* et huius loco ponitur verbum *venient* coniunctum cum sequentibus ita *venient, et annunciabunt iustitiam eius.* Quae possunt ita intelligi generatio, cui de Domino nunciatum est, veniet et annunciabit sequenti generationi, atque ita usque ad mundi finem propagabitur et perennabit Dei gloria. Secundum Vulgatam legitur: *et annuntiabunt coeli iustitiam eius populo qui nascetur, quem fecit Dominus.* Vox illa *coeli* neque in textu hebraico, neque apud LXX legitur neque habetur in versione Syriaca et Chaldaica, deest quoque in plerisque commentariis Graecorum, imo et in pluribus vetustis latinis psalteriis, ideoque videtur addita explicationis causa in latinis exemplaribus circa saeculum IV. (Augustinus enim, et Hieronymus in comment. in h. l. hanc vocem legerunt) et deinceps communiter recepta fuisse (2). Itaque simplex lectio huius loci esset: *annuntiabunt iustitiam eius,* quae referenda sunt ad generationem antea nominatam, quae iustitiam Dei, eius sanctitatem et immensum redemptionis beneficium praedicabit, et docebit populum Deum laudare. Si vero recipiamus vocem *coeli,* tunc verb

(1) Dicitur autem per idiotismum *annuntiabitur generatio*, pro *annuntiabitur generationi*, quemadmodum Matth. XI. 5. dicitur: *Pauperes evangelizantur*, idest: *pauperibus evangelizatur.*

(2) Occasio huius levis interpolationis esse potuit similis locus Ps. XCVI. 6, ubi vox coeli recurrit: « *Annuntiaverunt coeli iustitiam eius, et viderunt omnes populi gloriam eius.* »

référenda erunt ad Apostolos, qui coelestes homines fuerunt, et quibus Apostolus applicat verba psalmi *Coeli enarrant gloriam Dei*: isti igitur annunciarunt iustitiam Dei, seu fidem et gratiam Evangelii qua homines vere iusti fiunt, atque ita novum populum efformarunt, populum acquisitionis, gentem sanctam, *populum quem fecit Dominus,* scilicet quem speciali modo sibi Deus formavit regeneratum in Spiritu Sancto, et creatum in operibus bonis. Similis phrasis occurrit in Ps. CXVII 24: « haec dies quam fecit Dominus », quam scilicet speciali modo elegit et sanctificavit.

Haec quidem Psalmi interpretatio, qua totus ad Christum refertur longe verosimilior nobis visa est, et Patrum expositioni conformior. Hebraei olim fatebantur haec de Christo dicta esse: at deinceps cum viderent nimis clarum exinde argumentum pro christiana religione desumi id negare coeperunt, et Psalmum integrum ad David referre. Quo tamen nihil absurdius cogitari potest. Multa enim sunt in hoc Psalmo quae Davidi nulla ratione aptari possunt ut ex: gr: quae leguntur de multitudine et varietate inimicorum vv. 7, 12, 17, de pedum et manuum transfixione v. 18, et de vestium divisione ac sortitione v. 19, et alia quae unice Christo conveniunt. Accedit nonnullos versiculos huius Psalmi ab Evangelistis et a Paulo explicari de Christo ut v. 1. 19. 23 quemadmodum supra vidimus. Alii ex recentioribus Rabbinis post Kimchi existimarunt in hoc Psalmo describi miserum Iudaeorum statum in quo adhuc iacent post eversionem Ierosolymae et gentis dispersionem, ipsamque Hebraeorum gentem dicunt *cervae matutinae* nomine in titulo designari. S. Hieronymus etiam refert Iudaeos suae aetatis hunc Psalmum referre solitos fuisse ad miseram conditionem Iudaeorum sub Assuero Persarum rege, eiusque ministro Amano Hebraeorum hoste, reginam vero Estherem, a qua liberati sunt cervam matutinam appellari. Verum haec ex dictis falsissima apparent nec ulteriori refutatione indigent; praesertim cum pateat ratio qua Hebraei ad haec comminiscenda adacti sunt, ipsique domestico testimonio revinci possint. Ab his vix abludebat Theodorus Mopsuestenus dum asserebat hunc Psalmum secundum verum et proprium sensum ad ipsum Davidem spectare, et scriptum esse occasione persequutionis contra eum motae per Absalom, deinde vero ab Evangelistis aliisque hagiographis N. T. per accommodatio-

nem κατ' ἐκβασιν, nonnulla eius testimonia Christo applicata fuisse. Sed haec sententia Theodori in concilio Oecumenico V, collat. IV. damnata est.

Recentiores nonnulli media quodammodo via incedentes affirmant hunc Psalmum ad David simul et ad Christum pertinere, et quidem sive ad David literaliter et ad Christum mystice cuius passio in Davidis afflictione adumbrata censenda sit, sive ad utrumque literaliter ita ut in pluribus versiculis David de se ipso loquatur, in quibusdam vero et imprimis in citatis versiculis 18, 19 et 23 de Christo, idque secundum verum et obvium verborum sensum. Ita inter coeteros sentit Aug. Calmet Comm. in hunc Psalmum, et recentissime P. Patrizi in citato opere: Cento salmi tradotti etc. pag. 96 et seqq., qui etiam suam sententiam mitigat concedens etiam eas partes quae immediate de David scripta esse putat, mystice tamen ad Christum referri posse. Verum rationes quas isti afferunt nobis minus solidae videntur, cum ea omnia quae Davidi quodammodo convenire possunt, etiam et multo melius Christo conveniunt, deinde ipsum Psalmi exordium Christus utpote de se scriptum in Cruce pronunciavit atque ita totum Psalmum seu orationem tamquam ex eius ore prolatam fuisse confirmavit, ex Patribus ac Doctoribus Ecclesiae longe plures ac praestantissimi omnia huius Psalmi dicta de Christo intellexerunt, ac demum haec Psalmi explicatio multo nobilior, sublimior ac omni ex parte cohaerentior est quam si duplex in eo subiectum inducatur.

Dogmaticus vero ac moralis huius Psalmi valor clarissime patet. Quis enim non videat ex tam clara descriptione passionis Christi ultra mille annos ante adventum scripto consignata veritatem religionis splendide confirmari? Quis vero ad pietatis sensum et ad ardentem erga Christum Dominum amorem non moveatur cum vividam illius tormentorum narrationem legerit, cumque ipsum audiat supplici ac tenera oratione Patrem pro se suisque fidelibus exorantem, simulque cogitaverit eum ob nostra peccata tanta passum esse, et mira prorsus charitate nos redemisse, ac fratres suos effecisse. Non est enim omittendum pulcherrimam hanc orationem in pluribus saltem locis unicuique fidelium in speciali quadam tribulatione constituto aptari posse: Christus enim est caput nostrum, nosque membra eius, et sicut decet ut nostras afflictiones

eius passioni coniungamus ut inde et vim substinendi et meritum hauriamus, ita possumus Dei auxilium implorare iisdem verbis quibus idem Christus in sua passione Patrem exoravit.

N. 2. Canticum Zachariae (Luc. I 68–79) Adnotationes cum Paraphrasi.

1. Εὐλογητὸς Κύριος ὁ Θεός τοῦ Ἰσραὴλ, ὅτι ἐπεσκέψατο, καὶ ἐποίησε λύτρωσιν τῷ λαῷ αὐτοῦ.

2. Καὶ ἤγειρε κέρας σωτηρίας ἡμῖν, ἐν τῷ οἴκῳ Δαυὶδ τοῦ παιδὸς αὐτοῦ.

3. Καθὼς ἐλάλησε διὰ στόματος τῶν ἁγίων τῶν ἀπ' αἰῶνος προφήτων αὐτοῦ.

4. Σωτηρίαν ἐξ ἐχθρῶν ἡμῶν, καὶ ἐκ χειρὸς πάντων τῶν μισούντων ἡμᾶς.

5. Ποιῆσαι ἔλεος μετὰ τῶν πατέρων ἡμῶν, καὶ μνησθῆναι διαθήκης ἁγίας αὐτοῦ.

6. Ὅρκον ὃν ὤμοσε πρὸς Ἀβραὰμ τὸν πατέρα ἡμῶν, τοῦ δοῦναι ἡμῖν.

7. Ἀφόβως, ἐκ χειρὸς τῶν ἐχθρῶν ἡμῶν ῥυσθέντας, λατρεύειν αὐτῷ.

8. Ἐν ὁσιότητι καὶ δικαιοσύνῃ ἐνώπιον αὐτοῦ, πάσας τὰς ἡμέρας τῆς ζωῆς ἡμῶν.

9. Καὶ σὺ, παίδιον, προφήτης Ὑψίστου κληθήσῃ, προπορεύσῃ γὰρ πρὸ προσώπου Κυρίου, ἑτοιμάσαι ὁδοὺς αὐτοῦ.

10. Τοῦ δοῦναι γνώσιν σωτηρίας τῷ λαῷ αὐτοῦ, ἐν ἀφέσει ἁμαρτιῶν αὐτῶν.

11. Διὰ σπλάγχνα ἐλέους Θεοῦ ἡμῶν, ἐν οἷς ἐπεσκέψατο ἡμᾶς ἀνατολὴ ἐξ ὕψους.

12. Ἐπιφάναι τοῖς ἐν σκότει, καὶ σκιᾷ θανάτου καθημένοις, τοῦ κατευθῦναι τοὺς πόδας ἡμῶν εἰς ὁδὸν εἰρήνης.

68. Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suae,

69. Et erexit cornu salutis nobis, in domo David pueri sui.

70. Sicut loquutus est per os sanctorum, qui a saeculo sunt prophetarum eius

71. Salutem ex inimicis nostris, et de manu omnium qui oderunt nos

72. Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, et memorari testamenti sui sancti,

73. Iusiurandum quod iuravit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis

74. Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi

75. In sanctitate et iustitia coram ipso omnibus diebus nostris.

76. Et tu, puer, propheta Altissimi vocaberis, praeibis enim ante faciem Domini parare vias eius

77. Ad dandam scientiam salutis plebi eius in remissionem peccatorum eorum,

78. Per viscera misericordiae Dei nostri, in quibus visitavit nos, oriens ex alto

79. Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

ARGUMENTUM ET ANALYSIS

Auctor cantici est Zacharias Sacerdos pater Iohannis Baptistae, qui cum loquela privatus fuisset eo quod angelo praenuncianti Iohannis nativitatem fidem adiungere recusasset, in ipsa pueri nativitate, seu potius eius circumcisionis die loquelam iuxta Angeli praedictionem recuperavit, atque illico sublime hoc canticum effudit spiritu prophetico plenum, quem repente Spiritus Sancti illustratione tunc acceperat (vers. 67). Canticum in duas partes dividitur. Prima pars, 1–8 (v. 68–75) continet laudes Dei et gratiarum actionem pro incoepto opere humanae redemptionis, 1-4 (v. 68-71.) cuius causas, motiva finem et miros effectus breviter attingit, 5–8 (72-75). Altera pars, 9-12 (vers. 76-79) ad ipsum puerum Iohannem per apostrophem dirigitur, eius munus prophetae ac praecursoris Domini declaratur, eiusque effectus describuntur. Utraque pars ita contexta est ut unam singulae periodum efficiant pluribus incisis constantem, nulla pausa interiecta.

ADNOTATIONES

1. *Benedictus Dominus Deus Israel.* Intellecto mysterio conceptionis B. M. Virginis Zacharias in haec verba erumpit Deo benedicens seu laudans et gratias publice agens. *Quia visitavit,* subaudi nos, vel melius plebem suam, idest specialem favorem erga populum suum ostendit, haec enim est vis verbi *visitare* apud Hebraeos cum in bonam partem accipitur. *Et fecit redemptionem plebis suae.* Explicat quodnam illud beneficium esset, scilicet redemptio, quam uti iam factam considerat, eo quod in ventre matris iam gestaretur proxime nasciturus Salvator illius redemptionis auctor. Longe probabilius est Mariam Virginem Christum in utero gestantem ibi praesentem fuisse cum Zacharias haec prophetabat.

2. *Et erexit cornu salutis nobis.* Cornu apud Hebraeos potentiam, seu potentem passim significat; unde phrasis *cornu salutis* significat potentiam salutarem, vel melius potentem fortissimumque salvatorem, quem dicit a Domino erectum, seu suscitatum (ἤγειρε) et quidem *in domo,* seu de familia et stirpe *David pueri,* idest servi *sui.* Davidi enim similibus verbis Messias de eius domo nasciturus

promissus fuerat Ps. 131: « illuc producam cornu David, paravi lucernam Christo meo ».

3. *Sicut loquutus est per os Sanctorum, qui a saeculo sunt, prophetarum eius;* paullisper immutato verborum ordine legendum est: per os sanctorum prophetarum qui a saeculo sunt, idest, qui ab antiquis temporibus apud Hebraeos extiterunt. Deus igitur horum prophetarum vaticinia implesse dicitur.

4. *Salutem ex inimicis nostris* etc. Salutem est accusativus rectus a praecedenti verbo *loquutus est:* est autem accipienda haec vox in significatione passiva pro salvatione, seu liberatione, illud autem *ex inimicis* non est accipiendum quasi ab inimicis salus ventura esset, ut nonnulli explicare solent, sed quatenus de manibus ipsorum inimicorum, et ab eorum iugo liberari debuimus, quod etiam postea explicatur verbis: *et de manu omnium qui oderunt nos* (1). Sunt autem isti inimici non temporales sed spirituales, daemones, peccatum etc.

5. *Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, et memorari testamenti sui Sancti:* in graeco utrumque simili forma exprimitur ποιῆσαι, μνησθῆναι, *facere, recordari,* ideoque clarior esset sensus si utrumque per gerundium redderetur: ad faciendam misericordiam, ad memorandum testamentum. Sunt autem haec coniungenda vel cum proxime praecedentibus, vel cum antea dictis *fecit redemptionem* etc. Sensus autem est: Deum misisse promissum redemptorem, ut misericordiam ostenderet erga patres nostros, tum quia redemptio etiam illos iuvit, ob merita enim Redemptoris salvati sunt, et per illum reipsa de carcere Lymbi educti, tum quia posterorum salus patrum consolatio fuit, quae illam tantopere desideraverant: addit Deum id fecisse ut memoraret, seu recordaretur, et ostenderet se oblitum non fuisse testamenti sui sancti, scilicet illius pacti quod cum patriarchis primum inierat et per Moysis ministerium solemniter renovaverat, mittendi nempe Messiam Salvatorem.

6. *Iusiurandum quod iuravit ad Abraham patrem nostrum.* Vox iusiurandum vel est in casu accusativo recto a praecedenti verbo *memorari,* vel melius regitur a subintellecta praepositione secun-

(1) In Cod. D Cantabrigensi legitur σωτηριαν ἐκ χειρος ἐχθρων ἡμων και παντων κ.τ.λ. salutem de manu inimicorum nostrorum et omnium qui oderunt nos.

dum κατὰ vel etiam accipiendum est tamquam explicatio vocis *testamenti* quasi diceret: ut memorem se ostenderet testamenti sui sancti, illius scilicet iurisiurandi, seu promissionis iuramento confirmatae, quam fecit Abraham patri nostro: et haec videtur explicatio ceteris praeferenda. Alludit autem ad solemnem promissionem Abrahamo factam post tentatam eius obedientiam Gen. XXII. 16 et seqq.: « Per memetipsum iuravi, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum... et benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae ». *Daturum se nobis*: illud *se* non est obiectum promissum, ut nonnulli voluerunt, quasi diceret Deum iurasse se nobis daturum semetipsum, in graeco enim nullum est pronomen personale, sed simpliciter verbum τοῦ δοῦναι ἡμῖν: est igitur pronomen *se* casus regens verbum *daturum*, quid autem daturus esset mox dicitur in sequenti versiculo.

7. *Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati serviamus illi.* Hoc est quod Deus dicitur promisisse et iurasse se nobis daturum, idest concessurum, ut scilicet liberati de manu spiritualium inimicorum, et de vitiorum servitute securi et tranquilli Deo soli serviamus, et quidem non per exteriores tantum coeremonias, et multitudinem oblationum, sed

8. *In sanctitate et iustitia coram Ipso*, idest, ex corde et in intima animorum dispositione, seu, uti in Evangelio dicitur in spiritu et veritate, idque *omnibus diebus nostris*, idest, toto vitae nostrae tempore. In his duobus versiculis propheta spiritum novae legis pulchre significat, non sine tacita comparatione cum lege antiqua, quae erat lex servitutis et timoris, et exterioribus ritibus observandis potius quam interiori sanctitati promovendae accommodata.

9. *Et tu, puer, propheta altissimi vocaberis.* Hic incipit secunda pars cantici. Sermonem convertit ad infantem Iohannem, eique primum praedicit dignitatem ac munus propheticum; *propheta altissimi vocaberis*, idest, *eris* iuxta usum hebraicum. Revera Iohannes maximus propheta fuit, de quo Gabriel Archangelus praedixerat: « Et ipse praecedet ante ipsum in spiritu et virtute Eliae » Luc. I. 17, et ipse Dominus coram omnibus proclamavit: « Amen dico vobis hic est propheta, et plusquam propheta ». *Praeibis enim ante faciem Do-*

nini parare vias eius. Quibus verbis alterum Iohannis munus, il-udque omnino singulare ac proprium exprimit, praecursoris sci-icet Domini, quod pariter et a Gabriele indicatum fuerat, et mul-is ante saeculis a Malachia VI. 5. *Parare vias eius,* idem est ac nominum corda disponere ut Christum eiusque evangelium reci-piant.

10. *Ad dandam scientiam salutis plebi eius,* non quia Iohannes perfectam scientiam salutis daturus esset per se et directe, sed quia debebat homines poenitentiam praedicando disponere ad sa-utem, eosque ad Christum ducere aeternae salutis magistrum et auctorem. *In remissionem peccatorum eorum* (1): hoc similiter in-elligendum est, non quia Iohannes potestatem haberet remittendi peccata, sed quia homines ad remissionem peccatorum per Chri-stum recipiendam praeparabat, uti etiam mox explicatur.

11. *Per viscera misericordiae Dei nostri.* Remissio peccatorum, adoptionis gratia, coeteraque bona quae per Christum recepimus nullam aliam habent causam quam viscera misericordiae, idest te-neram, paternam, et omnino gratuitam misericordiam Dei erga nos. *In quibus visitavit nos Oriens ex alto:* idest ob illam Dei misericordiam factum est ut nos visitaret, seu cum suis donis ad nos accederet (vid. supra v. 1) Christus ab alto coelorum veniens, nobisque apparens que-nadmodum sol mane super horizontem elevatur et omnia sua luce collustrat: vox *Oriens* hic non est participium verbi orior, quod re-gatur a voce Dominus, sed est nomen substantivum significans solem orientem, in graeco enim est substantivum ἀνατολή, hinc sequentia verba *ex alto* non sunt coniungenda cum voce *oriens,* sed cum verbo *visitavit,* aut cum participio subintellecto *descendens.*

12. *Illuminare his, qui in tenebris, et in umbra mortis sedent:* haec cum praecedentibus connectuntur, et servata metaphora solis orientis, explicant finem et effectus adventus Christi. *Illuminare* nonnullis accipitur pro imperativo passivo, ita ut verba haec ad Christum directa essent, sed neque contextus, neque graecum voca-

(1) Plures codices latini legunt *peccatorum meorum.* Sed haec lectio videnter originem habet ex altera *peccatorum eorum*, ob lapsum calami el auditus quamvis non desint graeci codices qui legant ἁμαρτιων ἡμων. At erborum sensus et contextus omnino requirit receptam lectionem, quae in lerisque et optimis codicibus habetur ἁμαρτιων αὐτων *peccatorum eorum.*

bulum ἐπιφᾶναι hoc admittunt (1). Itaque simpliciter accipiendum est pro infinitivo, sed in sensu intransitivo pro splendere, effulgere, hoc enim graecum verbum ἐπιφᾶναι significat: divinus igitur sol Christus ex alto apparuit ut fulgeret, (infinitum enim ut supra v. 5 pro gerundio accipitur) omnibus hominibus qui hucusque in *tenebris* iacuerant *et umbra mortis,* idest, umbra et caligine densissima, non quidem materiali, sed spirituali errorum, ignorantiae, ac superstitionum: quo etiam magis magisque extollitur divina illa misericordia et paternae viscera charitatis, quae nos non merentes et paratos, sed immerentes et indignos visitavit et servavit. *Ad dirigendos pedes nostros in viam pacis;* en alter effectus Christi adventus, qui nos e tenebris liberatos in rectam iustitiae, et salutis viam adduxit, quae vere *via pacis* dicitur, tum quia pax et tranquillitas est in ea ambulantibus, tum quia ad aeternam pacem ac requiem homines ducit.

Subiicimus hic totius cantici paraphrasim, quae omnes praecedentes explicationes coniungit, et sub oculos ponit.

Paraphrasis totius cantici

1. Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit favore suo plebem suam, et iam incoepit opus eius redemptionis,

2. Et suscitavit nobis ex familia et stirpe David servi sui Salvatorem potentissimum:

3. Quemadmodum iam dudum per os veterum suorum Prophetarum nobis promiserat

4. Liberationem ab inimicis nostris, et de manu omnium qui oderunt nos:

5. Suscitavit, inquam, nobis Servatorem ad implendam misericordiam nobis, patribusque nostris promissam, et ad ostendendum se oblitum non esse sancti illius foederis,

6. Et iurisiurandi, quo iuravit ad Abraham patrem nostrum se nobis concessurum

(1) Pauci codices habent επεφανε, idest apparuit, In Cod. D legitur επιφανει φως, sed moralis codicum consensus lectionem vulgatam veram ostendit quae postea forte difficultatis removendae causa a nonnullis leviter immutata fuerit.

7. Ut liberati de manu inimicorum nostrorum, non in spiritu timoris, sed amoris serviamus illi

8. In sanctitate, et vera, ac interiori iustitia omnibus diebus vitae nostrae.

9. Tu autem puer, fili mi, tu, inquam, eris propheta Altissimi; siquidem praecedes ante faciem Domini Redemptoris ad praeparandam illi viam,

10. Et ad impertiendam plebi eius scientiam salutis, ad hoc ut illis remittantur peccata;

11. Non tamen ex tua virtute, sed per Dei gratiam et ineffabilem misericordiam, qua idem Salvator, qui est sol oriens, ab alto descendens nos visitavit,

12. Ut fulgeret iis qui in densissimis tenebris calamitatum et peccatorum iacent, et ut nobis ostenderet tutam viam, quae ad veram pacem salutemque perducit.

APPENDIX II.

DE SACRAE SCRIPTURAE LECTIONE IN LINGUIS VULGARIBUS

Cum ageremus de S. Scripturae versionibus eas divisimus in antiquas et recentiores, seu liturgicas et vulgares, prout nempe vel linguis nunc mortuis exaratae sunt, quae plerumque in vetustis liturgiis supersunt, vel linguis adhuc vivis ac vernaculis. De his postremis pauca tantum animadvertimus eo quod in criticis ac theologicis quaestionibus nullius ponderis sint, tum quia recentiores vulgatae, tum quia a privatis hominibus et ad privatum fidelium usum editae fuerint. Nunc tamen de his quaedam pertractanda sunt ad Protestantium errores circa Scripturae lectionem refellendos, et Ecclesiae praxim ab eorum accusationibus vindicandam. (1)

ARTICULUS I.

BREVIS HISTORIA CONTROVERSIAE

Primis Ecclesiae temporibus, ut alias vidimus, in omnes paene linguas Scriptura translata fuit, et fideles populi sua quique linguas sacros libros et in Ecclesia legi audiebant, et ipsi in suis domibus asservabant et assiduo legebant, nec Ecclesia ullum impedimentum

(1) De hoc argumento copiose docteque tractarunt P. Cherubinus a S. Ioseph: *Bibliotheca Criticae Sacrae*, seu *Apparatus Biblicus* to. I. Dissert. Proëm. et to. IV. Lovanii 1704; I. B. Malou: *La Lecture de la sainte Bible en langue vulgaire.* Lovanii 1846 2 Vol. in 8°; item Fontana in: *Constitutio Unigenitus theologice propugnata* Romae 1721. to. III. Brevius autem P. Perrone in *Tract. de Locis theologicis* Part. II. Sect. I. Cap. IV. Propos. II. et Cap. V. Prop. I. et II, item Th. I. Lamy *Introductio in S. Scripturam* to. I. c. VI. ed. 2ª Lovanii 1872.

iic praxi unquam posuit, licet manifestum sit ex Patrum doctrina inquam lectionem Scripturae tamquam necessariam singulis fidebus ad salutem existimatam fuisse (vide Iren. adv. haereses lib. I Cap. IV. n. 2).

Sub finem Saeculi XII vestigia controversiae de hac re occurrunt dioecesi Metensi. Episcopus Metensis ad Innocentium III scribens no 1199 denunciavit quosdam fideles suae dioeceseos, qui immodico siderio Scripturarum permoti novam gallicam versionem Evangeliom, Epistolarum Pauli, Psalterii, Moralium S. Gregorii M. sibi mparaverant, eamdemque tum viri laici tum mulieres in clanstinis conventibus perlegebant et invicem exponebant, non som sine ulla subordinatione Episcopo ac parochis suis, sed etiam in faciem resistentes cum de huiusmodi conventibus inquirere, aliquid decernere voluissent. Habentur haec exposita in epistoInnocentii III ad episcopum Metensem (tom. I epist. 141 e 142 l. Baluzii) quem sollicite hortatur et iubet ut fidelium illorum meritatem coerceat, et de omnibus, post plenius indagatam vetatem, Sedem Apostolicam informet. Nescimus quinam fuerit huius usae exitus: difficile tamen non est ibi agnoscere prima semina rorum quos paulo post Valdenses et Albigenses longe lateque disminarunt, quorum peculiaris character fuit exaggeratum studium gendi Scripturam cum neglectu, ac contemptu Ecclesiae magierii, ac iurisdictionis. Aiebant scilicet omnibus laicis, imo etiam eminis ius praedicandi competere, idque ab Apostolo inculcari Cor. XIV. 12–14; nihil credendum esse quod per expressum cripturae testimonium non probetur; Missam celebrandam et saamenta administranda in lingua vulgari; hinc eorum asseclae maam Scripturae partem memoriae mandabant et vernacula lingua citabant. (Vid. Reinerus Lib. *contra Valdenses* cap. V.).

Eadem plus minus docuerunt Albigenses. Contra istos Concium Tolosanum anno 1229 prohibuit laicis usum Scripturae in ngua vulgari, excepto psalterio, breviario pro divinis officiis, et oris B. M. Virginis. (Apud Labbeum tom. XI Concil. pag. 430.) ausa prohibitionis fuit Albigensium temeritas qui novam gallicam ersionem Scripturae inter fideles Tolosanae provinciae dissemintes pravis interpretationibus eorum fidem corrumpebant, et ab cclesiae obedientia subtrahebant.

Circa finem saeculi XIV doctrinam Albigensium adoptavit et studiose per Angliam propagavit Wiclefus, qui suam anglicam Scripturae versionem seu potius paraphrasim omnibus commendavit, et legendam praebuit tamquam ex Christi praecepto, qui vult omnes Evangelium discere. Haec versio erroribus infecta damnata fuit in synodo Oxoniensi anno 1408 cap. VII, simulque vetitum est ne quis in posterum absque licentia Scripturam in vernaculam linguam transferret, aut translatam legeret « *quousque per loci dioecesanum, seu, si res exegerit, per concilium provinciale ista translatio fuerit approbata* » (apud Labbe tom. XI pag. 2095). Evidens est prohibitionem istam, quemadmodum praecedentem Concilii Tolosani, absolutam non esse, sed relativam ad circumstantias et abusus illorum temporum ac locorum. In Hispania similiter defensores lectionis Scripturae in lingua vulgari turbas excitarunt, quarum occasione Iacobus I Aragoniae rex apposito decreto prohibuit suis subditis versionem vulgarem habere, quod postea confirmarunt alii Hispaniae reges, et Romanus Pontifex Paulus III approbavit, ita ut haec inter leges regni relata fuerit sub Ferdinando et Isabella (ann. 1474–1516.)

Pseudo-reformatores saec. XVI ut in ceteris fere omnibus ita in hoc Albigenses et Valdenses sectati sunt, et inter praecipua media quae adoptarunt ad fidem Ecclesiae impugnandam, et animos fidelium corrumpendos fuerunt novae vulgares versiones Scripturae erroribus suis accommodatae. Paulo post principium illud proclamarunt: Scripturae lectionem omnibus et singulis fidelibus necessariam esse ad salutem, et Ecclesiam ius nullum habere lectionem hanc vel prohibendi, vel moderandi (1). Cum autem longe maior fidelium pars Scripturas in textibus originariis aut in antiquis versionibus legere non possint, sequebatur necessitas vulgarium versionum, et Ecclesiam eas impedire non posse. His principiis stabilitis, reformatores eorumque successores novis cudendis versionibus alacriter manum admoverunt, Luthero exemplum

(1) Haec quidem sponte sua descendunt ex fundamentali dogmate Protestantium Scripturam unicam esse fidei regulam, sine ulla ad infallibile Ecclesiae magisterium relatione, ac subiectione. Cum enim unusquisque suam fidem ex Scripturis haurire debeat, hoc ipso necesse est ut eas prae manibus habeat ac frequenter legat.

raebente per suam germanicam versionem ex textibus origina-
is, uti ait, confectam, in qua sensum Scripturae ad suos erro-
es saepe detorquet; Calvinistae deinceps suam gallicam versionem,
uae *Genevensis* dicitur, concinnarunt, et ita porro aliae atque aliae
ersiones in variis Europae linguis apparuerunt, et per varias gen-
es disseminatae sunt, viamque protestantismo aperuerunt. Huius-
odi innovationes tantam idearum confusionem pepererunt, tot
lusionibus ac fanatici furoris excessibus occasionem dederunt, tan-
um Ecclesiae contemptum, superbiam, ac religiosam discordiam
ngenerarunt, ut ipse Lutherus his malis perterrefactus fuerit, et
Ielanchton amare conquestus fuerit omnia susdeque versum iri in
astris Protestantium. Interim Ecclesia remedium malo apponere
on omisit: perversas et infideles haereticorum translationes pro-
cripsit, necessitatem Ecclesiasticae normae ac directionis in Scri-
turarum studio altius proclamavit, ac demum in Concilio Triden-
ino decretum quoddam paravit de hac re, quod tamen non fuit
n Concilio promulgatum, sed paulo post a Pio IV editum sub
omine *Regularum Indicis,* quarum tertia generatim damnat omnes
ersiones a viris haereticis confectas nisi expurgatae fuerint, quarta
utem etiam versiones catholicas in lingua vulgari legere non per-
ittit nisi obtenta facultate ab Episcopo vel inquisitore, aut saltem
arocho vel confessario. Contra hasce regulas nunquam cessarunt
eclamare Protestantes, eas ita interpretantes ac si absolutam et
eneralem lectionis Scripturae prohibitionem continerent.

Saeculo XVIII Protestantium clamores renovavit Iansenistarum
oriphaeus Quesnellus, inter cuius propositiones in Bulla *Unigeni-
us* anno 1713 a Clemente XI damnatas sunt etiam sequentes: Prop. 79
*Utile et necessarium est omni tempore, omni loco et omni personarum
eneri studere, et cognoscere spiritum, pietatem et mysteria Sacrae
cripturae* ». Prop. 83 « *Dies Dominicus debet a Christianis san-
tificari lectionibus pietatis, et super omnia sacrarum Scriptura-
um... Damnosum est velle Christianum ab hac lectione retrahere* ».
rop. 84 « *Abripere e Christianorum manibus Novum Testamen-
um, seu eis illud clausum tenere auferendo eis modum illud intelli-
endi, est illis Christi os obturare* ». Prop. 85 « *Interdicere Chri-
ianis lectionem S. Scripturae, praesertim Evangelii, est inter-
icere usum luminis filiis lucis, et facere ut patiantur speciem*

quamdam excommunicationis ». Has et similes Iansenistarum naenias egregie refutarunt constitutionis *Unigenitus* defensores Card. De Bissy Metensis Episcopus, et P. Fontana (1). Paulo post Synodus Pistoriensis eadem repetere et fidelibus insinuare tentavit, sed statim a Pio VI per Bullam *Auctorem fidei* damnata est, ubi ad propositionem 67 legitur: « Doctrina perhibens a lectione SS. Scripturarum nonnisi veram impotentiam excusare, subiungens ultra ses prodere obscurationem quae ex huiusce praecepti neglectu orta est super primarias veritates religionis, *falsa, temeraria, quietis animarum perturbativa, alias in Quesnello damnata.*» Demum haec controversia iterum magno ardore agitari coepit saeculo nostro inter Protestantes et Catholicos occasione fundationis *Societatum biblicarum*, quarum prima et omnium mater in Anglia fundata est anno 1804, deinceps vero aliae ab illa dependentes per Angliam, Germaniam, Galliam, Helvetiam, Status foederatos Americae aliasque regiones magno numero pullularunt. Harum unicus scopus est Scripturas in omnium gentium linguas conversas omnibus indiscriminatim tum Catholicis, tum Protestantibus, tum infidelibus, vel gratis vel vili pretio distribuere nullo duce, nullaque certa norma legendas, quasi hoc uno medio salutem acquirere possint. Harum societatum conatibus multi inter ipsos Protestantes sese opposuerunt, quamvis plerique earum patrocinium susceperint. Romani autem Pontifices Pius VII, Leo XII, Pius VIII, Gregorius XVI et Pius IX, praedictas societates biblicas omnino damnarunt, non quidem ea de causa quod Sacrae Scripturae propagationem et studium pertimescerent, ut adversarii dictitant, sed quia praepostera methodo societates illae tum versiones ipsas conficerent, saepe infideles et erroribus plenas, tum ab omnibus legi vellent, semotis illis mediis et cautelis, quae Scripturae lectionem vere utilem ac tutam reddunt.

Controversia quae inter Protestantes et Catholicos viget circa vernaculam Scripturae lectionem aliquatenus differt a controversia cum Iansenistis. Hi enim concedebant Scripturae lectionem, quam

(1) Card. De Bissy: *Instruction Pastorale, ou Traité theologique sur les 101 Propositions du P. Quesnel* 2 Vol. in-4. Paris 1722. P. Fontana: *Constitutio Unigenitus theologice propugnata.* Ad Propp. 79, et seqq. Tom. III, pag. 584 seqq.

mnibus necessariam credebant, Ecclesiae magisterio ac vigilantiae ıbiectam esse, quod Protestantes omnino negant.

Ex hac brevi historia apparet plures quaestiones in hac con-roversia distingui posse, quarum aliae *theoreticae* ac *dogmaticae* ınt, scilicet: utrum lectio Scripturae omnibus fidelibus ad salutem ecessaria sit, et utrum Ecclesia leges de hac re ferendi ius habeat: iae vero sunt *practicae* et *historico-disciplinares,* scilicet utrum, qua ratione Ecclesia prohibuerit vel coarctaverit lectionem Scri-turae in linguis vulgaribus, et utrum societates biblicae merito Sancta Sede damnatae fuerint. De his igitur distincte tractan-um erit, et in fine brevem notitiam trademus praecipuarum ver-onum vulgarium sive catholicarum, praesertim quae a S. Sede iqua ratione confirmatae vel probatae fuerunt, sive haereticarum, t damnatarum.

ARTICULUS II.

OCTRINA ECCLESIAE DE LECTIONE SCRIPTURAE IN LINGUA VULGARI.

Quamvis Protestantes tot modis conati fuerint veram Ecclesiae atholicae mentem circa hanc quaestionem obscurare, et perperam praesentare, nihilominus tamen ex Ecclesiae decretis, ex testi-oniis Doctorum et publica praxi quid in hac re doceat certis-me, et clarissime constat. Imprimis itaque distinguendi sunt Epi-opi, animarum pastores, et generatim clerici a fidelibus laicis. ro illis studium Scripturarum non solum tamquam utile, sed etiam necessarium Ecclesia semper habuit (1); laicis vero nunquam

(1) Praeter verba Apostoli ad Timotheum 1 Tim. IV. 13 extant plura trum testimonia et Conciliorum decreta, quae hoc officium Episcopis, Pa-chis, concionatoribus, sacerdotibus gravissimis verbis iniungunt. Ita ex. gr. ncilium Nicaenum II. a. 787 can. 2.; Concilium Toletanum IV. a. 640 . 24; Concilium Meldense a. 845 sub Sergio II° can. 34. Item S. Ambro-ıs Lib. V. de Fid. ad Grat. c. 7. qui ideo Scripturam appellat *Librum cerdotalem;* Hieronymus in Epist. ad Nepotianum; Caesarius Arelat. in m. 33; Eusebius Gallicanus in Litan. Maior. (Biblioth. PP. to. V. pag. 683); Gregorius M. Lib. 2. Pastor. c. 2. et Ven. Beda in illud Exodi XX. 13. *ies quoque vectes* etc. Haec et alia plura testimonia legi possunt in ım collecta a laudato P. Cherubino a S. Ioseph Bibliotheca Crit. Sa-e to. I. Dissert. Prüem. Quaest. II. art. III.

uti *necessariam* Scripturae lectionem commendavit, quia scilicet aliis mediis eorum saluti prospicere potest. Ad utilitatem vero quod attinet, iuxta mentem Ecclesiae distinguenda est utilitas *absoluta,* ac veluti obiectiva, ab utilitate hypothetica et *relativa,* scilicet quamvis Scriptura per se utilissima sit, spectatis tamen individuorum dispositionibus, conditione et adiunctis, potest iis non esse utilis, imo etiam periculosa ac perniciosa. Haec omnia breviter ostendet sequens

THESIS I (XXI).

Omnibus indiscriminatim fidelibus Sacrae Scripturae lectio minime necessaria est ad salutem: eadem vero, licet per se et absolute utilis sit, consideratis tamen individuorum peculiaribus adiunctis ac dispositionibus non semper utilis, saepe etiam periculosa aut perniciosa esse potest.

Quamvis in Thesi expressum non fuerit hic agi de lectione vernacula Scripturae, id tamen implicite in verbis Theseos continetur: lectio enim quae promiscue ab omnibus fidelibus fieri possit alia esse nequit quam lectio in linguis vernaculis seu vulgaribus, quae unice maior fidelium pars intelligit. Cum autem Thesis duplicem habeat partem utramque seorsim tractabimus.

Probatur *pars prima* contra Protestantes.

Si lectio Scripturae omnibus indiscriminatim fidelibus ad salutem necessaria esset, haec necessitas oriretur vel ex ipsa rei natura, vel ex aliquo positivo Dei praecepto. Atqui neutrum affirmari potest. Ergo lectio Scripturae omnibus indiscriminatim fidelibus necessaria ad salutem dicenda non est.

Maior propositio evidens est: ex duplici enim illo fonte fieri potest ut aliquid ad salutem necessarium sit: neque hic sermo esse potest de Ecclesiastico praecepto, hoc enim praeterquamquod per se immutabile non esset, nulla unquam de huiusmodi praecepto suspicio extitit, imo vero adversarii Ecclesiae tribuunt contrarium praeceptum, idest prohibitionem absolutam lectionis Scripturae. Itaque minor propositio ita probatur per partes.

1° Necessitas lectionis Scripturae non oritur ex *rei natura.* Potest autem hic intelligi rei natura vel *absolute,* quasi nempe per se et praescindendo ab omni hypothesi impossibile esset hominibus salutem

dipisci absque lectione Scripturae, vel *hypothetice,* quasi nempe, posita ordinatione et oeconomia revelationis, lectio Scripturarum evasisset medium, vel conditio sine qua non posset salus obtineri. Utrumque vero falsum est. Sane absurdum est dicere per se, et absolute lectionem de qua loquimur ad salutem necessariam esse. Imprimis enim nulla apparet necessaria connexio inter praedictum medium et consequutionem ultimi finis, cum Dei gratia et illustratio externum illud medium supplere possit, et suppleat. Praeterea si hoc verum esset semper et ubique necessitas illa extitisset: quomodo igitur salvari potuissent homines antequam existeret Scriptura, scilicet ante Moysen qui primos Scripturae Libros exaravit? et tamen scimus iustos, et sanctos homines, Deoque charissimos tunc fuisse. Etiam postquam coepit Scriptura exarari scimus pios et sanctos viros extitisse extra populum Hebraicum, qui sine Scripturis sanctitatem et salutem sunt consequuti. Quinimo etiam post promulgatum Evangelium et completum canonem Scripturarum quot sunt qui physica vel morali impotentia a lectione Scripturarum prohibentur, ut ex. gr. coeci, ebetes, infantes, aut qui invincibili et inculpabili ignorantia laborant, quos omnes ad salutem pervenire non posse ob istius lectionis defectum absurdum esset dicere, nec adversarii dicere audent. Nulla igitur esse potest naturalis necessitas absoluta. Sed neque hypothetica. Haec enim oriretur ex eo quod sufficiens, et ad salutem necessaria cognitio verae religionis, et Christianae pietatis norma haberi non posset sine Scripturae lectione. Verum undenam poterunt adversarii hoc probare? Quinimo huiusmodi assertio directe repugnat Christianae religionis oeconomiae a Christo stabilitae. Christus enim, ut alibi demonstratum est, praecipuum medium ad fideles docendos et dirigendos constituit non Scripturam, sed Ecclesiae vivum magisterium. Ipse nihil scripsit, Apostolis suis non praecepit scribere, sed *praedicare Evangelium omni creaturae,* quod illi reipsa fecerunt post adventum Spiritus Sancti dum « profecti sunt et *praedicaverunt ubique,* Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis » (Marc XVI. 20): si deinceps nonnulli Spiritu Sancto inspirante aliquid scripserunt, nunquam eis propositum fuit hisce scriptis omnia comprehendere quae praedicanda erant, aut Ecclesiasticae praedicationi, traditioni, et magisterio medium aliud *substituere,* quod illius necessitatem

aut efficaciam tolleret aut imminueret: ita ut etiam post scripta Evangelia aliosque libros N. T. Paulus simpliciter et absolute affirmare potuerit *fidem ex auditu* esse. Manet igitur omnibus fidelibus facile, expeditum et efficax medium ad scientiam salutis sibi comparandam etiam sine lectione Scripturarum. Nulla igitur evincitur necessitas sive absoluta, sive hypothetica.

2° Necessitas lectionis Scripturae non oritur ex positivo Dei praecepto. Si hoc praeceptum existeret promulgari a Deo debuisset, ideoque vel in Scripturis legeretur, vel saltem in Ecclesiae traditione contineretur. Proferant igitur adversarii testimonia unde praeceptum illud probetur. Verum nunquam id Protestantes probare potuerunt quamvis saepe a catholicis provocati, et ad incitas redacti. Afferunt quidem nonnulla testimonia ex Scripturis utriusque Testamenti, quae tamen vel ad rem non pertinent, vel saltem praeceptum non continent sed meram exhortationem. Ita ex Veteri Testamento plura congerunt ubi Verbum Dei dicitur *lucerna et lumen semitis nostris*, ubi iustus dicitur *meditari in lege Domini die ac nocte*, ac demum ubi lectio Pentateuchi statis temporibus facienda Hebraeis praecipitur. Sed priora illa testimonia Psalmorum imprimis non necessario de Scripturis intelligenda sunt, et etiamsi ita acciperentur nihil aliud evincerent nisi lectionis utilitatem: praeceptum vero illud legendi libros Moysi pro Hebraeis in veteri Lege sancitum est, et nullo iure potest ad Christianos sub nova Lege viventes extendi. Ex N. T. autem urgent imprimis illud Christi Domini Io. V. 39: *Scrutamini Scripturas*. Verum multa sunt quae ostendunt frustra hoc testimonium pro adversariorum sententia adduci. Et re sane vera ipsa vox *scrutamini*, quemadmodum graeca ερευνατε, ambigua est, cum grammatice possit esse indicativum aeque ac imperativum, idest, significare possit vel *investigatis*, vel *investigate*. Sed etiamsi acciperetur in forma imperativa non ideo probatum esset praeceptum, est enim potius invitatio ad legendum, et quidem ad scopum certo demonstrandi Christi divinitatem. Ibi enim agebat Christus cum Iudaeis, qui eius divinam missionem recipere detrectabant, quos primum convincit testimonio Iohannis Baptistae, deinde addit argumentum ex miraculis a se patratis, ac postremo affert Scripturas Iudaeos invitans illis verbis: « Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vi-

tam aeternam habere, et illae sunt qui testimonium perhibent de me. » Ubi quaeso reperitur hic praeceptum absolutum, universale, non Iudaeis tantum sed et Christianis omnibus impositum Scripturas legendi? Nec opus est immorari in aliis testimoniis quae adducere solent ex. gr. Act. XVII. 11, Rom. XV. 2, 4; Tim. III. 15, Iac. I. 21, in quibus evidens est nullum contineri praeceptum, sed dumtaxat exhortationes ad Scripturas legendas, aut earum elogium, vel exemplum illorum qui studio Scripturarum operam dabant. Ex Scripturis igitur praeceptum hoc probari non potest. (1) Neque ex traditione Ecclesiae idem praeceptum ostendi potest. Tantum enim abest quominus Romani Pontifices, Concilia, SS. Patres affirment omnibus indiscriminatim fidelibus officium incumbere Scripturas legendi, ut potius contrarium passim tradiderint. Sufficiat pauca testimonia ex multis citare. S. Irenaeus adv. haeres. lib. III. cap. 4, n. 2 scribit: « Quid autem si neque Apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt (Apostoli) iis quibus committebant Ecclesias? Cui ordinationi assentiunt multae gentes barbarorum eorum, qui in Christum credunt, *sine charta et atramento* scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem, et *veterem traditionem* diligenter custodientes, in unum Deum credentes ». Tertullianus *de Praescript.* c. XIV explicans Christi verba ad paralyticum ita paucis concludit: « Fides tua te salvum fecit, *non exercitatio Scripturarum.* Fides in regula (Symbolo) posita est. » Eodem sensu Clemens Alexandrinus in Paedag. Lib. XI. cap. 11: « Fides, inquit, *absque literis* discitur.» S. Cyrillus Hierosol. Catech. 5ª n. 12 scribit: « Cum non omnes possint Scripturas legere, sed alios quidem imperitia, alios vero occupatio quaedam a cognitione impediat, ne anima per ignorationem intereat, paucis versiculis universum fidei dogma comprehendimus. » Cui concinit S. Iohannes Chrysost. praesertim in Homil. I in Epist. ad Romanos, ubi postquam fideles ad Scripturas legendas hortatus fuisset subdit: « Verum quia plerique ex his qui huc nobiscum convenerunt, liberos, uxorem alendam, aedesque curandas susceperе, nec sese totos huic studio dare possent, ad ea quae

(1) Plura de his videri possunt apud Malou, op. cit. Tom. I, p.167-175.

alii collegerunt excipienda vos comparate, tantumque studium *dictis audiendis* adhibete, quantum colligendae pecuniae ». S. Hieronymus quamvis Scripturae studiosissimus, et eius lectionis suasor ac promotor, nullibi tamen omnibus indiscriminatim praeceptum imponit eam legendi, quinimo in Commentario in Epistolam ad Galatas lib. II. cap. 4 docet magis prodesse fidelibus auditam praedicationem, et expositionem Scripturae, quam eius privatam lectionem: « Scriptura divina, inquit, aedificat et lecta, sed *multo plus prodest si de literis vertatur in vocem*..... sciens itaque Apostolus maiorem vim habere sermonem, qui ad praesentes fiat, cupit vocem literis comprehensam, in praesentiam commutare, et quia hoc magis expediebat his qui in errore fuerant depravati, vivo eos ad veritatem retrahere sermone ». Ceteris omissis, clarissime in hanc rem scribit Augustinus de Doctrina Christ. Lib. I Cap. 29: « Homo fide, spe, et charitate subnixus, eaque inconcusse retinens *non indiget Scripturis* nisi ad alios instruendos. Itaque multi per haec tria etiam in solitudine *sine codicibus* vivunt. » Plura testimonia congesserunt saepius laudati auctores Malou op. cit. tom. I°. Cap. VI. Cherubinus op: cit: Tom. I° *Dissertatio proëm.* Quaest. III art. 5., et Fontana: *Constitutio Unigenitus theolog. propugn.* tom. III pag. 584 seqq. Decreta Conciliorum et RR. Pontificum adducere superfluum esset, adversarii enim concedunt nullum in his occurrere decretum, quo lectio Scripturae omnibus praecipiatur, contra vero multa in quibus eadem lectio vel prohibetur, vel adiectis conditionibus restringitur. Quomodo igitur suspicari possunt divinum hac de re praeceptum existere si Ecclesia, eiusque praecipui Doctores illud semper ignorarunt? Scimus quidem Protestantes nonnulla SS. Patrum testimonia in medium adducere ad suam sententiam confirmandam, et quidem (ut observat laudatus Malou) absque maturo examine plerumque excerpta ex opere Leandri Van Ess cui titulus: *Extrait sur la nécessité et l'utilité de la lecture de la Sainte Bible tirés des saints Peres.* Bruxelles 1820; haec tamen omnia nihil aliud probant nisi Patres sollicitos fuisse de Scripturarum studio promovendo, cum debitis restrictionibus et cautelis, numquam vero eos Scripturarum lectionem ad salutem omnibus necessariam praedicasse. Difficultatem quamdam praeseferunt verba Chrysostomi in homil. IX in Epist. ad Colossenses ubi

ait: « Audite, obsecro, saeculares omnes, comparate vobis biblia, animae pharmaca, si nihil aliud vultis, vel novum Testamentum acquirite, Apostolorum acta, Evangelia etc » et in Concione III de Lazaro n. 2 ait: « Non potest fieri ut quisquam salutem assequatur nisi perpetuo versetur in lectione spirituali. » Verum si intimius inspiciatur mens Sancti Doctoris apparebit eum longe abesse a Protestantium sententia. Non enim praecipiendo haec ait, sed hortando, nec omnino absolute sed relative ad circumstantias et dispositiones suorum auditorum, et quidem non sine oratoria quadam hyperbole ad animos fidelium a torpore et desidia excitandos. Eius enim aetate invaluerat inter fideles Ecclesiae Cpolitanae tepiditas quaedam et negligentia circa sacram Scripturam, quam multi penitus ignorabant, et cuius lectionem monachis tantum utilem existimabant: de hac negligentia saepe conqueritur Chrysostomus non modo in citatis homiliis, sed et alibi passim ut in homil. I in Matthaeum n. 6, hom. II in eumdem n. 5, homil. XI in Iohannem n. 1, homil. XXXII in eumdem n. 3, hom. in illud *Salutate Priscillam* (Opp. tom. III pag. 173) etc.; ut autem remedium huic malo afferret non cessabat auditorum socordiam reprehendere, eisque privatam Scripturae lectionem commendare, excellentiam huius lectionis vehementer extollens, et exaggerans ut eorum animos commoveret. Verum nunquam eo usque progressus est ut formale praeceptum imponeret legendi Scripturam, ut ex testimonio superius recitato manifestum est, itemque ex pluribus aliis in ipsis homiliis modo laudatis, in quibus etiam contentus est ut quaedam tantum Scripturae partes faciliores legantur. Nec est omittendum *lectionem* Scripturarum a Chrysostomo passim intelligi latiori sensu pro expositione Scripturae quae in Ecclesia a pastoribus fit, imo etiam aliquando generatim pro publica praedicatione de fide ac religione Christi (1).

3° Adversariorum obiectiones fere omnes praeoccupatae sunt

(1) Ita ex. gr. in hom. XXIX in Genesim n. 2: « Vidistis, inquit, quomodo quacumque calamitate humanam naturam premente, congruens ex Scripturis antidotum accipere liceat... propterea obsecro ut frequenter huc veniatis, et divinae Scripturae *lectionem* diligenter *auscultetis*»; et in hom. III in Matthaeum n. 6 aiebat: « non modicum certe *ex auditu* accedet lucrum... ne itaque contemnamus divinarum *lectionem* Scripturarum ».

in argumentorum expositione : nonnulla tamen addere solent Prot testantes et Iansenistae ex rationibus theologicis desumpta, quae parvi omnino momenti sunt.

Dicunt itaque 1° Scripturam esse, et dici a Patribus *epistolam Omnipotentis Dei ad homines missam,* et *instrumentum* in quo Dei voluntas hominibus manifestatur. Porro iniuriosum Deo esset aut eius epistolam non legere, aut eius voluntatem non ediscere.

Responsio per se patet. Si enim nullum aliud esset medium ad ea quae in Scripturis continentur ediscenda, nefas profecto esset eius lectionem negligere. At posita oeconomia Novae Legis, per Ecclesiam et ab Ecclesia omnes fideles facilius, certius et tutius discere possunt omnes veritates in Scripturis consignatas : et dum hoc faciunt perinde est ac si Deum ipsum, Christum Dominum, ex Apostolos audirent, dicente Domino Luc. X. 16 : « qui vos audit me audit »; et aiente Paulo 2 Cor. V. 20 : « pro Christo legatione fungimur, tamquam *Deo exhortante per nos.* » Quae non ad Apostolos tantum, sed ad omnes Ecclesiae pastores quavis aetate pertinent.

Addunt 2° Scripturas eo fine exaratas esse, ut omnes ex eis instruerentur, et consolationem acciperent, iuxta illud Apostoli Rom. XV. 4 : « Quaecumque enim scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus »; ergo nemo ab earum lectione sese eximere potest.

Respondemus haec omnia Scripturarum dumtaxat *utilitatem* de monstrare, et quidem semper suppositis debitis cautelis, ne id quod per se utile est noxium aut periculosum evadat. *Necessitas* autem inde numquam demonstrabitur, cum fideles et *instructionem,* et *consolationem* abunde possint haurire ex Ecclesiae praedicatione, ex Sanctorum scriptis, et exemplis, ex asceticis libris, ubi ipsarum Scripturarum medulla ac spiritus reperitur, et quidem accommodate ad simpliciorum fidelium captum magis quam nuda et commentaria destituta Scripturarum lectio.

Instat 3° M. A. Monod minister protestans Lugdunensis (1) Scripturae usum necessarium esse ad repellendas tentationes, idque probat exemplo Christi qui a Diabolo ter tentatus Matt. IV. 4, 7, 10 ei

(1) In Opusculo cui titulus: *Lucile, ou la Lecture de la Bible.* Paris 1842.

mpliciter opponit tres Scripturae citationes « Vos autem, inquit, uomodo invenietis speciales textus contra singulas speciales tentiones, si accurata illa Scripturarum notitia caretis, quae ex personali dumtaxat studio derivari potest? (op. cit. pag. 226).

Resp. Haec difficultas imprimis ex eo refelli posset quod nimis robet: non solum enim probaret praeceptum legendi Scripturam, ed etiam memoriter retinendi, et ita notam et perspectam habeni, ut occurrentibus singulis tentationibus specialem textum prompte t expedite diabolo opponere possemus. Sed pauci admodum huic peri pares esse possunt non solum ex vulgo fidelium, sed etiam x doctis ac in theologica scientia peritis. Exemplum igitur Salatoris non est ita ad literam accipiendum, sed eo tantum sensu ued veritates in Scriptura expressae, puta de poenis inferni pecatori reservatis, de Dei immensitate ac praesentia, de divinis beeficiis, et Christi passione, istae, inquam, veritates in mentem reocatae adversus tentationes efficacissimum remedium praebent; arum autem interest utrum quis ipsa Scripturae verba et species textus recordetur, et diabolo citare possit. Experientia et exemla sanctorum hoc confirmant: inde enim discimus pluribus moris tentationes vinci posse, etiam sine accurata et verbali notitia criptturarum.

Urget 4° idem auctor titulos Epistolarum Pauli qui ostendunt ad mnes indiscriminatim fideles eas dirigi, ad Corinthios, ad Epheos, ad Romanos etc., et concludit N. T. integro populo Christiano estinatum esse.

Attamen distinguant adversarii primos illos lectores Epistolaum a fidelibus sequentium aetatum. Illis quidem destinatae erant pistolae, et quidem plerumque ob specialem quamdam circumantiam, puta abusum, periculum, tribulationem in qua iidem ersabantur: ceteris autem fidelibus eo tantum sensu dici potest pistolas illas destinatas fuisse, quatenus pro omnium fidelium bono riptae sunt, et in Ecclesia conservatae, sed ad earum fructum ercipiendum non est absolute necessarium ut singuli fideles per ipsos eas legant, et intelligant, habent enim Ecclesiam quae ingram Scripturam conservat, eiusque scientiam possidet, quam sa tamquam bona mater filiis suis dispensat ad communem mnium utilitatem.

Demum 5° insistunt ministri (praesertim Monod. op. cit pag. 230 et Oster pag. 160) in praesumpta obligatione qua omnes fideles tenentur comparandi illud quod a pastoribus audiunt cum sacra Scriptura, et iudicandi utrum doctrinae sacrae Scripturae conforme sit, quam obligationem deducunt ex verbis 1 Io. IV. 1 « Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint »; et ex Gal. I. 8 et 9 : « Licet nos, aut angelus de caelo evangelizet vobis praeterquamquod evangelizavimus vobis anathema sit ». Iamvero id fideles praestare non poterunt nisi assidue in Scripturae lectione versentur.

Resp. Quamvis de his textibus alias disputatum sit, operae pretium erit pauca ex dictis in mentem revocare ad difficultatis solutionem. Imprimis autem indirecte respondere possemus praeceptum seu obligationem istam admitti non posse, eo quod esset moraliter impossibile eam observare. Fideles enim iuxta adversarios non solum deberent Scripturas legere, non solum paratos habere textus ad tentationes repellendas, sed totius Scripturae scientiam ita perfecte callere, ut per se iudicare possent de veritate vel falsitate doctrinae ab hominibus quantumvis doctis et ingeniosis propositae, et parati esse ad errores refellendos ex Sacra Scriptura. Sed quisnam hoc expectabit a simplici vulgo fideli, a rusticis, foeminis, pueris? Videant igitur adversarii quam grave et intolerabile iugum fidelium conscientiae imponant. Textus autem allati nihil tale continent, aut insinuant. Verba enim Iohannis referuntur ad specialem errorem Docetarum seu Phantasiastarum, qui negabant veritatem carnis Christi, et fideles monentur ne aures praebeant speciosis eorum sermonibus, sed probent spiritus praedicantium, an ex Deo sint: criterium autem quo haec probatio fieri debet non dicitur esse Sacra Scriptura, sed potius oralis praedicatio et traditio Apostolorum, ideo addit vers. 6: « Qui novit Deum *audit nos,* qui non est ex Deo *non audit nos: in hoc cognoscimus* spiritum veritatis, et spiritum erroris ». En criterium Catholicum quod Protestantium systema evertit. Similis responsio valet pro testimonio Apostoli Gal. I. 8 et 9.; ibi enim evidenter loquitur de sua et aliorum Apostolorum praedicatione, quae deinceps per Ecclesiae Pastores, et Apostolorum successores continuata est, et ad hanc normam revocandum esse dicit illud quod pseudo

ostoli Ecclesiae Galatiae perturbatores annunciabant, et exinde fellendum esse: de Scripturis ne verbum quidem. Et haec satis t de prima Theseos parte.

Probatur Pars secunda de *utilitate* lectionis Scripturae.

Utilitas lectionis ac studii Scripturarum, ut in Thesi dictum est, ectari potest sive *absolute et per se,* sive *relative* et in ordine ad rcumstantias et subiectivas singulorum hominum dispositiones. Sub imo respectu utilitas simpliciter admittenda est, sub altero vero spectu potest vel adesse, vel deesse, aut etiam pro utilitate peri-lum et damnum ex Scripturae lectione provenire potest. Utrum-e breviter ostendemus.

1° Scripturam *per se et absolute* utilem esse nemo Christianus quam negavit. Tradit hoc disertissime Apostolus in 2. Tim. III seqq. scribens: « Omnis Scriptura divinitus inspirata *utilis est* docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum iustitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum in-uctus ». Cui concinit Petrus Scripturam laudans, eamque com-rans *lucernae lucenti in caliginoso* loco (2. Pet. I. 19). Patres am imprimis Iohannes Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus et rnardus utilitatem Scripturae summopere extollunt.

2° Attamen quod per se bonum atque utile est facile fieri potest itile aut noxium ob defectum illorum qui eo utuntur, quemadmo-m solidus cibus stomacho infirmo vel aegrotanti nocet, et debi-res oculos meridiana lux solis laedit atque obtundit. Hoc igitur am de Scripturae lectione fieri potest ac solet, quidquid contra otestantes iactent. Id itaque probatur 1) ex *rei natura.* Sane, alias demonstravimus, et experientia ostendit, Scriptura valde cura est et intellectu difficilis, sive considerentur res quae in continentur, sive modus quo exponuntur, sive etiam ratio uendi, ita ut ipsi theologi et docti innumeras difficultates in ea ndant, quibus superandis longum studium et indefessus labor sufficit. Quanto igitur magis imperitis, et indoctis, seu promi-ae fidelium plebi Scriptura difficilis esse debet? Facile ergo i potest ut rudis quispiam Scripturam in manus sumens, et pro-o marte eam intelligere satagens mente sua confundatur, scan-um patiatur, in dubia et perplexitates incidat, atque ita damnum ius quam utilitatem inde percipiat. Accedit Scripturam de mo-

rum praeceptis, ac de vitiis coercendis tractare, in quibus hallucinatio facile oriri potest ob corruptae naturae passiones, quae iudicium perturbant, et sensum alioquin obscurum in proprias partes trahere satagunt. Confirmari posset hoc argumentum sequenti exemplo. Supponamus codicem civilem alicuius gentis (qui ceteroquin semper claris verbis conceptus est, et certe sacra Scriptura multo clarior) singulis civibus tradi legendum, commentandum et applicandum; brevi admodum tempore tot erunt sententiae quot capita, et unusquisque iuxta suum placitum, suamque utilitatem verba textus detorquebit: hoc ipsum facile evenire potest de Sacra Scriptura, quae est sacer codex Christianorum. Verum quidem est haec argumenta plenum valorem habere in hypothesi Protestantium, qui liberum unicuique relinquunt iudicium de sensu Sacrae Scripturae circa fidem et mores, absque ulla prorsus dependentia a traditione et iudicio Ecclesiae. Attamen etiam in systemate Iansenistarum qui cum Catholicis conveniunt in admittendo magisterio Ecclesiae, pericula superius numerata haud prorsus removentur. Plurima enim occurrunt in Sacra Scriptura de quibus Ecclesia iudicium non pronunciavit, nec expectari potest simplices ac rudes fideles ita sensum traditionis, et analogiam fidei catholicae perspectam habere ut in locis obscuris interpretandis ab ea non discedant, et errorem cavere possint: quibus si addatur animi arrogantia in iudicio ferendo de rebus quae propriam scientiam et capacitatem superant, errores ac praeiudicia, quae facile vulgo animum occupant, passionum tumultus et alia huiusmodi, unusquisque videt multis etiam in catholica Ecclesia educatis Scripturae lectionem periculum ac damnum creare posse. Quod si supponatur lectorem esse doctrina fidei probe imbutum, pio ac docili spiritu plenum, semperque paratum suum iudicium doctioribus submittere, imprimis vero pastorum Ecclesiae sententiae, tunc ultro fatemur huic lectionem Scripturae vere utilem fore: verum non omnes indiscriminatim fideles in his conditionibus versari nemo est qui non videat. 2) *Ex facto* et experientia idem confirmatur. Notum est veteres haereticos ex Scripturis absque debitis cautelis perlectis et interpretatis errores suos confirmare solitos fuisse, quarum etiam testimoniis simplices fideles saepe decipiebant, et in suas partes trahebant, unde illud tritum Augustini testimonium: « *Non en*

atae sunt haereses et quaedam dogmata perversitatis illaqueantia nimas, et in profundum praecipitantia, nisi dum Scripturae bo-ae intelliguntur non bene, et quod in eis non bene intelligitur etiam mere, et audacter asseritur ». Recentiori vero aetate habemus xperientiam malorum quae passim orta sunt ex promiscua et in-screta Scripturae lectione omnibus fidelibus permissa, et incul-ta primum ab Albigensibus et Valdensibus, tum vero a Prote-antibus. Tam gravis inde confusio exorta est, tam multae et scordantes sectae, tot fanaticorum hominum excessus in Anglia raesertim, Scotia, Germania et Gallia, ut ipsi doctiores Protestan-s hisce perterriti fuerint, et malo frustra remedium quaesierint. raeter argumenta, exempla, et testimonia alibi adducta, audiatur . gr. doctus Angelicanus Br. Walton qui in *Praef. ad Poly-otta* ita scribit : « Aristarchus olim vix septem sapientes in Grae-a invenire potuit, et apud nos, ut verbis utar viri docti, vix tidem idiotas est reperire ; omnes enim sunt doctores, omnes elitus instructi. Nullus est ex vilissima faece plebis fanaticus t agyrta qui non somnia sua pro verbo Dei venditet. Apertus im videtur puteus abyssi, ex quo ascendit fumus qui coelum et rras obscuravit, et exierunt locustae cum aculeis, sectariorum et ereticorum numerosa soboles, qui omnes antiquas haereses re-varunt, et plurima opinionum portenta de novo intulerunt ; ex iorum vero castris prodierint, omnibus notum. Hi sunt qui ci-tates, pagos, castra, domus impleverunt, imo Ecclesias et pulpita cuparunt, et populum misere seductum in foveam secum prae-pitant. » Neque id tantum in castris Protestantium locum habuit d etiam in Ecclesia et in regionibus catholicis similes abusus olim repserant, cum opera Valdensium eorumque fautorum indiscre-s zelus legendi Scripturas, seu vera bibliomania animos fidelium ibusdam in locis invasisset ut in cap. I narravimus. Idque etiam etur alius doctus Protestans Fr. Hurter (postea ad catholicam clesiam conversus) in vita Innocentii III Lib. 14.

3° Argumenta ab adversariis adducta plus minus eadem sunt con-a hanc alteram ac contra primam Theseos partem. Hic vero specia-n urgent laudata testimonia Pauli 2 Tim. III. et Petri 2 Pet. 1. ibus dicunt demonstrari summam Scripturae utilitatem pro omni-s indiscriminatim fidelibus absque ulla exceptione vel restrictione.

Sed perperam omnino. Nam Paulus ibi loquitur de obiectiva Scripturae utilitate, quam ex se habet, non autem de relativa et subiectiva utilitate pro singulis fidelibus : imo de vulgo fidelium directe loqui non videtur, sed potius de Episcopis seu Pastoribus saltem principaliter. Alloquitur enim Timotheum Episcopum, eique Scripturam commendat, et varias etiam species utilitatis enumerat, quae magis Pastoribus quam populo conveniunt, ad Pastores enim proprie pertinet *docere, arguere, corripere et erudire* ex Scripturis. Testimonium autem Petri praeterquamquod speciatim refertur ad Iudaeos qui nondum erant perfecti in fide, et confirmandi erant in Evangelio per comparationem ac studium Librorum V. T. potest praeterea contra adversarios retorqueri. Petrus enim statim subdit « hoc primum intelligentes quod omnis prophetia Scripturae *propria interpretatione non fit* », quod Protestantium opinioni contradicit: et insuper in c. III. eiusdem Epistolae v. 16 loquitur de indoctis, et instabilibus, qui non intelligentes ea quae in *Epistolis Pauli,* et in *ceteris Scripturis* occurrunt *difficilia intellectu* eadem *depravant ad suam ipsorum perditionem,* quo ipso affirmat fuisse aliquos inter fideles, quibus lectio Scripturarum non utilis, sed exitiosa erat. Huiusmodi autem indocti, et instabiles in Ecclesia numquam desunt.

Haec sufficiant circa veram doctrinam Ecclesiae de lectione Scripturarum sive necessitate, sive utilitate.

Corollarium. « Ecclesiae Pastores ius habent Scripturarum lectionem in linguis vernaculis invigilandi, moderandi, aut etiam coercendi pro temporum ac personarum adiunctis.» Hoc corollarium e tota Theseos demonstratione sua sponte fluit. Probatum est enim lectionem Scripturae omnibus fidelibus 1° ad salutem necessariam non esse, 2° modo utilem, modo periculosam aut noxiam animabus fidelium esse posse. Atqui ea quae de iure divino praescripta non sunt ad salutem obtinendam, et ex alia parte possunt esse vel media ad salutem, vel impedimenta, eo ipso Ecclesiae vigilantiae et potestati subiecta sunt, cui officium a Christo commissum est fideles in viam salutis dirigendi. Ergo ad Ecclesiae Pastores pertinet huiusmodi negotium practice, et secundum adiuncta moderari, legesque de eo ferre. Re autem ita declarata, mole sua ruunt ratiunculae illae, et declamationes, quibus tum Protestantes tum

nsenistae tantopere delectantur, cum dicunt: fideles arcere a
ripturae lectione idem esse ac illis os Christi obstruere, filiis
cis lucem negare aliaque similia. Ecclesia enim, quae *os Christi*
re dici potest, fidelibus loquitur, eosque clarius et tutius docet
iam si ipsi Scripturas legerent, quas recte intelligere non pos-
nt, et literae mortuae substituit vivam vocem Pastorum, quibus
ctum est « qui vos audit *me audit:* » similiter Ecclesia filiis
cem non negat si quando eos arcet a lectione Scripturae, sed
orum imbecillitati parcens lucem Scripturarum, quae oculorum
iem eis perstringere vel obtundere posset eorum infirmitati ac-
mmodat. Sed non vacat diutius in his nugis immorari. Ceterum
ec plenius adhuc diluentur in sequenti articulo, ubi de praxi
clesiae, in re de qua agimus, plura dicentur.

ARTICULUS III.

Ecclesiae praxis ac legislatio circa scripturae sacrae lectionem in linguis vulgaribus.

Protestantes non modo *theoretice* errant circa lectionis Scriptu-
e necessitatem ac utilitatem, ut modo vidimus, sed etiam *histo-
ice,* dum asserunt Ecclesiam absolute et universim vernaculas
ripturae versiones earumque usum prohibere, eique adscribunt
rava et odiosa motiva huic suppositae disciplinae sanciendae, quasi
empe id fecerit ad suam potestatem ultra debitos limites amplifi-
ndam, et ad fideles in errore ac superstitione detinendos. Quam
lsa haec sint, et a praeiudicatis animis profecta certissimis argu-
entis demonstrari potest. Quare haec breviter exponemus in
equenti propositione.

THESIS II (XXII).

Nunquam Ecclesia absolute *et* universim *prohibuit fidelibus Sacrae Scripturae lectionem in lingua vernacula, sed pro variis temporum, locorum ac personarum adiunctis modo probavit, modo improbavit aut coercuit eamdem lectionem, idque unice ut ipsorum fidelium bono, ac utilitati prospiceret: in praesenti vero Ecclesiae disciplina, de iure communi, omnes omnino fideles, servatis tantum quibusdam conditionibus, Scripturam in sua lingua legere possunt.*

Haec Thesis in tres partes dividi potest, quarum prima est de praxi et legislatione Ecclesiae anteactis temporibus; secunda de motivis ac rationibus huius praxeos ac legislationis; tertia de actuali Ecclesiae disciplina. De singulis breviter.

Probatur *pars prima.*

Ecclesiam nunquam absolute et universim prohibuisse vulgarem Scripturae lectionem, sed tantum pro locorum et temporum varietate diversas leges tulisse sequentia probant.

Primis Ecclesiae saeculis nullam prohibitionem aut restrictionem in re de qua agimus extitisse apparet ex historia, et facto versionum biblicarum. Omnes enim versiones, quas nunc antiquas et liturgicas vocamus, olim vernaculae dici poterant, et erant, quousque scilicet linguae quibus exaratae sunt in ore populi permanserunt. Ita ex. gr. Syriaca versio usque ad seriorem aetatem ab omnibus Syris intelligebatur utpote eadem lingua loquentibus, ita Armenica ab Armenis, Coptica a Coptis, Abyssinica ab Aethiopibus et ita porro, et ut in specie de Vulgata latina loquamur, haec in occidentali Europa mansit vere vernacula versio usque ad X saeculum circiter, nam omnes usque ad illam aetatem latine sciebant et loquebantur. Prima vestigia prohibitionis versionum vernacularum occurrunt in fine saec. XII. Vidimus enim primo Innocentium III a Metensi Episcopo interrogatum vulgarem gallicam versionem fidelibus illius loci interdixisse, et paulo post similem prohibitionem factam fuisse in Concilio Tolosano anno 1229 Canon. XIV. Verum haec decreta illa dumtaxat loca respiciebant, non autem univer-

am Ecclesiam, et provocata fuerunt a fidelium quorumdam abusu, et ab Albigensium machinationibus, qui simplices fideles ab avita ide, et a sinu Ecclesiae avellere conabantur, ut supra narravimus. dem dicendum est de decreto Synodi Oxoniensis anno 1408 occasione similis abusus promulgato. Post ortam vero Reformationem, um Protestantium variae sectae alias atque alias Scripturae versiones subinde inducerent vel parum accuratas, vel omnino haereeos veneno infectas, iisque errores suos confirmare, atque in vulgus spargere nunquam desisterent, Ecclesia tanto fidelium periculo ommota severius agere coepit circa huiusmodi versiones, earumque usum: hinc ortae sunt regulae Indicis a Concilio Tridentino praeparatae, et a Pio IV postea editae ac deinceps a pluribus summis Pontificibus confirmatae. Regula III ita se habet: « *Librorum autem V. T. versiones viris tantum doctis, et piis judicio Episcopi concedi poterunt, modo hujusmodi versionibus tamquam elucidationibus vulgatae editionis, ad intelligendam sacram Scripturam, non autem tamquam sacro textu utantur. Versiones vero N. T. ab auctoribus primae classis huius Indicis* (idest ab haereticis) *factae nemini concedantur, quia utilitatis parum, periculi vero plurimum lectoribus ex earum lectione manare solet. Si quae vero adnotationes cum hujusmodi quae permittuntur versionibus, vel cum vulgata editione circumferuntur, expunctis locis suspectis a facultate theologica alicuius universitatis Catholicae, aut Inquisitione generali, permitti eisdem poterunt quibus et versiones. Quibus conditionibus totum volumen Bibliorum quod Biblia Vatabli dicitur, aut partes eius concedi viris piis et doctis poterunt. Ex Bibliis vero Isidori Clarii prologus et prolegomena abscindantur; ius vero textum nemo textum vulgatae editionis existimet.* » Per hanc regulam prohibentur ipso facto versiones omnes Sacrae Scripturae ab haereticis, vel de haeresi suspectis exaratae, reliquae vero viris catholicis vulgatae non omnibus indiscrimitatim permittuntur. (1) De his tamen speciatim tractat sequens regula quae ita se habet:

(1) Deinceps Benedictus XIV expresse prohibuit: « *Biblia sacra haereticorum opera impressa, vel eorumdem adnotationibus, argumentis, summariis, scholiis, et indicibus aucta. Item Biblia sacra, vel eorum partes ab iisdem metrice conscripta.* » Quinimo hanc prohibitionem in

Regula IV. « *Cum experimento manifestum sit si sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti quam utilitatis oriri, hac in parte iudicio Episcopi, aut Inquisitoris stetur, ut cum consilio parochi vel confessarii Bibliorum a catholicis versorum lectionem vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint ex huiusmodi lectione non damnum, sed fidei et pietatis augmentum capere posse, quam facultatem in scriptis habeant. Qui autem absque tali facultate ea legere, seu habere praesumpserit, nisi prius bibliis Ordinario redditis, peccatorum absolutionem percipere non possit. Regulares vero nonnisi facultate a praelatis suis habita, ea legere aut emere non possint.* » Per hanc regulam vetatur usus versionum vulgarium etiam Catholicorum, non tamen *absolute*, uti patet: siquidem iudicio ac prudentiae Episcoporum ac Praelatorum relinquitur licentiam eas legendi fidelibus concedere. Verum quidem est praefatam regulam ob auctum ex fraudibus haereticorum periculum a Sixto V arctiorem factam fuisse, sublata episcopis facultate licentiam illam concedendi, eaque summo Pontifici reservata, quae reservatio postea confirmata fuit a Clemente VIII per *Monitum* adiectum regulae IV Indicis in nova eius editione. Verum mutatis circumstantiis, huiusmodi reservatio in desuetudinem abiit, ita ut ex tacito Sanctae Sedis consensu Episcopi coeperint iterum praefatam licentiam fidelibus elargiri. Nec est omittendum regulas Indicis non respicere directe nisi versiones in linguis vernaculis, ut ex verbis patet, et nullam hic quaestionem fieri de vulgata latina, quae semper omnibus indiscriminatim permissa fuit, dummodo opera catholicorum impressa sit. Denique per Benedictum XIV rigor ille tantopere relaxatus est, ut nunc etiam vulgares versiones omnibus permissae sint sub quibusdam conditionibus, ut inferius in tertia parte Theseos dicetur.

Ex his iam satis apparet Ecclesiae disciplinam pro variis ad-

praefatis Indicis regulis comprehensam fuisse declaravit Pius VII in Brevi ad Episcopum Gnesnens. 29 Iunii 1816 inquiens: « *Biblia opera haereticorum impressa vetitis libris accenseri iuxta Indicis regulas.* » Unde sequitur non modo haereticas versiones, sed etiam catholicas, imo ipsos sacros textus hebraicum et graecum, si opera haereticorum imprimantur, per se prohibitos esse.

unctis variam fuisse, modo strictiorem, modo leniorem, nunquam vero ita rigidam ut lectionem vulgarem Scripturae universim et absolute fidelibus inhibuerit. Sed ad hoc melius declarandum, et ad plenius refellendam adversariorum assertionem, quod Ecclesia lectioni Scripturarum vernaculae adversa sit, sufficit in mentem revocare plures, tum ante, tum post Concilium Tridentinum vulgares Scripturae versiones editas fuisse, non modo non contradicentibus, sed et suadentibus et probantibus Ecclesiae pastoribus ac Romana Sede, ut ex. gr. fuit versio Emserii et Eckii anno 1522 et 1540 in Germania, celebris versio Duacensis anno 1609 pro Anglis, versio P. Wiechii S. J. in Polonia, suadente Gregorio XIII et probante ipso Clemente VIII, versiones Malerbi, et Iac. de Voragine in Italia aliaeque plures, de quibus in fine huius Appendicis. Antequam Protestantes principia sua spargere coepissent iam 800 fere editiones Bibliorum per Europam vulgatae fuerant, ex quibus maior quidem pars repraesentabant Vulgatam latinam, non paucae tamen versiones in vulgaribus Europae linguis; quinimo ipsa Vulgata tunc quodammodo vernacula dici poterat, cum a aetate fere quotquot legere poterant latinam linguam intelligerent.

Probatur *pars secunda*.

Ecclesiam in varia illa disciplina sancienda nihil aliud praeoculis habuisse quam bonum atque utilitatem fidelium ipsa rei historia ostendit, quam modo exposuimus, dummodo aequo animo, et absque praeiudicatis opinionibus perpendatur. Sane ex dictis apparet Ecclesiam tunc tantum prohibuisse, seu potius limitasse vulgarem Scripturae lectionem, cum vel abusus aliquis irrepsisset circa eamdem lectionem ex parte ipsorum fidelium, vel periculum aliquod ipsis immineret; cum vero nihil horum timendum erat non solum non cohibuisse, sed potius commendasse omnibus et inculcasse Scripturarum lectionem. Scilicet eodem modo se gessit Ecclesia in hoc negotio quo semper in omnibus rebus ad disciplinam spectantibus, ut, salvis fundamentalibus principiis, suam legislationem adiunctis ac exigentiis fidelium accommodet. Perperam igitur Protestantes Ecclesiam accusant de contradictione, aut inconstantia, cum potius eius sapientiam, ac maternam sollicitudinem suspicere deberent.

Quod autem adiuncta aliquando talia fuerint ut severiores illas legum dispositiones postularent res ipsa loquitur. Duo scilicet erant mala timenda ex promiscua et inconsulta vulgarium versionum lectione, perversio scilicet fidelium ex male intellecto Scripturae sensu, et ipsius verbi Dei corruptio. Sane cum primo Innocentius III et Concilium Tolosanum Scripturae lectionem cohibuerunt malis artibus et fanatico zelo Albigensium et Valdensium plurimi fideles in errores trahebantur, contra legitimos pastores sese extollebant, et de fide ex Scripturis iudicium pronunciare affectabant absque debita subordinatione magisterio ac sensui Ecclesiae, cui Christus munus docendi tradidit. Accedit ipsas versiones a praefatis haereticis in vulgus disseminatas parum accuratas fuisse et erroribus eorum accommodatas, expositio etiam plurium textuum Scripturae falsa et haeretica iam in antecessum fidelibus tradita fuerat a sectariorum praedicatoribus, ita ut postea suas illas versiones fidelibus tradentes facilius illis persuaderent suas opiniones in Scripturis contineri. Eadem autem pericula renovata sunt et aucta post ortam Reformationem. Versiones enim vulgares Germanicae, Anglicae, Gallicae et aliarum linguarum ab innumeris Protestantium sectis editae fuerunt, quae omnes plus minus erroribus infectae erant, et ad praeiudicatas opiniones errorumque commenta accommodatae, iisque haeretici utebantur ad fideles pervertendos. Versio Lutheri, fatentibus ipsis Protestantibus, erroribus foedata est, quorum non minus 1400 numeravit Hier. Emserus (1). In Anglia priores versiones sub Henrico VIII et Elisabetha vulgatae, nempe versio Tyndale, versio Converdale et versio *Episcoporum* dicta (*the Bishops' Bible*), nec non versiones Cranmer, Matthew aliorumque tot erroribus et sensus corruptionibus refertae ipsis Protestantibus visae sunt ut regis iussu prohibitae fuerint, eisque alia substituta, quae a Iacobo I nomen obtinuit et ab anno 1610 usque nunc veluti authentica versio apud Anglicanos habita est: interim vero gravissimi Anglicani scriptores, quibus consentit Horne, non dissimulant multos in hac versione errores contineri; qua de causa nunc novae eius recensioni concinnandae insudant, quae omnium votis satisfaciat. Idem dicendum est de prote-

(1) V. Audin: *Vie de Luther*, deuxième édition, to. I, pag. 430.

stanticis aliarum gentium versionibus, et de Italica Io. Diodati in gratiam Calvinistarum vulgata eorumque erroribus favente. Ad munus ergo Ecclesiae omnino pertinebat tanto malo remedium afferre et a tanto periculo simplicem fidelium turbam defendere. Neque dicas has rationes non valere pro versionibus vulgaribus a viris catholicis confectis. Licet enim periculum minus esset in his versionibus legendis, et ideo Ecclesia pluribus earum lectionem permiserit, ut modo vidimus, ob circumstantias tamen illorum temporum, et ob dominantem, ut ita dicam, spiritum et quasi furorem, quem Protestantes ubique excitabant, Scripturam proprio ingenio interpretandi, magnum ex his quoque versionibus periculum pluribus imperitis et instabilibus catholicis imminebat: quando vero spiritus ille sensim sine sensu deferbuit, ideoque periculum illud magna ex parte cessavit, coepit Ecclesia de sua severitate paullatim remittere, quibusdam tantum necessariis cautelis contenta. Demum ad disciplinae Ecclesiae in hac re prudentiam et opportunitatem ostendendam nihil magis valet quam miseranda et ridenda series abusuum, superstitionum, et fanaticorum excessuum quibus occasionem dedit promiscua illa Scripturarum lectio, et interpretatio omnibus permissa: horum exempla nonnulla dedimus in alio loco, alia multa referunt Milner, itemque *Collectio* Gallica documentorum concernentium constitutionem *Unigenitus*, (Vide Fontana op. cit. ad Prop. LXXXIII Cap. I Tom. III. col. 817 et seqq.).

Probatur *pars tertia.*

Nunc ad hodiernam Ecclesiae disciplinam quod attinet, absolute affirmamus, hodie neminem ex fidelibus impediri quominus S. Scripturam sua lingua legere possit absque ulla speciali vel Episcopi vel inquisitoris licentia, servatis dumtaxat quibusdam conditionibus, nempe ut versio a Catholico auctore exarata fuerit, et a Sede Apostolica vel ab Ordinario approbata, eidemque adnotationes orthodoxae adiectae sint.

Nova haec disciplina inducta fuit per decretum Sacrae Congr. Indicis a Benedicto XIV approbatum die 13 Iunii 1757, quod ita se habet: « *Quod si huiusmodi Bibliorum versiones vulgari lingua fuerint ab Apostolica Sede approbatae, aut editae cum adnotationibus desumptis ex SS. Ecclesiae Patribus, vel ex doctis catholicisque viris conceduntur.* » Hoc decretum confirmatum fuit a Pio VII

in Brevi sup. cit., a Pio VIII in Encyclica 24 Maii 1829, et a Gregorio XVI in Encyclica 8 Maii 1844, cuius haec sunt verba ubi de regula IV Indicis loquitur: « *Eidem regulae nova subinde propter perseverantes haereticorum fraudes cautione constrictae* (nempe per Sixtum V et Clementem VIII) *ea demum auctoritate Benedicti XIV adiecta declaratio est, ut permissa porro habeatur lectio vulgarium versionum, quae ab Apostolica Sede approbatae, aut cum adnotationibus desumptis ex doctis catholicisque viris editae sunt.* » Ex verbis declarationis modo recitatis apparet duas illas conditiones disiunctive esse accipiendas, ait enim: si fuerint ab Apostolica Sede approbatae, *aut* editae cum adnotationibus etc. Quapropter si versio non sit approbata a S. Sede, sed tamen orthodoxa sit et orthodoxas adnotationes adnexas habeat potest legi: et reipsa multae versiones a fidelibus leguntur quae nunquam a S. Sede approbatae fuerunt ex. gr. celeberrima Anglorum versio Duacensis. Requiritur tamen approbatio Ordinarii, aut Synodi provincialis ob generales Regulas Indicis, quae in hac parte revocatae non sunt. Eadem de causa, et ex posterioribus etiam declarationibus dicendum est adnotationes semper requiri ad hoc ut fideles versione aliqua vernacula uti possint, ita ut versiones etiam catholicae nec possint ab Episcopis approbari si adnotationibus destitutae sint, et quae alias ab Episcopis, vel etiam a Sancta Sede fuerant approbatae nec imprimi, nec legi possint ab omnibus sine adnotationibus originariae editioni adiectis. Apparent haec ex Monito Congr. Indicis die 7 Ianuarii 1836 ubi legitur: « Revocanda iterum esse in memoriam quae alias decreta sunt: vernaculas nimirum bibliorum versiones non esse permittendas nisi quae fuerint ab Apostolica Sede approbatae, aut editae cum adnotationibus desumptis ex Sanctis Ecclesiae Patribus, aut ex doctis catholicisque viris: *iis praeterea omnino insistendum* quae per regulam IV Indicis, et deincips ex mandato Clementis VIII in eam causam praestita fuerunt.» Extat praeterea *Responsum* Sacrae Congr. Inquisitionis (apud Scavini Theolog. Moral. Tom. 2. p. 461) circa impressionem versionis Italicae Martini quod ita se habet: « Congregationi propositum fuit dubium utrum permittenda sit impressio versionis V. et N. T. exaratae per R. A. Martini sine textu latino, et sine notis? Sacra Congregatio Inquisitionis respondit: *negative*.»

Hoc igitur est ius commune nunc vigens in Ecclesia. Quamvis enim laudata decreta ac declarationes, quibus mitigatur severitas regulae IV Indicis sint tantum facultativa, ideoque integrum sit Episcopis pro suis dioecesibus, ob speciales causas, urgere adhuc prohibitionem Indicis, et sibi reservare facultatem concedendi aut negandi fidelibus licentiam versiones vernaculas etiam approbatas notisque instructas legendi, quemadmodum revera factum est in nonnullis dioecesibus Belgii, quamvis, inquam, hoc verum sit, tamen in plerisque, seu fere omnibus dioecesibus catholicae Ecclesiae haec licentia non exigitur, quare absolute dici potest hanc esse hodie generalem Ecclesiae disciplinam.

Adversus primam et secundam Theseos partem multa quidem obiiciunt ministri Protestantes, qui omnibus modis ostendere conantur Ecclesiae Romanae legislationem in hac re fuisse tyrannicam, abusivam, incohaerentem. Verum ex his alia in Thesi praecedente soluta fuerunt, alia in ipsa argumentorum expositione praeoccupata sunt. Sufficit enim totam historiae narrationem attente, et absque praeiudicata opinione considerare, ut omnes calumniae, aequivocationes et insinuationes evanescant. Ab his igitur persequendis abstinemus. (1)

ARTICULUS IV.

DE SOCIETATIBUS BIBLICIS EARUMQUE DAMNATIONE

Ex dictis de Ecclesiae doctrina et praxi circa vulgarem Scripturae lectionem sequitur iure ac merito RR. Pontifices *Societates* quas vocant *biblicas* proscripsisse; istae enim et *theoretice* in falsis Protestantium principiis innituntur, et *practice* iis omnibus periculis, abusibus ac malis viam aperiunt et causam praebent, quibus avertendis Ecclesia Catholica per suam legislationem sollicite operam dedit. Ob rei tamen gravitatem nonnulla de his in specie dicenda sunt. Et primum pauca historice.

(1) Ceterum hasce obiectiones distincte et copiose refutatas invenies apud Malou, op. cit. Tom. I. Cap. 2 et 7, et apud Fontana, op. cit. Tom. III ad propositiones 69 et seqq. Quesnelli.

Societates biblicae, ut alibi innuimus, in sinu Ecclesiae Anglicanae ortum habuerunt initio huius saeculi. Plures ministri protestantes non modo Episcopales, sed et aliarum sectarum simul convenerunt in urbe Londinensi die 7 Martii anno 1804 ad scopum consulendi faciliori et rapidiori propagationi Sacrae Scripturae, quam unicam fidei regulam Protestantes agnoscunt. Collatis itaque consiliis solemniter fundarunt *Societatem Biblicam Anglicam* et *exteram,* sic enim eam appellarunt, cuius munus esset curare ut quamplurima Sacrae Scripturae exemplaria in omnium gentium linguis accurate imprimerentur et in populis quam maxime disseminarentur nulla facta regionum, aut religionis distinctione. Huic operi statim manum admoverunt ingenti pecuniae vi undique collecta, et suppetias ferentibus aliis biblicis societatibus in variis regionibus constitutis, et a Societate illa matre dependentibus, quas societates *adiutrices* vocant. Anno 1826 per decretum praefatae Societatis suppressi fuerunt et expuncti ex V. T. versionibus septem libri deuterocanonici, quos Anglicani in sua recepta versione semper retinuerant et adhuc retinent, quamvis sub nomine *apocryphorum* seu *hagiographorum*. Hac de causa, et ob gliscentes quotidie abusus multi ex doctioribus Protestantibus alte conclamarunt adversus Societates Biblicas, ut Ersch, Gruber, Bretschneider aliique. Nihilominus tamen opes societatum biblicarum tam prospere se habuerunt et auctae sunt, ut sexaginta circiter annorum spatio usque ad annum 1867 summam 150,000,000 francorum in Bibliis edendis impenderint, atque 52,000,000 exemplarium Sacrae Scripturae in 170 diversis linguis ac dialectis distribuerint. Versiones ab istis societatibus editae partim novae sunt, illae praesertim quae in linguis barbaris populorum Africae, et Oceaniae conscriptae sunt, et istae plerumque a ministris Protestantibus in locis illis degentibus, missionum, uti aiunt, causa adornantur, aliae vero sunt notae versiones iam extantes sive protestanticae, sive etiam aliquando catholicae, quas Societas biblica suas facit, et reiectis adnotationibus, expunctisque libris deuterocanonicis V. T., inter Catholicos spargit, ut eos facilius alliciat: ita ex. gr. in Hispania versionem P. Scio, in Polonia versionem P. Wiecki, in Gallia versionem De Sacy distribuere satagunt. In versionibus autem haereticis, quae longe plures sunt, multa occurrunt adver-

is verum et orthodoxum Scripturae sensum, ac praeterea ver-iones in barbaris linguis a missionariis vulgatae ob imperfectam inguarum notitiam tot aliis erroribus scatent ut saepe indigenis isum aut indignationem excitent, ut in sequenti articulo accura-ius narrabitur. Ex his, aliisque causis Sancta Sedes praedictas ocietates biblicas earumque libros iure meritoque damnavit (1). Sed praestabit hac de re specialem Thesim constituere.

THESIS III (XXIII).

Iure ac merito Rmi. Pontifices Societates biblicas a Protestantibus institutas iteratis decretis improbarunt.

Ad hanc Thesim probandam hoc argumento utimur cum Per-one, aliisque doctis Ecclesiae defensoribus.

Illae societates merito ab Ecclesia damnatae sunt, quae falsis principiis innixae, spiritu et scopo anticatholico animatae, arro-antiam et insubordinationem in Christianis promovent, fidei pu-itatem corrumpunt, et ipsum Dei Verbum neque integre neque ideliter lectoribus praebent. Atqui huiusmodi sunt praefatae bi-licae societates. Quod ita per partes demonstrari potest.

1. Principia quibus innituntur societates biblicae sunt illa ipsa quae in praecedenti Thesi et alibi refutavimus, scilicet unicam idei regulam esse Sacram Scripturam, et legitimum eius inter-retem esse unumquemque fidelium, ideoque omnibus et singulis idelibus et ius inesse, et officium incumbere Scripturas legendi. Haec omnia falsa omnino esse, contraria oeconomiae revelationis Christo stabilitae, laesiva iuris Ecclesiae, et demum practice et n suis effectibus perniciosa superius satis demonstratum est.

2. Scopum ac spiritum harum societatum anticatholicum esse ec ipsi Protestantes dissimulant, imo publice fassi sunt ac faten-ur. Hinc eorum zelus biblia sua spargendi non solum inter in-deles, sed etiam et maxime in regionibus catholicis, sperantes se

(1) Societates biblicas damnarunt sequentes Pontifices: Pius VII in Brevi 9 Iunii 1816 ad Episcopum Gnesnensem, et in altero Brevi 3 Sept. 1816 ad pisc. Mochiloviensem: Leo XII Litt. Encycl. 3 Maii 1824: Pius VIII Litt. ncycl. 24 Maii 1829: Gregorius XVI Litt. Encycl. 8 Maii 1844: Pius IX itt. Encycl. 9 Novembris 1846.

fideles populos hac arte a debita Ecclesiae obedientia, et a sin ceritate catholicae professionis avertere posse. Hinc apud Italos ex gr. biblia Diodati Calvinistica haeresi infecta spargere satagunt, e etiam ubi catholicas versiones sine notis distribuunt conantur sup plere defectum haereticae versionis infinitos libellos, ephemerides tractatiunculas simplici plebi, operariis, agricolis gratis dispensan do, in quibus singula catholicae fidei dogmata, ut ex. gr. Sacrifi cium Missae, confessionem sacramentalem, infallibilitatem Pontifi ciam, invocationem Sanctorum, doctrinam de indulgentiis, aliaqu impugnare et evertere conantur, adductis in medium Scriptura testimoniis in vulgari lingua, eisque sosphistice et haeretice inter pretatis. Apud infideles autem illarum societatum socii ac propa gatores saepissime inveniuntur esse praecipui catholicorum missio nariorum adversarii, in quos aliquando etiam apertam persequutionem movent ut eorum opus impediant, et quibuscumque mediis, ali quando etiam fraudibus eorum neophitos a catholica missione a suas sectas pertrahant. Pro his omnibus testimonia et facta copio sissima occurrunt in annalibus *Propagationis Fidei,* nec non in pl niori historia missionum Protestantium a Marshall conscripta (1).

3. Arrogantiam et insubordinationem in fidelibus aeque ac in fidelibus per istas societates promoveri ex rei natura, et ex expe rientia comprobatur. Ex rei quidem natura, ut ex dictis apparet tendentia enim quam excitare volunt in lectoribus ea est ut seipso iudices constituant in negotio religionis, Ecclesiae praedicationem et pubblicam professionem ad examen revocent, et veluti ad tri bunal sui privati iudicii compellent ut quidquid visum non fuer cum sensu Scripturae ab ipsis invento convenire illico reiiciant Experientia autem id confirmat quemadmodum superius vidimu appellantes ad abusus, superstitiones, excessus quibus indiscre lectio Scripturae originem dedit. Quibus nunc addere possumu ipsos infideles opera biblicarum societatum ita frequenter dispon ut qui alias dociles ac pronos se exhibent ad veram fidem audien dam, deinceps difficillime ad amplectendam Christianam religionem adduci possint, ut ex. gr. in religionibus Australiae factum est.

(1) Vide T. W. M. Marshall: *Christian Missions; their agents, thei method and their results.* London 1862.

4. Fidei puritatem, opera societatum biblicarum corrumpi res st in facto posita. Quod enim plures Catholici hac ratione a fide t ecclesia defecerint frequenter audimus et ingemiscimus. Infieles vero, qui Protestantibus se adiungunt, aut nullam definitam dei formam habent, aut uni vel alteri praedicantium sectae noen dant, eiusque errores suscipiunt, aut etiam videntes discordiam uae inter varios ministros existit circa religionis dogmata de ombus dubitare incipiunt, aut ad suas superstitiones redeunt.

5. Demum quod ipsum Dei verbum et sacram Scripturam viont non minus apertum est. Imprimis enim usque ab anno 1826 ocietates biblicae suppresserunt in suis versionibus septem libros . T, quos Ecclesia Catholica tamquam partem Scripturae inspirae habet, et ipsi Anglicani in veneratione semper habuerunt, licet anonicos non reputent. Arbitraria haec et tyrannica dispositio soetatis biblicae Anglicae querelas et reclamationes excitavit ex arte etiam Protestantium, multo magis igitur eam damnare deuerunt RR. Pontifices supremi ac praecipui revelationis custodes. ed insuper pleraeque versiones a societatibus distributae Scrituram adulteratam et vitiatam continent sive hoc ex ignorantia, ve ex dolo originem habuerit. Ex innumeris exemplis quae adici possunt quaedam citasse sufficiat. (1) Versiones a Calvinistis onfectae ab anno 1545 cum Calvinus suam versionem vulgavit sque ad annum 1588, quo ministri Genevenses compleverunt suas bliorum correctiones, quamplures errores exhibent in quibus pro-

(1) Plura invenies apud Malou op. cit. Tom. II cap. IX praesertim circa rsiones gallicas societatum biblicarum, plura etiam legi possunt apud Chebinum a S. Ioseph op. cit. Tom. IV, ubi germanicas imprimis Protestanum versiones fuse et accurate expendit, innumerisque in medium prolatis m exemplis tum doctorum virorum testimoniis ostendit eas omnes quamures errores, et corruptiones continere Huiusmodi errores laudatus Malou stinguit in duas classes. Alii nempe sunt errores in locis obscuris et ntroversis orti ex praeiudicata opinione et modo cogitandi Protestantium oprio, alii vero sunt verae falsificationes inductae ob scopum polemicum ctrinam aliquam demonstrandi, aut catholicam veritatem facilius impuandi. Si primae classis errores, considerata interpretis dispositione et incibili ignorantia excusari aliquando possunt et bonae fidei quodammodo ibui, impossibile est alterius classis errores excusare, considerata etiam turali honestate, et aequitate. Ecclesia vero nec hos nec illos tolerare post cum eius fidei aeque repugnent (Pag. 204 seqq.).

gressus calvinianae haereseos elucet. Subsequentes enim editione aut versiones aliquid semper praecedentibus vel addunt vel detrahunt, donec ex Scriptura expunxerint per violentas interpretationes aut etiam contextus mutationes omnia argumenta quae catholici theologi contra Calvinistas afferre solent, et alios textus suis erroribus ita accommodaverint ut lectoribus eos persuadere possent. Ex huiusmodi gravissimis Scripturae depravationibus sati multae a biblicis societatibus in suis recentioribus versionibus, au editionibus receptae, vel conservatae sunt, ex quibus sequente notari possunt.

In versione Osterwal impressa anno 1843 opera et expensi Societatis biblicae Parisiensis in libro 2 Esdrae Cap. VIII 7. 8 ubi sermo est de Esdra Scripturas coram populo legente, additur Scripturam *per semetipsam explicatam fuisse,* quod in textu minime legitur, et data opera intrusum est in versione ad insinuandum Scripturam esse suipsius interpretem absque magisterio ac iudicio Ecclesiae. En integrum locum. Versio Hieronymi: « Levitae silentium faciebant in populo ad audiendam legem: populus autem stabat in gradu suo. Et legerunt in libro Legis Dei distincte, e aperte ad intelligendum: et intellexerunt cum legeretur. » Versio Osterwalli habet: « Les Levites faisaient aussi entendre la loi au peuple, et le peuple se tenait à sa place, et ils lisaient au livre de la loi de Dieu, et ils l'exposaient, et en donnaient l'intelligence, *la faisant entendre par l'Ecriture même.* » Similis in interpolatio occurrit Matth. XXV. 34 in verbis a Christo iudice proferendis in die extremi iudicii: « Venite benedicti Patris mei possidete paratum vobis regnum a Constitutione mundi. » Praefata versio addit « *paratum in haereditatem, en heritage* » quod in textu non invenitur, et consulto adiicitur ad extenuandam vim illius testimonii pro necessitate bonorum operum ad salutem. Pariter ad eliminandam in Scripturis doctrinam de traditionibus divinis, quas tamquam credendi et agendi regulas Ecclesia recipit, in praefatis versionibus Protestantes supprimunt vocabulum *traditio* et substituunt *magisterium, documentum, enseignement,* ita imprimis 2 Thess. II. 14. Et notandum est eamdem vocem graecam παραδοσις in locis ubi sermo est de corruptis Pharisaeorum traditionibus, ut Matth. XV. 2. 3., Gal. I. 14., Colos. II. 8

eddi per vocem *tradition*, ubi vero de divinis traditionibus est ermo, per vocem *enseignement*. Ita etiam vox πρεσβυτεροι quae *acerdotes* denotat iuxta usum biblicum et ecclesiasticum, in Calinistarum versionibus generatim vertitur *les anciens*, seu *senioes*, ut omnis sacerdotalis muneris et sacrae ordinationis idea renoveatur: ita ex. gr. in versione Martin insignis locus Act.XIV. 22. Et cum constituissent (Paulus et Barnabas) illis per singulas Ecclesias *presbyteros*. ... commendaverunt eos Domino » ita Gallice ertitur: « Et après que *par avis des assemblées* ils eurent établi *es anciens* dans chaque église » ubi praeter vocem *anciens* substitutam voci *prêtres*, additur mentio de consilio coetus fidelium, de quo ullum occurrit vestigium in sacro textu. Ita etiam ad insinuandum lectoribus quod cultus sacrarum imaginum a Catholicis admissus illicitus et idololatricus sit in variis locis V. T. substituerunt ocem *image* voci *idole*, ut: gr: Deut. V. 8: « Non facies tibi *culptile* » reddunt: « *Tu ne te feras pas d'image taillée* » et in s. XCVI. 7: « Confundantur omnes qui adorant *sculptilia* » *in* ntiqua versione legebatur « *soient confondus tous ceux qui sert aux idoles* » at recentiores versiones societatis biblicae legunt *soient confondus tous ceux qui servent aux images* » (1). Simia exempla notari possunt in calvinistica italica versione Io. Diodati, quae cura societatum biblicarum nunc in Italia longe lateque iffunditur. Haec versio melior quidem est, et fidelior praedictis Gallicis Calvinistarum versionibus, verum nec ipsa vitiis caret. Imprimis enim auctor nimis studet claritati cum dispendio fidelitatis: bicumque sensus ambiguus, vel obscurus est eum declarat et denit adiectis vocibus, quae ad textum non pertinent, et non indicat ios sensus, quos textus habere posset, quod neque in notis facit. ide exempla in Gen. II. 12, IV. 8, 26; Ps. VIII. 5, Hebr. II. 9, VI. 1 etc. raeterea sensus aliquando determinatur ita ut faveat praeconceptis

(1) De Calvinistarum versionibus data opera scripserunt sequentes auores. P. Coton: *Genève plagiaire, ou vérification des depravations de parole de Dieu, qui se trouvent dans les bibles de Genève.* Paris 1618. enr. Niquet: *Errores deprehensi in gallica N. T. translatione Genensi.* Flexiae 1620 et Alenconii 1638, Veron in opere: *Le N.T. de la traduction des docteurs de Louvain* etc. IV^me^ Partie. *Des falsifications des bibles de Genève.* Paris 1648; Chardon de Lugnez: *Recueil des falsifications de la bible de Genève.* Paris 1708.

Calvinistarum opinionibus: ita vox *presbyteri* redditur per vocem *gli anziani* Act. XIV. 22; Tit. I. 5; Iac. V. 14 et alibi passim, imo totus locus Act. XIV. 22 vertitur ut in Gallica versione Martin, ita: « E dopo che ebbero loro per ciascuna Chiesa ordinati *per voti comuni degli anziani* » etc.

De erroribus versionum Anglicarum extat integrum opus Th. Ward sub titulo: *Errata to the protestant Bible, or the truth of their English translations examined.* London 1737, ubi adductis exemplis ostendit plures in eis contineri errores, corruptiones, contortas interpretationes Protestantium praeiudiciis conformes. In germanica Lutheri versione, ut alias innuimus, ipsi Protestantium doctores errores deprehendunt; ex Catholicis vero Emserus non minus 1400 errores et mendacia eidem versioni adscribit. Ita ex gr. (ut de N. T. tantum loquamur) Act. XV. 41 Lutherus expunxit verba: *praecipiens custodire praecepta Apostolorum* » 1 Cor. IX. 5 ἀδελφήν γυναῖκα, *mulierem sororem,* reddit per *uxorem* (Apostolorum). Hebr. XIII. 17 pro *praepositis* vestris posuit *praedicatoribus* vestris: 2 Pet. I. 10 expunxit omnino verba: *per bona opera:* item Philem. v. 6. « *in agnitione omnis operis boni,* » expunxit vocem *operis:* et Rom. III. 28 « *iustificari hominem per fidem* » vertit « iustificari hominem per *solam* fidem » Hinc merito Bucerus in Dial. cont. Melanchtonem « Lutheri lapsus (inquit de eius versione) manifesti sunt, nec pauci ». Posteriores vero Germanicae versiones ut Trilleri, Reitzii, Schmidii, Zinzendorfii, etc. inter ipsos Protestantes acerrimos criticos nactae sunt, et omni prorsus auctoritate carent. Demum versiones vernaculae ad usum infidelium Asiae, Africae et Oceaniae a Protestantibus confectae, falsae et saepe etiam absurdae sunt. Interim haec innuisse sufficiat ad Thesis nostrae probationem.

Ex his omnibus concludere licet RR. Pontifices et potuisse et debuisse vocem attollere adversus praedictas societates biblicas, easque publice improbare ac damnare.

6° Praestabit haec omnia confirmare ipsis gravissimis verbis RR. Pontificum, quibus societates biblicas earumque scopum ac pravos effectus detegunt ac reprehendunt. Ita Pius VII in Brevi ad Episcopum Mochilesr. die 3 Sept. 1816 incipit: « Magno et acerbo dolore confecti sumus ubi accepimus exitiosum consilium haud ita

ridem susceptum quo sacratissimi Bibliorum libri novis, ac praeter luberrimas Ecclesiae regulas editis interpretationibus, iisque calde in pravos sensus contortis vernacula qualibet lingua pervulantur. Namque ab aliqua iam ex perlatis ad Nos huiusmodi veronibus animadvertimus eam in purioris doctrinae sanctitatem rari perniciem ut facile fideles ex iis fontibus lethale ebibant enenum, ex quibus haurire debuissent aquas sapientiae salutaris. »
eo XII in Lit. Encycl. die 3 Maii 1824 ita loquitur: « Non os latet, Ven. FF., societatem quamdam, dictam vulgo Biblicam er totum orbem audacter vagari, quae spretis SS. Patrum traditionibus, et contra notissimum Tridentini concilii decretum, in id llatis viribus ac modis omnibus intendit, ut in vulgares linguas ationum omnium Sacra vertantur, vel potius pervertantur Biblia. x quo valde pertimescendum est, ne sicut in aliquibus iam nos, ita et in caeteris *interpretatione perversa de Evangelio Christi, ominis fiat Evangelium, aut quod peius est, diaboli.* (Hieronyus in cap. I. ad Gal.)..... En VV. FF. quo haec spectat societas, quae insuper ut impii voti fiat compos nil intentatum relinuit. Non enim tantummodo versiones suas typis edere, verum etiam er omnes urbes cursitando in vulgus per se spargere sibi plaut. Quinimo ut alliciat simplicium animos qua venditare curat, ua dono dare insidiosa liberalitate gestit. » Demum Gregorius XVI teris copiosius de hac re loquitur in Encyclica 8 Maii 1844 vulta ad damnandam Societatem Biblicam in America fundatam ad opum spargendi Biblia vulgaria in Italia, ubi inter alia haec scribit: Inter praecipuas machinationes quibus nostra hac aetate acathoci diversorum nominum insidiari cultoribus catholicae veritatis, orumque animos a sanctitate Fidei avertere connituntur, haud timum tenent locum Societates Biblicae, quas in Anglia primum stitutas, ac longe hinc lateque diffusas, facto veluti agmine, in conspirare conspicimus, ut divinarum Scripturarum libros vulribus quibusque linguis interpretatos permagno edant exemplaum numero, eosque inter Christianos iuxta, atque infideles nullo electu disseminent, et horum quemlibet ad illos nullo duce lendos alliciant. Ita igitur, quod suo iam tempore lamentabatur eronymus (Epist. ad Paulinum §. 7) *et garrulae anui, et deliro ni, et sophistae verboso,* et universis, si modo legere norint, cu-

iusque conditionis hominibus, communem faciunt *artem Scriptu rarum* sine magistro intelligendarum: immo, quod longe absurdis simum poeneque inauditum est, ne ipsas quidem infidelium plebe ab eiusmodi intelligentiae communione excludunt.....

Sed vos quidem minime latet, Venerabiles Fratres, quorsum haec societatum earumdem molimina pertineant. Probe enim no stis consignatum in Sacris ipsis Litteris monitum Petri Apostolo rum principis, qui post laudatas Pauli epistolas, esse ait in illi *quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant sicut et ceteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem:* statim que adiicit: *Vos igitur, fratres, praescientes custodite, ne insipien tium errore traducti, excidatis a propria firmitate* (2 Pet. III. 16,17). Hinc et perspectum vobis est vel a prima Christiani nominis aetat hanc fuisse propriam haereticorum artem, ut, repudiato verbo De tradito, et Ecclesiae Catholicae auctoritate reiecta, Scripturas au *manu* interpolarent, aut *sensus expositione* interverterent (Tertull lib. De Praescript. adv. haeret. cap. 37. 38). Nec denique igno ratis, quanta vel dil gentia vel sapientia opus sit ad transferend fideliter in aliam linguam eloquia Domini; ut nihil proinde facilius contingat, quam ut in eorumdem versionibus per societates Bi blicas multiplicatis gravissimi ex tot interpretum vel imprudenti vel fraude inserantur errores, quos ipsa porro illarum multitud et varietas diu occultat in perniciem multorum. Ipsarum tame Societatum parum aut nihil omnino interest, si homines Biblia il vulgaribus sermonibus interpretata lecturi in alios potius quam alios errores dilabantu : dummodo assuescant paulatim ad liberum de Scripturarum sensu iudicium sibismetipsis vindicandum, atque ad contemnendas traditiones divinas ex Patrum doctrina in Ec clesia Catholica custoditas, ipsumque Ecclesiae magisterium repu diandum. »

Postremo addi possent testimonia ipsorum Protestantium. Ut enim supra innuimus, multi ex doctioribus Protestantibus praesertim Epi scopalibus Biblicas Societates aperte improbarunt. Ita prae ceteri Bretschneider, in *Manuali Theologiae dogm.* Vol. I. 399 edit. 1838 plures Anglicani Episcopi, et ministri, qui protestati sunt adver sus admissionem *dissidentium* in Biblicam societatem, aliique longo plures qui reclamarunt adversus suppressionem librorum deutero

anonicorum V. T. decretam a Biblica Societate Londinensi, item rettisman et Carlisle citati a Gregoire, Hook citatus a Milner, et lii plures. Causae huius oppositionis ex parte Anglicanorum, ut odo innuimus, duae potissimum fuerunt, scilicet 1° periculum issolutionis Ecclesiae Anglicanae opera Societatum Biblicarum, ad uas omnium sectarum homines pertinent, ideoque laxiora omnino rincipia profiteri coguntur, et versionibus a se confectis in vulgo ropagare non cessant; 2° arbitrarium decretum Societatis Biblie an. 1826, quo libri deuterocanonici V. T. qui hucusque in ditionibus anglicanae versionis retenti fuerant expuncti fuerunt. uius decreti historia non parum nocet famae Societatis Biblicae. ane ab ipsa epocha fundationis anno 1804 praedicta Societas soemniter promiserat se nullas alias versiones impressuram praeter uatuor illas quae a legibus status et Ecclesiae Angliae probatae rant, et generatim spoponderat se conformaturam in Bibliis imprienndis moribus ac legibus Ecclesiarum, ad quas singulae versiones ertinebant. His promissis initio quidem steterunt, ita ut nonnulli iam catholici modum agendi ipsarum Societatum laudaverint. (1) erum paulo post (anno 1812) Steinkopf unus ex primariis funatoribus Societatis biblicae conatus est, suadente consilio supremo, nonnullis versionibus eliminare libros deuterocanonicos V. T., reclamantibus aliis societatibus praesertim ex Germania, Sveia, et Russia coacti sunt ab suo proposito recedere. Anno 1817 sa centralis Societas in Anglica versione suppressit deuterocanios, sed impetrare non potuit a Societate Biblica Parisiensi ut idem ceret, imo coacta fuit pecuniam elargiri pro Societatibus adiuicibus, quae pergebant imprimere in suis editionibus libros deurocanonicos. Interim multi ex dissidentibus sectis conclamare

(1) Eminet inter istos Leander Van Ess Professor et Parochus cathocus Marburgensis magnus patrocinator vernaculae et promiscuae lectionis Scripturae, cuius opera, et scriptis biblicae societates non parum profeerunt. Praeter superius citatam collectionem testimoniorum SS. Patrum pro ctione S. S. opusculum edidit cui titulus: *Die Bibel, ein Buch nicht, ie viele wollen, für Priester nur, sondern auch für Fürst und Volk* etc. München 1818, et iterum in linguam Hollandicam conversum Amsterm 1820. Imprudentem huius viri agendi rationem, et argumenta ab eo alta solide impugnarunt Binterim, Kistemacher aliique docti Germaniae riptores.

coeperunt adversus hunc usum, prae coeteris vero Puritani ex Scotia, qui etiam Societatem Londinensem accusarunt, quod pecuniam pro Scripturis edendis destinatam impenderent *apocryphis* vulgandis (sic enim deuterocanonicos, V. T. appellant Protestantes). Horum querelis obsequuta Societas Londinensis decretum vulgavit die 19 Augusti 1822, quo permittebatur quidem aliis societatibus imprimere libros deuterocanonicos, dummodo tamen id propriis expensis facerent. Verum hoc Puritanis satis non fuit, qui paulo post suis clamoribus alteri decreto occasionem dederunt (20 Dec. 1824), quo Societas negabat quodcumque auxilium editoribus ac societatibus qui vellent deuterocanonicos una cum protocanonicis commixtos imprimere, salva tamen licentia in praecedenti decreto data eos imprimendi propriis expensis, et ad calcem aliorum librorum apponendi. Verum Societas Edimburgensis etiam hoc decretum improbavit, urgens omnimodam suppressionem apocryphorum, vulgato etiam anonymo scripto in quo continebatur defensio canonis Protestantici, et violenta impugnatio canonis *Papistici,* idest librorum deuterocanonicorum (1). His omnibus permota Societas Londinensis in comitiis generalibus anno 1826 celebre decretum edidit, in quo non solum negatur omne subsidium ad deuterocanonicos imprimendos, sed absolute prohibetur omnibus societatibus imprimendi etiam propriis expensis eosdem libros, eosque exemplaribus Scripturae iam per Societatem impressis postea adiiciendi, ipsaque exemplaria cum hac conditione tantum inferioribus societatibus vendenda vel donanda esse, ut nihil eis adiiciatur. Adversus hoc decretum plures societates biblicae reclamarunt et fortiter restiterunt, ex: gr: societates Argentoratensis, Berolinensis, Parisiensis, Stokolmensis, Petropolitana, quae licet libros deuterocanonicos V. T. Scripturis inspiratis aequiparare nollent, eos tamen tamquam utiles et veneratione dignos habebant, ideoque indigne ferebant eos e Christianorum manibus eripi. His accesserunt plurimi protestantici Scriptores, qui editis libellis contra decretum

(1) Titulus huius scripti est: *A plea for the protestant Canon of Scripture.* In hoc scripto tota historia quam hic breviter attingimus fusius exponitur. Haec autem videri potest etiam apud Gregoire: *Histoire des Sectes.* Livre VII, Tom. 4, et apud Malou: op. cit. Tom. II, pag. 179–191.

ondinense decertarunt (1). Huiusmodi historia, et ipsorum Pro-
stantium reluctantia in recipiendis mutilatis et truncatis Bibliis
ocietatis Londinensis egregiam apologiam constituit pro RR. Pon-
ficibus, qui eamdem Societatem eiusque editiones improbarunt.
rotestantes tamen de praedicta oppositione Anglicanorum, aliarum-
ue sectarum adversus biblicas societates altum silentium tenent
um contra Romanam Sedem ob eamdem causam declamare non
essant. Verum quidem est Societates biblicas auro Britannico pri-
atas, et minis Societatis matris perterritas praefatum decretum
ndem acceptasse, et post tot clamores, et iusti zeli significationes
rviliter collum subiecisse iugo societatis Londinensis, ita ut nunc
blia ab iis distributa libris deuterocanonicis V.T.careant: attamen id
earum reprehensionem redundat, quaestionis naturam non immutat.

Argumenta adversariorum in favorem Societatum biblicarum,
adversus earum damnationem in falsis suppositis fundantur, et
lus minusve eadem sunt ac illa quae in praecedentibus Thesibus
lvimus: quare ab iis referendis abstinemus. Haec nihilominus
deri possunt apud Perrone Tract. de Locis Theol. Part. II.
p. IV. Propos. II.

ARTICULUS V.

De praecipuis vulgaribus versionibus sacrae scripturae

I. *Praecipuae versiones Italicae.* Antiquissima inter Italicas
ersiones Scripturae creditur esse versio *Iac. de Voragine Ord.*
raed. Archiepiscopi Genuensis, quam laudant Possevinus, et Rich.
monius, et Sixtus Senensis ait *summa fide et diligentia factam.* Suc-
edit versio Italica *Nicholai Malerbi vel Malermi* (2) monacho Camal-
ulensi saec. XV. Prodiit anno 1471 sine loco (forte Venetiis). Ortho-
oxa est, et elegans, et quidem elegantior in V. quam in N. T. quare

(1) Huiusmodi testimonia, tum scilicet Societatum biblicarum, tum pri-
torum scriptorum laudantur a Moulinié: *Notice sur les livres apocry-*
hes de l'Ancien Testament en réponse à la question: faut il les sup-
rimer? Genève 1828, et a Reuss in *Dissertatione polemica* de hoc ar-
umento.

(2) Verum auctoris nomine est *Malerbi*, vel latine *De Malherbis*, ut
se se vocat in subscriptione operis: sed apud criticos qui eum citant aliter
que aliter scriptum invenitur.

P. Vercellone suspicatur V. T. alterius esse et antiquioris auctoris. Nunc vero Italis familiaris est recentior versio quam Illmus *Antonius Martini* Archiepiscopus Florentinus concinnavit iuxta normam decreti Indicis 1757, sequens scilicet Vulgatam latinam, quam etiam una cum versione Italica sistit, et additis notis ex SS. Patribus et ex doctis catholicisque viris sapienter selectis. Addidit quoque praefationes doctrina ac pietate plenas, et in fine delectum variantum lectionum. Novum Testamentum prodiit Taurini 1769. Vetus autem ibidem anno 1776 cum approbatione Ordinarii. Cum autem auctor exemplar suae versionis Pio VI summo Pontifici obtulisset ab eo laudatus est, et in eiusdem versionis commendationem accepit *Breve* die 17 Martii 1778. Mittimus alias Italicas versiones minus notas, licet orthodoxas (1).

Ad eterodoxas vero versiones Italicas nonnulli referunt imprimis antiquiorem versionem *Bruccioli Antonii* Venet. 1532 ex hebraeo et graeco textu confectam, quae licet a viro catholico edita sit in Indicem relata fuit (2). Praecipue vero huc pertinet versio *Io. Diodati* ministri Calviniani Genevensis, quae prodiit Genevae anno 1604. Haec versio elegantia quidem dictionis se commendat licet nimis aliquando paraphrastica sit, haeretico tamen spiritu confecta est, et ad sectae illius errores facilius lectoribus insinuandos, ut supra vidimus. Ideo a Sancta Sede damnata fuit, a Protestantibus vero in deliciis habetur, qui plures eius editiones curarunt et inter Italos spargere satagunt: eamdem in Gallicam linguam conversam Calvinistae Helvetii olim susceperunt. Plerumque tamen errores Calvinistici magis in *notis* adiectis quam in ipsa versione continentur.

II. *Versiones hispanicae.* Antiquiores Hispanicae versiones non paucae extant, sed ex his plures extra Hispaniam, et plerumque

(1) Tales sunt versio Italica *P. Marmachini* O. P. quae prodiit Venetiis an. 1538 in folio; Versio *Fr. Marini de Venetia.* Ven. 1477; Versio N. T. *Fr. Zachariae Flor.* O. P. Venetiis 1542 et aliae nonnullae. Has et alias versiones diversarum linguarum enumerat inter alios P. Le Long in *Bibliotheca sacra* Cap. IV, Part. II, quam consule, si lubet.

(2) Non videtur tamen damnata ob eterodoxas interpretationes, sed potius quia a Vulgata nimis aliquando recedit, et in Epistolis ad Franciscum Regem Veteri et Novo Testamento praefixis nimis acriter defendit lectionem S. Scripturae in lingua vulgari.

a viris eterodoxis vulgatae fuerunt. Antiquissima videtur esse versio Hispanica, quae circa a. 1280 iussu Alphonsi regis Castiliae exarata fuit, ut refert Mariana in Lib. XIII. De rebus hispanicis c. 13. Aliam quoque versionem tempore S. Vincentii Ferrerii confectam, et ab eo probatam laudat Rich. Simonius (Crit. du V. T. to I. pag. 336.) Ad eterodoxas Hispanicas versiones pertinent Versio *Cassiodori de Reyna,* quae prodiit Basileae a. 1589; item Versio *Cypriani de Valere,* quae tamen videtur potius praecedentis recensio quam nova versio. Iudaei quoque suam habent Hispanicam versionem V. T. quam *Ferrariensem* vocant. Demum saec. XVIII desiderio Hispanorum habendi orthodoxam et probatam Scripturae versionem in patria lingua satisfecit *P. Phil. Scio* Scholarum Piarum, qui, urgente Hispaniarum rege, et approbantibus Episcopis et Inquisitoribus, novam Hispanicam versionem ex Vulgata latina confecit, adnotationibus instruxit, ac typis vulgavit anno 1793 et seqq. Pius VI hanc pariter versionem sibi oblatam laudavit, licet ab expressa eius probatione per appositum Breve significanda abstinuerit. Hac versione nunc Catholici Hispanice loquentes ubique terrarum utuntur. Aliam nihilominus versionem Hispanicam pariter ex Vulgata latina adornavit, notisque adiectis vulgavit anno 1824 *Fr. Torres Amat* Episcopus Asturicensis, quae subinde saepius recusa est. De his legi potest Caminero Munoz: *Manuale isagogicum in Sacra Biblia.* Luci Augusti 1818. Societates biblicae inter Hispanos disseminant versionem P. Scio, reiectis tamen libris deuterocanonicis V. T. et amputatis notis.

III. *Versiones gallicae.* Antiquissima Gallica versio ea videtur esse quam ex vetustis codicibus erutam edidit Leroux de Lincy anno 1841: in vetusta Gallica lingua exarata est, et libros Regum dumtaxat continet. Videtur descendere ex prima parte saeculi XII. Ad hoc idem saeculum referendae sunt versiones illae Gallicae, quas Innocentius III commemorat in superius laudatis epistolis ad Episcopum Metensem: verum de his nullum vestigium hodie occurrit. Saeculo XIII et XIV nonnullae Gallicae versiones prodierunt, ut versio *Guiardi Molinaei* (Guyards des Moulins), quam postea *Iohannes De Rely* recensuit, et, ad stylum quod pertinet, correxit. Haec versio prodiit anno 1294 cum notis desumptis ex historia scholastica Petri Comestoris, recensio vero laudati Io. De Rely

sub regno Caroli VIII facta est, et anno 1487 Parisiis typis impressa fuit. Imo primae S. Scripturae editiones typographicae (septem vel octo), teste Lelong, omnes hanc versionem continent. Hanc excipit versio *Iacobi Fabri Stapulensis* ex Vulgata latina derivata, et praecedente accuratior, quae Antuerpiae anno 1528 prodiit cum approbatione Inquisitoris, et pluries deinceps recusa est: « Fuit autem versionum, quae postea factae sunt veluti basis ac fundamentum ». (Lelong Bibl. Sacr. cap. IV. Par. II. Sect. 2).

Paulo post Lovanienses Theologi, duce Nicolao De Leuze, novam Gallicam versionem adornarunt in versione quidem Stapulensis fundatam, sed ab ea diversam, quae usque ad finem saeculi XVII inter catholicos tum in Belgio, tum in Gallia maxime in usu fuit, novisque curis expolita plus quam quinquagies variis in locis recusa fuit. Sub finem autem saeculi XVII apparuit celeberrima versio gallica *Lud. Is. Lemaistre de Sacy.* Haec versio magna quidem ex parte a citato auctore confecta est, et per partes in variis locis et annis vulgata fuit, cum approbatione unius vel alterius Episcopi, mortuo vero auctore, eam continuarunt Dufossé, Huré et Thouret: integra vero prodiit Parisiis 1682–1708, 32 Vol. in 8°. Haec versio, licet profiteatur se ex Vulgata latina derivatam esse, saepe tamen ab ea discedit, et Textum Graecum pressius sequitur: copiosas notas, seu potius commentarios adiectos habet. Verum cum citati eius auctores Iansenismo plus minus faverent, eadem versio uti suspecta haberi coepit, et imprimis eius adnotationes. Cum autem ceteroquin versio optima plerumque esset D. Aug. Calmet illam paulisper correctam iterum edidit amplissimo suo commentario instructam, Parisiis 1707-16. Deinceps Ab. De Vence illam inseruit una cum *paraphrasi Petri Carrières* in celebri sua editione quam vocant *Bible De Vence* 1748-50: et postea iterum expurgata una cum paraphrasi Carrerii, et adnotationibus ex Menochio excerptis pluries in variis locis recusa est. Cum tamen praedicta versio, licet correcta, quemadmodum etiam praedicta paraphrasis, sine approbatione Ordinarii prodiisset, quae ex regula IV Indicis omnino requirebatur, Catholici gallice loquentes novam desiderabant versionem undequaque tutam. Itaque Saec. XVIII et XIX aliae Gallicae versiones apparuerunt, quas inter speciatim memoranda est ea quam Patres S. I.

luce *Dominico Bouhours,* cum doctis piisque observationibus P. *Lallemand* vulgarunt Anno 1697-1703, item alia recentissima a . B. Glaire concinnata ex Vulgata Latina, collato Graeco textu, et previoribus notis adiectis Parisiis 1861, quae maturo examini subiecta speciali decreto S. C. Indicis 29 Ian. 1861 a S. P. Pio IX confirmato permissa fuit. Haec versio solum N. T. complectitur. Alia versio utriusque Testamenti adhuc recentius concinnata est a *Bouasse et Ianvier* Turonis 1867: prodiit cum notis et debita approbatione Ordinarii. Alias minus notas, aut minoris momenti omittimus. Et haec quidem de catholicis versionibus.

Eterodoxae Gallicae versiones dividi possunt in Iansenisticas, et Protestanticas (Calvinianas). Iansenistica est imprimis versio dicta *De montibus* (*Le Nouveau Testament de Mons*). Haec versio incoepta fuit ab *Ant. Lemaitre,* quo mortuo eam continuarunt eius frater *Lud. Lemaitre,* Arnauld, Nicole aliique, omnes plus minus iansenismo addicti: prodiit autem anno 1677 cum approbatione Archiepiscopi Cameracensis, sed illico damnata fuit speciali Brevi Clementis IX, et rursus per aliud Breve Innocentii XI, eo quod a Vulgata latina, et aliquando etiam a textu graeco deflecteret, et erroribus Iansenistarum faveret. Huic versioni Quesnellus adiecit suas celebres *Reflexiones morales,* ex quibus extractae fuerunt propositiones damnatae a Clemente XI in Bulla *Unigenitus.* Protestantes plures ad suum adornarunt Gallicas versiones, quarum celeberrima, et reliquarum basis est *versio* dicta *Genevensis.* Haec versio ab *Olevitano* Calvini discipulo, eodem Calvino instigante ac iuvante, condita fuit, et vulgata anno 1535: deinceps vero iterum atque iterum immutata, et expolita fuit, ut supra innuimus, semperque magis haeretica effecta opera eiusdem Calvini, Bezae, Bertrami, Dav. Martin, et Osterwald. Hac versione Calvinistae Galliae et Helvetiae passim utuntur. Nuper vero ministri Genevenses novam confecerunt Gallicam versionem, quae Losannae anno 1857 prodire coepit, et sequentibus annis continuata est. Iudaei etiam recentissime suam habere voluerunt versionem Gallicam V. T. quae a S. Cahen vulgata est Parisiis 1845.

IV. *Versiones Belgicae* et *Hollandicae.* Antiquissima Belgica Scripturae versio, seu potius rythmica paraphrasis, scripta fuit *a Iacobo Van Maerlandt,* quae recenter edita fuit Bruxelles 1858-61. Ab

hac differt versio in lingua Belgica incertae aetatis, et auctoris quae saepius saeculo XV excusa est. Cum autem saeculo XV haereticae versiones in Belgio confici, et disseminari coepissent Theologi Lovanienses, duce *Nicolao Winghe* novam Belgicam versionem aggressi sunt iuxta usum tunc vigentem idiomatis Belgici quod Brabantinum vocant, ad normam Vulgatae latinae, quae paul ante ab iisdem theologis accuratissime emendata fuerat. Prodiit hae versio Lovanii 1548, et iterum emendatius anno 1599 Antuerpiae typis Moerentorff, unde etiam *Biblia Moerentorffii* dicta est. Hae versio apud Catholicos Belgas in usu fuit usque ad medium saeculum XVIII. Huic vero successit celebrior versio, quae nunc Belgae passim utuntur elaborata a RR. PP. *Smits* et *Van Hove* cum notis dissertationibus, et praefationibus, quae prodiit Antuerpiae a. 174 et seqq. Complectitur fere totum V. T. Novum Testamentum autem additum fuit a *Lipman* et ab Illmo *Beelen* « Cuius translatio inquit Lamy, ad normam versionis Vulgatae, collato textu graeco elaborata, doctissimis commentariis munita, et ab omnibus Belgi Episcopis approbata prodiit Lovanii 1859–69. » (Lamy Introd. in S. S. ed. 2ª Lovanii 1872 to. I. pag. 190).

Ad eterodoxas Belgicas versiones pertinent imprimis illae, quas supra innuimus, quae saeculo XVI apparuerunt opera *Lutheranorum,* et plerumque ad normam versionis Lutheri exaratae erant Huc etiam referenda est versio *Aegidii Dewit* sacerdotis e secta *Appellantium* Bruxelles 1717.

Hollandi, seu *Batavi* nullam catholicam versionem in sua lingua videntur habere, Calvinistae vero illius regionis, versionem habent confectam iussu *Synodi Dordracensis* quae prodiit anno 1637

V. *Versiones Anglicae.* Antiquissima Anglorum versio quae Ven Bedae eiusque discipulis saec. VIII et seqq. tribuitur lingua potiu *Anglo-saxonica* conscripta est, et hoc nomine ab eruditis cognoscitur, ut alias vidimus. Prima autem Catholica versio in lingua *Anglica* proprie dicta est celebris versio *Duacensis* (*The Douay Bible*) ita dicta quia in urbe Duacensi (Douay in Gallia) prodiit Haec versio Rhemis in Gallia a doctis piisque viris Anglis, qui in Collegio Anglorum illius urbis degebant exarata fuit. Novum Testamentum primum versum est, et Rhemis editum anno 1582 Vetus autem post aliquot annos prodiit Duaci (1609 et seq.) Hae

rsio ex Vulgata latina derivata, orthodoxis adnotationibus in-ructa, et Ordinarii approbatione munita apud omnes Catholicos nglicae linguae in Anglia, Scotia, Hibernia, America Septentrio-li aliisque regionibus summo plausu excepta fuit, et usque hodie nnium manibus teritur. Identidem tamen haec versio retractata, novis curis expolita fuit; primo quidem ab Episcopo *Challoner*, ii et stylum aliquantum renovavit, et prolixiores notas in com-endium redegit Londini 1750; iterum anno 1857 in Hibernia mus *Denvir* Episcopus Down et Connor novam editionem Dua-nsis versionis Dublini vulgavit cum approbatione omnium Hiber-ae Episcoporum, quae editio generatim in Hibernia et statibus oederatis Americae in usu est. In America vero duae aliae edi-ones huius versionis recenter apparuerunt, altera Neoeboraci 1856, tera celebrior Baltimorae 1851 curante Illmo *Fr. Xav. Kenrick rchiepiscopo* Baltimorensi, qui Duacensem versionem accurate re-ensuit, suasque adnotationes doctas iuxta ac pias adiecit.

Eterodoxae Anglicae versiones plures numerantur. Prima est ersio Wicleffi, quae prodiit anno 1380. Post ortam Reformatio-em, et Anglorum defectionem sub regno Henrici VIII plures ersiones ab haereticis hominibus, et ad usum Protestantium pro-erunt, quarum praecipuae sunt versiones *Tyndale*, et *Coverdale*. um autem istae versiones regi et Episcopis Anglicanis non placuis-nt paulo post alia versio a *Guillelmo Parker* cum aliorum pseudo-piscoporum cooperatione, iubente ac approbante regina Elisabetha, ulgata est anno 1568: haec versio dicta fuit *Biblia Episcoporum The Bishops' Bible*), et diu apud Protestantes anglicanos favorem venit. Verum postea errores et vitia huius versionis detegi coe-erunt, et adversus eam reclamantibus pluribus Anglicanis mini-ris, ac pastoribus, Iacobus I rex novam iussit fieri versionem, iae anno 1607-10 primo apparuit, et a Rege authentica decla-ta est. Haec versio quae vulgo *Biblia Regis Iacobi* (*King James' ible*) dicitur adhuc inter Anglicanos Protestantes, non solum Epi-opales, sed etiam dissidentes, et in America Septentrionali apud rotestantes diversarum sectarum passim recipitur, et innumeras re habuit editiones. Demum postremis hisce annis Protestantes ngli et Americani ad varias sectas pertinentes consilium susce-erunt novam edendi versionis huius receptae recensionem, quae

omnium desideriis satisfaciat. Huic recensioni condendae magno studio ac labore adhuc insudant et eius exitus expectatur (1).

In Hibernia, praeter anglicas versiones supra memoratas, extat etiam alia versio in antiqua lingua Hibernica, quae initio quidem a viro catholico King confecta deinceps a Protestantibus recepta est et Londini impressa ad usum Protestantium Hibernorum. Ceterum Hiberni catholici vulgo utuntur versione Duacensi Anglica, Protestantes vero versione regis Iacobi.

VI. *Versiones Germanicae.* Versiones catholicae lingua Germanica medio aevo confici coeperunt, quarum nonnullae ex antiquis manuscriptis erutae recenter a doctis viris in lucem editae sunt. Antiquissima videtur esse versio seu paraphrasis germanica Scripturae confecta a *Willirano Ebersbergensi* saeculi XI Scriptore, quam

(1) Ad hunc finem deputati sunt (a. 1870-71) plures eruditi viri ex Anglia, et Statibus Foederatis Americae (nuper erant numero 79, quorum 52 in Anglia, et 27 in America) non modo Episcopales, sed et Lutherani, et Calvinistae, et Baptistae et ex aliis sectis. Hi in duos *comitatus (committees)* dividuntur alterum pro Anglia, alterum pro America, qui tamen collatis consiliis et communibus votis omnia peragunt, singuli autem rursum dividuntur in duas sectiones unam pro V. T. alteram pro N. T. Methodus recensionis exponitur in octo regulis ab utroque comitatu in antecessum pro agendi norma receptis, quibus cavetur ut versio anglica accuratior et elegantior fiat simul tamen nimiae immutationes vitentur. Haec et alia ad praedictam recensionem spectantia una cum nominibus omnium correctorum videri possunt in opusculo nomine Comitatus Americani vulgato sub titulo: *Anglo-American Bible Revision by members of the American Revision committee* London 1879. Post brevem expositionem originis, constitutionis, et agendi rationis praefatae societatis correctorum sequuntur XVIII breves dissertationes de argumentis cum eadem recensione connexis a totidem membris Comitatus Americani conscriptae. In prima dissertatione C. Krauth tractat de Anglicis versionibus S. S. earumque auctores summis laudibus et prorsus enthusiastice extollit praesertim Wicleff, Tyndale, et auctores versionis regis Jacobi. Lepidus autem est hic scriptor cum Lutherum vocat *maximum omnium interpretum « the greatest of translators »* (pag. 24) cum notum sit ipsos Germaniae Lutheranos tum veteres tum recentiores versionis Lutheri gravissimos errores, et intolerabilem audaciam fassos esse, ac reprehendisse. In sequentibus dissertationibus praesertim n. IV (G. E. Hare), n. V (W. H. Green), n. VIII (I. Packard), n. X (A. C. Kendrick) plures correctiones suggeruntur, sed nondum constat quaenam ex iis (non semper accuratis) receptae fuerint in nova editione, quae hoc ipso anno (1881) creditur in lucem proditura.

mprimendam curavit Iacobus Hacept Vindob. 1864. Nonnullae ex is antiquis versionibus saeculo XV typis impressae apparuerunt. Sequentibus aetatibus novae etiam versiones confectae fuerunt a pluribus doctis Germanis, ut ex. gr. ab *Emser* qui suam versionem opposuit versioni Lutheri, ab *Eckio* (1540), *Uhlemberg* (1630), *Ehchard* (1722), *Braun* (1789-1797). Verum omnes superavit recentior versio *Allioli,* quae specialem S. Sedis approbationem meruit, quaque Germani Catholici nunc passim utuntur. Haec versio ex Vulgata latina derivata est, doctas habet adnotationes dogmaticas, morales, et criticas cum praefationibus, indicibus etc. Prodiit primum an. 1830–37, cum approbatione Gregorii XVI singulis voluminibus, prout nempe in lucem successivis annis prodibant, praefixa, deinceps vero pluries in Germania et alibi recusa est. Recentius alia Germanica versio pariter ex Vulgata latina confecta fuit a doctis catholicis viris *V. Loch,* et *W. Reischl.* Ratisbonae 1867.

Eterodoxae Germanicae versiones plures extant, singulae enim sere sectae suam habent versionem, imo et Iudaei versiones V. T. habent characteribus Rabbinicis, sed Germanica lingua exaratas. Inter omnes autem celebriores sunt versiones Lutheranorum, quorum secta praecipue in Germania viget. Imprimis habent versionem ab ipso Luthero editam anno 1522–32, quae ob linguae puritatem, et styli perspicuitatem commendatur, ideoque saepius et variis in locis impressa fuit et a Lutheranis etiam aliarum gentium, Danis, Svevis, Batavis recepta. (1) Errores tamen et sensus Scripturae corruptiones in versione Lutheri occurrentes, ut alias vidimus, ipsi doctiores Lutherani animadverterunt et fassi sunt, qui idcirco novas aliquando versiones elaborarunt, ut sunt ex. gr. versiones Trilleri, Reizii, Waltheri, et recentius versio Augusti, et De Wette (edita 1809–14). Calviniani suas habent versiones tum Germanica lingua, tum Helvetica dialecto ad usum Helvetiorum Gallice non loquentium.

VII. *Versiones Polonicae,* et *Hungaricae.* In lingua Polonica tres potissimum extant versiones una pro Catholicis, altera pro Soci-

(1) Lutherani Batavi versionem Lutheri in suam linguam conversam receperunt, et aliquamdiu retinuerunt: deinceps vero, urgente synodo Dordracena, eam reiecerunt « quia, inquit Leusden, cum tumultuario tempore edita fuerit multis scatet vitiis ».

nianis, tertia pro Lutheranis. Versio *Catholica* a P. Iacobo Wieckio S. I. confecta fuit iubente Gregorio XIII, et prodiit Cracoviae anno 1599 cum approbatione Clementis VIII. Summo studio exarata fuit adiuvantibus etiam aliis doctis viris S. I. Vulgatam latinam sequitur, et orthodoxis adnotationibus instructa est ; hac Polonii orthodoxi passim utuntur.

Versio *Socinianorum,* qui diu in Polonia sedem habuerunt, ex textibus originariis Hebraeo et Graeco derivata est, et impressa anno 1563. *Protestantica* demum ad usum Protestantium confessionis Augustanae prodiit anno 1596.

Hungaricae versiones Catholicae medio aevo exaratae fuerunt, et in antiquis codicibus extant. Nonnullae etiam postea typis expressae fuerunt : eas tamen superavit versio recentior a *P. Georgio Kaldi S. I.* exarata, quae cum approbatione Primatis Hungariae prodiit Vindobonae 1626, quaque Hungari in communem usum receperunt. Huius versionis nova recensio prodiit Agriae 1862–65.

Haec sufficiant de praecipuis et notioribus Scripturae versionibus in linguis vulgaribus. Aliae satis multae existunt versiones, quae aut parum notae sunt, aut mentionem nullam merentur ob compertam earum infidelitatem, et cuiuslibet valoris defectum. Huiusmodi certe sunt versiones fere omnes quae in linguis barbarorum aut infidelium populorum opera Societatum biblicarum exaratae fuerunt in Asia, Africa et Oceania. Ita ex. gratia, quaedam versio in lingua Sinica a ministro protestante Morrisson confecta est, et alia in eadem lingua vulgata fuit a missionariis Baptistis Sincaporae: verum utraque versio a viris doctis ita imperfecta, et absurda iudicata est ut sine periculo legi non posset, et indigenis risum aut indignationem moveat (1). Quinimo plerique contendunt literalem et accuratam Scripturae versionem in lingua Sinensium esse impossibilem, considerata huius linguae indole et ratione eam scribendi, ita ut ipsi missionarii catholici recusaverint Scripturae versionem conficere, et cum urgente S. C. de Propaganda Fide versionem Evangelii Matthaei ingenti labore confectam Romam misissent, fassi sunt eam a Sinensium cogitandi et scribendi ratione

(1) Doctus Abel Remusat utramque versionem diligenter expendit in *Moniteur Universel* 9 Novembris 1812, et fusius in *Mélanges Asiatiques.* Tom. I, pag. 14. Paris 1825.

ta alienam esse, ut Christiani neophyti eam legentes non possent risu temperare. In India Orientali etiam Protestantes plures versiones ediderunt in variis dialectis illarum gentium, quae tamen naccuratae et absurdae a viris doctis declaratae sunt. De his loquens quidam Missionarius Catholicus in *Annali della Propagazione della Fede* N° LXXII Settembre 1840 ita scribit: « Ipsae errores ta enormes continent, stylo ita barbaro scriptae sunt ut cultiores ndigenae, quamvis in iis characteres et vocabula suae linguae ecognoscant, nihil tamen intelligant, nec possint idearum nexum ercipere. Hinc oritur funestum praeiudicium, nostros Libros Sacros sse scripta hominis insensati: simul ac idololatrae duas vel tres aginas legerunt, librum lacerant aut reiiciunt cum indignatione et ontemptu ». In Oceania Protestantes, opera utentes cuiusdam Nott, versionem ediderunt in lingua insulae Taiti anno 1817: sed aulo post ea versio ita imperfecta apparuit ut ipsi ministri eam upprimere debuerint cum magna discipulorum admiratione, et candalo. Ipsa inopia et sterilitas linguarum barbararum plerumque mpossibilem reddit accuratam Bibliorum versionem; aut enim onceptus biblicus adulterari debent per voces quae iisdem conceptibus non bene respondent, aut nova vocabula et novae phraes cudendae sunt, quas indigenae non intelligunt: in systemate atholico hoc incommodum vitatur per oralem praedicationem, uae longe opportunior est ad infidelium conversionem, quam ersionum biblicarum lectio, ut etiam experientia et factum misionum catholicarum abunde docet. Sed de his satis (1).

Scholion. Quoniam saepe mentio facta est de approbatione S. Sedis nonnullis vulgaribus versionibus concessa, operae pretium st animadvertere hanc approbationem apprime distinguendam esse a solemni approbatione quae Vulgatae Latinae a Concilio Tridentino Sess. IV data fuit. Haec enim est approbatio solemnis, positiva et dogmatica, per quam ipsa versio Vulgata authentica et in ide ac moribus infallibilis declarata est; contra approbatio quarumdam versionum vulgarium, ut Polonicae P. Wiekii, Germanicae

(1) Sylv. De Sacy celeberrimus Orientalista severum iudicium protulit de versionibus Orientalibus Societatum Biblicarum in *Journal des Savants.* Juin 1824, pag. 323 seqq. *Considerations sur les nouvelles traductions des Livres Saints... par la Société Biblique.*

Allioli, et Italicae Martini est approbatio simplex, permissiva, et disciplinaris. Neque haec approbatio omnino requiritur post declarationem Benedicti XIV anno 1757. Sufficit enim ut versio a catholico viro prodierit, debitis notis instructa sit, et ab *Ordinario* fuerit probata. Ita ipsa versio Martini primo prodiit cum approbatione tantum Episcopi Taurinensis, versio Hispanica P. Scio cum approbatione Episcoporum Hispanorum prodiit, et ipsa Anglica versio Duacensis non habet nisi Episcoporum Hiberniae praesertim, et Americae approbationem. Unusquisque tamen videt approbationem Ordinariorum longe inferioris gradus esse approbatione Sanctae Sedis, et fieri posse ut per ipsam Sanctam Sedem retractetur, quemadmodum ex. gr. factum est de versione Quesnelli, quae primum vulgata cum approbatione Card. De Noailles Archiepiscopi Parisiensis deinceps a Clemente XI damnata fuit. Debent etiam Ordinarii sese conformare conditionibus in Regula IV Indicis, et in Declaratione Benedicti XIV praescriptis: ut nempe versio catholicum habeat auctorem, et adiectas notas ex Sanctis Patribus aut ex doctis catholicisque viris desumptas. Existimat autem laudatus Lamy versionem aliquam istis dotibus instructam non posse quidem imprimi sine approbatione Ordinarii, at si nihilominus impressa fuerit fideles posse eam legere, dummodo certo constet eam tum in textu tum in notis catholicam esse.

Denique monendum est versiones vulgares ex Vulgata latina iuxta editionem Clementis VIII confici debere, non autem ex textibus originariis immediate, vel ex aliqua alia versione. Quamvis enim hoc expresse non praecipiatur in regulis Indicis, aut in declaratione Benedicti XIV, colligitur tamen tum ex scopo Concilii Tridentini in declaranda Vulgata latina authentica, tum potissimum ex praxi Sanctae Sedis in versionibus vulgaribus probandis vel improbandis, ut ex superius dictis apparet. Hoc tamen intelligendum est de versionibus totius Scripturae, communi fidelium usui destinatis, non vero de unius vel alterius libri versione ad eruditorum usum confecta, quae posset etiam aliunde derivari et imprimis ex textu originario: ita habemus versionem librorum poeticorum Franc. Xav. Mattei, et nuper versionem centum psalmorum P. Patrizi S. I. Romae impressam, quae immediate ex textu hebraico derivatae sunt.

FINIS

ADUMBRATIO
ARCHAEOLOGIAE BIBLICAE

ADUMBRATIO
ARCHAEOLOGIAE BIBLICAE (1)

PROLEGOMENA

Archaeologiae Biblicae obiectum, historia, fontes, partitio.

I. *Archaeologia*, si vis vocis spectetur, est *tractatus de rebus ntiquis*, quo sensu accepta etiam antiquam historiam seu narra-ionem rerum gestarum comprehendit, quo latiore sensu aliquando aec vox usurpata est, ut ex. gr. in celebri opere Iosephi Flavii. Tunc tamen strictiori significatione Archaeologia accipitur pro sola Tractatione *de moribus, institutis, cultura veterum populorum, de-ue eorum monumentis quae adhuc supersunt*, omissa gestorum ac-urata narratione. Si vero tractatio complectatur tantum ea quae res-iciunt gentem Iudaeorum, et alia quae in S. Scriptura comme-norantur erit *Archaeologia Biblica*. (2)

(1) Potuisset haec postrema tractatio appellari *Introductio Archeo-ogica in S. Scripturam*, ut ita reliquarum duarum partium titulis ap-ellatio responderet. Verum maluimus modestiori titulo uti eo quod pro-ositum nobis sit tantum summa quaedam lineamenta tyronibus exhibere nius amplissimae disciplinae, cui pro merito exponendae vix duo maiora olumina sufficerent. Ita tamen brevitati studebimus, ut non omittamus reviter adnotare ea quae recentissime a viris doctis explorata et inventa unt, simul indicantes praecipuos auctores et libros unde uberiorem harum erum notitiam studiosi, si velint, haurire possint.

(2) Solent alii appellare hanc disciplinam *Archaeologiam Sacram*, lii vero *Archaeologiam hebraicam*, seu *de Antiquitatibus Iudaicis*. Quam-is omnes hae appellationes satis aptae sint, et si usus ita ferret absque ncommodo retineri possent, tamen re subtilius inspecta, prima appellatio imis late patet, cum etiam Archaeologia Christiana ex. gr. sub eo nomine omprehendi posset, altera vero appellatio ex adverso inadaequata est; uamvis enim principaliter de rebus Iudaeorum agendum sit, sunt tamen iam alia satis multa de aliis gentibus, quae ad Scripturam intelligen-am cognoscenda sunt, et in tractatione *Archaeologiae Biblicae* locum abere debent.

Quanta sit huius tractationis utilitas ad Scripturae Sacrae intelligentiam vel ex iis colligi potest quae superius diximus (Introd. Exeget. Part. II. Sect. I Cap. III) de criteriis externis, seu historicis, eorumque necessitate in Scripturae interpretatione. Sacri enim Auctores necessario sese accommodare debuerunt externis adiunctis, in quibus ipsi eorumque lectores versabantur; mores, instituta, monumenta, politicum et sacrum reipublicae statum aliaque similia ubique supponunt quemadmodum erant eorum aetate, sibique et lectoribus familiaria, ad haec passim alludunt, ex his imagines et figuras modosque loquendi frequenter desumunt, nec unquam de iis explicandis solliciti sunt, quod prorsus abs re fuisset. Nobis igitur, qui ab iisdem auctoribus aetate tam remoti sumus, et in regionibus atque adiunctis tam diversis versamur, moribusque tam diversis utimur illa omnia sedulo addiscenda sunt si volumus mentem Agiographorum in omnibus locis recte intelligere, Scripturarum sublimitatem, pulchritudinem, et efficaciam ubique percipere, et adversariorum cavillationes, aliasque occurrentes difficultates solide, et cum causae cognitione dissolvere (1). Hinc est quod veteres Patres haec discere, et aliis tradere non omittebant. Horum scientiam commendat Augustinus in Libris de Doctrina Christiana, et Hieronymus ad eam sibi plenius comparandam diu in Syria et Palaestina commoratus est, cum Iudaeorum magistris ibidem familiaritatem iniit nullis expensis aut laboribus parcens.

II. Huiusmodi tamen disciplina non solebat ab antiquis seorsim tractari. Veteres Theologi et imprimis Commentatores S. Scripturae pro data occasione notitias Archeologicas sparsim tradebant, aut quaedam de iis breviter innuebant in Prolegomenis, vel apparatu biblico, quem solebant commentariis praefigere. Interim tamen non deerant docti viri qui unam vel alteram partem, seu quaestionem antiquitatum biblicarum editis dissertationibus, vel amplioribus operibus profundius pertractarent; horum praecipuos laudavimus supra in Part. II. Hermeneuticae (V. pag. 235), alios inferius pro data occasione citabimus. Huiusmodi tractatus *particulares* copiosam eruditionis Archeologicae supellectilem praebent unde recen-

(1) Emolumenta Archaeologiae Biblicae singillatim enumerat, et declarat Ackermann *Archaeol. bibl. Praelimin.* §. 2.

iores omnes profecerunt. Immensam harum collectionem continet
Blasii Ugolini: *Thesaurus antiquitatum sacrarum* Venetiis 1744–69
XXXIV Vol. *in folio.* Haec tamen opera ob ipsam rerum copiam,
uctorum, et librorum varietatem, et unitatis defectum, studium
Archaeologiae biblicae nimis amplum, et laboriosum efficiebant,
uare necessitas apparuit ea quae sparsim et prolixius in variis
peribus legebantur in unum colligere, in compendium contrahere
t apto ordine disponere, atque ita ortae sunt tractationes *generales*
e Antiquitatibus biblicis quae tamquam pars Introductionis in S.Scri-
turam haberi coeperunt, et *Archaeologiam Biblicam* proprie dictam
onstituunt. Primus qui hoc genus operis in lucem edidit videtur
uisse Ben. Arias Montanus, ob versionem literalem hebraici Tex-
us aliasque biblicas lucubrationes notissimus, qui vulgavit opus
ub titulo: *Antiquitatum Iudaicarum libri IX... adiectis formis*
eneis. Lugduni Batav. 1593 in 4°. Complectitur ordinatum et fere
ompletum Archaeologiae biblicae compendium. Hunc excepit Io.
teph. Menochius in Opere: *De Republica Hebraeorum libri VIII.*
Parisiis 1648. Cum autem recentius multa de antiquitatibus Orien-
alibus explorata fuerint, frequentiora itinera per Orientem insti-
uta, et monumenta multa lucem aspexerint quae diu latuerant,
inc opportunum visum est alia atque alia Archaeologiae biblicae
ompendia vulgare, quae antiquiorum tractationes in multis emen-
arent, complerent, ac illustrarent. Ex his celebriora sunt E. Fr.
. Rosenmülleri *Handbuch der biblischen Alterthumskunde* (Ma-
uale Archaeologiae biblicae) Lipsiae 1825. I. H. Pareau: *Anti-*
uitas Hebraica, et Io. Iahnii *Archaeologia biblica,* quae primum
ermanice edita est fusiori stylo, deinde ab auctore in Compen-
ium redacta, et latine vulgata sub titulo: *Archeologia biblica in*
pitomen redacta. Vindobonae 1814: hanc iterum vulgavit, non-
ullis correctis et immutatis, Four. Ackermann sub titulo: *Ar-*
haeologia biblica breviter exposita. Viennae 1826. Hoc opus magno
lausu exceptum est ut Scripturae studiosis utilissimum, eiusque
rdinem fere sequuti sunt, qui deinceps similia compendia exa-
arunt, ut Glaire, Lamy aliique tractatores Introductionis in S. Scrip-
uram.

Interim vero opera virorum doctorum scientia antiquitatum
iblicarum aucta est et quotidie augetur novis explorationibus no-

visque inventis, imprimis in eo quod spectat Palaestinae *geogra-phiam* ac *topographiam,* et *monumenta* sive Hebraica, sive aliarum gentium quae S. Scripturae vel illustrandae vel vindicandae ap-prime inserviunt. Haec autem Sacrae Scripturae studiosum igno-rare non licet, et quaedam de his etiam in elementari Archaeologiae biblicae tractatione tradenda sunt.

III. Ut Archaeologiae biblicae tractatio vere solida sit, et ea certitudine polleat quam biblicae scientiae gravitas exposcit, opus est ut ea ex *certis fontibus* derivetur. Quinam sint autem hi fontes breviter tradidimus in Hermeneutica loc. sup. cit. ubi eos revo-cavimus ad tres classes nempe 1° *Iudaicos,* 2° *Paganos,* 3° *Chri-stianos*. Ne dicta repetamus, hic tantum mentionem faciemus de nonnullis quae ibi vel praetermisimus, vel leviter tantum innui-mus. Huiusmodi sunt 1° viatorum *itineraria* et *narrationes* quatenus ex his notitia morum Orientalium, aut regionum biblicarum hau-riri potest, et 2° praecipue *monumenta* in Palaestina, in Aegypto, et in Assyria recenter detecta.

1° Quod pertinet ad viatorum *itineraria* et *narrationes*, hae qui-dem magnae utilitatis esse possunt, nec omnino praeteriri debent. Verum magna etiam prudentia in iis adhibendis necessaria est, ne temere iis fidendum: saepissime enim fit ut viatores vel ob ignoran-tiam linguae, vel ob nimiam festinationem, vel alia de causa hallucl-nentur, aut ab indigenis viarum ducibus decipiantur. Ut igitur haru-rerum studiosus caute procedat oportet imprimis ut eos itinerum li-bros seligat qui ob scientiam, soliditatem et veracitatem suffragium peritorum maxime meruerunt. Huiusmodi sunt ex. gr. opera Shaw, Chardin, d'Arvieux, Niebuhr, Olearius, et adhuc recentiora Mislin *Les saints lieux* 3. edit. 1858, *Guérin: Description de la Palestin* 3 Vol. 1875, et scripta Porter, Robinson, Thompson, Van de Velde aliaque quae inferius laudabimus. Praeterea vix unquam, in uniu tantum testimonio sistendum est, sed plures simul conferendi sunt ita enim, ut sapienter monet Glaire (*Préface à l'Archéologie Bi-blique, Introduction to.* 2.), et facta certiora evadent, et ex plu-rium observationibus in diversis locis ac temporibus institutis osten-di poterit illud quod referunt ordinarium et constans factum esse non meram exceptionem, aut fortuitum casum, demum leviores differentiae quae in pluribus de eadem re descriptionibus obser-

antur mirifice inservient ad rei naturam (puta aliquam Orienta-um consuetudinem, vel alicuius loci aspectum, pulchritudinem, onditionem) recte et accurate aestimandam.

Postremo in praefatis itinerariis perlegendis « distinguenda int illa, quae hi auctores ipsi viderunt, et observarunt, ab iis uae dumtaxat coniiciunt, et quibus sententiam suam interpo-unt: in illis enim sunt testes, in his vero iudicis sibi arrogant fficium quod unicuique nostrum competit » (Iahn Arch. Bibl. raelim. §. 3).

2° De *monumentis* paulo plura dicenda sunt. Hoc nomine in-elligimus tum inscriptiones in Palaestina et in vicinis regioni-us repertas, tum varia opera humanae artis, ut sepulchra, aedi-cia, sculptas vel pictas figuras, instrumenta, nummos aliaque si-ilia, quibus vel eventus commemorantur, vel populorum cultura, ores, ingenium repraesentantur. Quanti momenti sit testimonium uod monumenta coaeva suppeditant nemo est qui non videat. aec enim res ipsas sub oculos ponunt, quas posteriores scriptores erbis describere conati sunt, et cum eo tempore exstructa fue-nt quo res ipsae evenerunt tamquam immediati, solemnes ac pu-lici earumdem testes haberi debent. Porro divina Providentia isponente factum est, ut hac nostra aetate cum Rationalistae cripturarum Sacrarum historicam veracitatem impugnarent, et ndique arma conquirerent ad Revelationis fontes evertendos, novi t inexpectati testes veluti e sepulchris excitarentur, qui irrefraga-ili suo testimonio omnes adversariorum cavillationes, dubia, hypo-eses, temerarias assertiones uno veluti ictu convellerent. Nihil icemus de monumentis Phoeniciis et Palmyrenis, quae licet ali-uando utilia esse possint ad S. Scripturam illustrandam plerumque men ad philologiam potius, quam ad Archaeologiam biblicam eferenda sunt; hic sermo erit dumtaxat de monumentis in Palae-ina, in Aegypto, et in Assyria ac Babilonia repertis, quorum ventio et interpretatio inter praecipua saeculi nostri decora, ac iumphos a posteris habebitur.

A. *DeMonumentis, et antiquitatibus Palaestinensibus.*

Quamvis non ita multa nec tanti momenti in Palaestina recen-r inventa fuerint, si comparentur cum monumentis in Aegypto Mesopotamia repertis, per se tamen gravia sunt et Archaeolo-

giae biblicae maxime utilia. Respiciunt haec imprimis accuratiore descriptionem regionis cis et trans-Iordanicae, et urbium pagorum que qui in bibliis commemorantur, imprimis vero urbis Ieros lymae cum viciniis, item specialia quaedam facta in sacra histor celeberrima quo pertinent ex. gr. sepulchrum, seu spelunca du plex (מְעָרַת הַכְּפֵלָה) Abrahami, sepulchrum Iosue et alia quaeda monumenta, denique mores et consuetudines in iis regionib adhuc vigentes. Haec omnia docte et accurate descripta reperiun tur in pluribus recentibus libris, quorum praecipui, et meri celebrati sunt sequentes: Vict. Guérin: *Description de la Palesti* 3 Vol. 1875, cui praeiverat eiusdem auctoris a Gallico Guberni in Palaestinam ad eum finem missi: *Rapport officiel de sa missio scientifique en Palestine* Paris 1863. Succedit magni pretii opu Robinson: *Later biblical researches;* Ritter: *Palaestina und Syrie* item egregium opus Dr. Thompson: *The Land, and the Boo* edit. London and New-York 1870; Er. Pierotti: *Ierusalem explo red, a description of the ancient and modern city.* Cambridge 186 et qui omnia fere in unum collegit, apteque distribuit W. Porter i suo: *Handbook for travellers in Syria, and Palestine,* Lond. 187 Occasio alios auctores citandi non deerit in decursu huius tractationi

B. *Monumenta in Aegypto explorata ac reperta.*

Cum Aegyptus incunabula praebuerit populo Hebraeorum, multiplicem cum eo relationem deinceps semper habuerit, eviden est eius historiam, ac monumenta ad S. Scripturae intelligentia non parum conducere: in Pentateuco praesertim, in Isaia, in Ie remia, et in libris Regum ac Paralipomenon satis multa occu runt, quae ex accuratiori notitia de rebus veteris Aegypti illu stranda et explicanda sunt. Porro usque ad nostram fere aetate pauca innotuerant de veteri Aegypto sub Pharaonibus, scilic nonnulla satis confusa, et fabulis admixta in fragmentis Maneth nis et aliorum antiquissimorum scriptorum, et quaedam moni menta magnifica illa quidem (ut pyramides, et obelisci) sed exigua pro historia et Archaeologia utilitatis ob arcanam illam scripturam quam *hieroglyphicam* vocant, quae inscriptiones commemorativa iis insculptas intelligere non permittebat: quod a fortiori verum erat de papyris in sepulchris et alibi repertis. Aetati nostrae reserva tum erat tum copiam monumentorum poene incredibilem in lucem

roferre, tum clavim scripturae hieroglyphicae invenire, et quasi nguam illorum monumentorum solvere, quae muta, ac sensu acua, non obstantibus eruditorum hominum conatibus, huc usque ermanserant. Dicamus pauca primum de monumentis ipsis in egypto repertis, deinde de ratione qua docti viri tandem perve-erunt ad scripturam hieroglyphicam legendam.

Expeditio militaris Napoleonis in Aegyptum (a. 1798-1800) rimam occasionem ampliori investigationi monumentorum illius egionis praebuit. Plures enim docti viri ad hunc finem comitati unt exercitum Gallicum, et vallem Aegypti quaquaversus percur-entes prout opportunitas sese offerebat vetustissimarum urbium udera, templorum ruinas, regum sepulchra, aliaque satis multa ervestigarunt, descriptis monumentorum et etiam inscriptionum gnotarum imaginibus. Horum omnium accurata expositio paulo post n lucem prodiit curis et impensis Gallici gubernii sub titulo : *De-cription de l'Egypte*. Paris 1809 seqq. IX Vol. *in folio*. Harum nvestigationum successu excitati viri docti et rerum antiquarum tudiosi, praesertim postquam Champollion a. 1822 clavim scriptu-ae hieroglyphicae invenit, frequentius itinera per Aegyptum susce-erunt, novaque in dies monumenta detexerunt, quorum plurima tiam in Europam asportata sunt. Haec monumenta alia sunt enor-nis molis, et multo grandiora monumentis Graecorum et Roma-norum, ut pyramides, sphynges, aliaque inventa inter ruinas ve-erum urbium, ac templorum, alia sunt minora et etiam privata, uae praesertim in sarcophagis vetustissimis reperta sunt et adhuc eperiuntur, ut ex. gr. picturae et sculpturae quibus varii even-us, ritus, et consuetudines Aegyptiorum repraesentantur, varia nstrumenta diversarum artium, amuleta, ornamenta, annuli, sca-abaei, aliaque id genus plurima, imprimis vero ingens copia anuscriptorum in papyris, quae licet longo saeculorum spatio ntecedant omnes membranaceos codices qui antiquissimi reputan-ur (1), plerumque tamen integrae sunt, et optime conservatae ut criptura distincte et clare appareat. Multae ex his papyris in Europam

(1) Inter papyros Aegyptiacas extant plurimae quae V, VI, vel VII saeculis antecedunt aeram Christianam, nonnullae etiam X, aut XII saeculis antiquiores sunt, demum aliquae aetate Abrahami, aut etiam antiquius scriptae existimantur.

asportatae praecipua Musaea exornant imprimis Britannicum, Bero linense, Parisiense, Vaticanum, Taurinense. Complectuntur historiam regum, theologicam et moralem scientiam Aegyptiorum, tractatu scientificos, poemata, quaedam etiam de ritibus sacris, inter qua eminet integra collectio rituum funebrium, quae sub nomine *Libr mortuorum* ab eruditis citari solet (1). Haec omnia copiosam supell lectilem praebent studiosis, ut veteris Aegypti statum qualis era tempore Abrahami, Moysis et Prophetarum sibi repraesentare, e antiquam gentis illius historiam ex authenticis monumentis excitar ac veluti reconstruere valeant. Ad quod opus multi eruditi e variis Europae gentibus viri summa cum laude adlaborarunt, quo rum studiis Aegyptologia, uti vocant, mire progressa est, novaqu in dies incrementa suscipit (2). Hic tamen progressus impossibil fuisset, nisi datum esset scripturam Aegyptiacam intelligere. Quar nunc pauca dicenda sunt de ratione qua perventum est ad eam legendam.

Huius inventi gloria debetur, ut omnes norunt, I. Fr. Champol lion, qui Figeac in Gallia natus a 1790 iuvenis obiit Parisiis a. 1832 Is igitur novis Aegypti explorationibus excitatus, se totum hui

(1) Amplissima horum notitia hauriri potest ex pluribus insignibr operibus, quorum praecipua haec sunt: Opus sup. cit. *Description de l'Ég pte*. Par. 1809, Lepsius: *Denkmäler aus Egypten, und Nubien (Mon menta Aegypti, et Nubiae)* opus magni momenti, et egregiis tabulis i structum; Rosellini: *Monumenti dell'Egitto, e della Nubia*. Pisa 183 44 Prisse d'Avennes: *Monuments Egyptiens*. Paris 1847; De Rougé: *N tice des monuments Egyptiens*. Paris 1855 brevius sed accuratum; Ma riette: *Catalogue du Musée de Boulaq*. Alexandrie 1868 ed. 2.; Devéria *Manuscrits Égyptiens du Louvres*. Paris 1675, Brugsch: *Historia Aegypt* Chabas: *Etudes sur l'antiquité historique d'après les sources Egyptien nes* etc. Paris 1875.

(2) Mortuo Champollion a. 1832 eius opus continuarunt in Gallia L Normant, Nestor l'Hote, et Em. De Rougé successor Champollionis in schol Aegyptiaca Parisiis fundata, in Italia Salvolini, Rosellini, Ungarelli, i Batavia Leemans, in Britannia Osburn, Birch, Hinks, in Germania Lepsius Hos excipiunt recentissimi et hodierni Aegyptologi Maspero (tertius a Cham pollione scholae Parisiensis professor), De Saulcy, Mariette, Chabas (Aegy ptius), Devéria, de Horrack, Lefébure, Pierret, I. de Rougé, Grébaut, Brugsch Dümichen, Lauth, Eisenlohr, Ebers, Itern, Pleyte, Lieblein, Goodwin, Le page-Renouf, aliique.

Archaeologiae parti devovit, cum animo tandem perveniendi ad ecretum hieroglyphicae scripturae reperiendum, sine quo videbat Aegyptiaca studia progredi non posse. Linguae Copticae, quam ciebat esse ipsam vetustam linguam Aegyptiacam quae monumenis inscripta erat, non mediocrem sibi comparavit scientiam, qua nstructus coepit hieroglyphicas inscriptiones tunc notas diligenter nspicere, et comparare. Post inutilia quaedam tentamina studium ium convertit ad stelam quamdam bilinguem quae dici solet *lapis Rosettae* eo quod prope Rosettam in Aegypto inventa fuit a. 1799 viro militari Bouchard dum Arci S. Iuliani muniendae operam aret. Haec stela, quae tantam celebritatem in archaeologia adepta st, eo quod clavim scripturae hieroglyphicae suppeditaverit, est x marmore nigro, altitudinis pedum 10, latitudinis $3\,^1/_2$; in uno ntere gerit inscriptionem in tribus columnis triplici diversa scriptura, cilicet hieroglyphica, demotica, et graeca. Columna graeca, quae 54 liieis constat, continet decretum sacerdotum Aegypti quo decernuntur tatuae et honores divini Ptelomaeo Epiphani regi. Paulo post aliud parvum monumentum ex insula Philae allatum est, in quo legeatur pariter inscriptio Aegyptiace et Graece exarata in honorem Cleopatrae. In inscriptione Rosettae quinquies occurrebat nomen Πτολεμαιος, in inscriptione Philae nomen Κλεοπατρα. Cum graeca olumna evidenter aliud non esset quam versio inscriptionis Aegytiacae, proindeque eadem nomina continere deberet, Champolon statim intellexit ab his incipiendum esse, quia nomina propria lus minus eodem modo sonant in qualibet lingua. Iam notum erat ruditis nomina regum in monumentis hieroglyphicis esse inclusa inra rectangulum, quo facilius a reliqua scriptura distinguantur. Hinc acile illi fuit in columna hieroglyphica stelae Rosettae discernere omen Ptelomaei octo signis hieroglyphicis efformatum et quinquies epetitum ut in versione Graeca, item in alio monumento notavit omen Cleopatrae undecim signis constans. Numerus iste signorum tatim illi ostendit signa illa animalium, plantarum etc. alphabeica esse, seu singulas tantum literas designare quibus nomen Aegytiacum obiecti repraesentati incipiebat, non vero totam ideam, ut uidam olim putaverant. Notavit insuper in nominibus Graecis Ptolemaci et Cleopatrae plures literas communes esse, ut π, τ, ο, ε, λ, quibus proinde iuxta hypothesim, eadem signa hieroglyphica utro-

bique respondere debebant. Quibus animadversis, coepit comparare signa. Primum signum nominis Ptolemaeus (parvum rectangulum si est litera *p* debebat reperiri etiam in nomine Cleopatra quinto loco, et ibi reapse invenitur: tertium signum (nodus in fune si stat pro litera *o* recurrere debebat in Cleopatra quarto loco et ibi revera observatur. Alterum signum in Cleopatra (figura leonis cubantis) si est litera *l* quartum locum occupare debebat in Ptolemaeo, et ita est. Sextum signum Cleopatrae (aquila) non recurrit in Ptolemaeo, sed cum idem repetatur decimo loco in priori nomine, nullum dubium relinquebatur illud stare pro litera *a* (1). Ita paulatim progrediens a noto ad ignotum, consultis aliis inscriptionibus, ubi nomina propria occurrebant pervenit ad determinandum valorem signorum hieroglyphicorum, et ad systema scripturae Aegyptiacae exponendum (2), quod postea ab eius successoribus aliisque doctis viris superius laudatis, multis monumentis inter se collatis, magis magisque perfectum est. Itaque ex collatis horum studiis inventum est veterem scripturam hieroglyphicam duo genera signorum complecti, quorum alia sonos literarum sive vocalium sive consonantium exprimunt, ideoque *phonetica* appellata fuerunt, alia vero non sunt legenda sed tantum apposita sunt ad determinandam significationem vocis ambiguae, ideoque *determinativa* vocantur. Idque Champollion iam ab initio coniecerat ex citata inscriptione Philae, ubi post ultimum *a* nominis Cleopatra cernuntur duo alia signa, quae in Graeco nomine praeter missa fuerant; erant igitur signa tantum determinativa nominis foeminini: clarius id apparuit deinceps ex aliis inscriptionibus (3).

(1) Nomina Aegyptiaca, quibus designantur *Leo*, et *Aquila* incipiunt et ipsa a literis *l*, et *a*, ut in nostris linguis.

(2) Hoc primum exposuit in epistola ad Dacerium data: *Lettre a M Dacier* 22 Sept. 1822 et deinde plenius in: *Précis du système hiérogly phique*. Paris 1824.

(3) Signa determinativa plerumque imaginem referunt ipsius obiecti, ad quod vox ambigua vel nimis generica determinanda est, vel aliquid unde possit determinatio illa intelligi, atque ideo licet non pronuncientur valde tamen adiuvant lectorem in sensu sermonis percipiendo. Ita ex. gr. duo signa, anser, et crus humanum, leguntur semper *seb*, sed varia est significatio vocis pro variis signis determinativis, quae sequuntur. Si sequitur

Rursus plura signa phonetica aliquando unum eumdemque sonum referunt, ideoque *omophona* dicta sunt, multa etiam non unam tantum literam, sed integram syllabam notant, atque ideo *syllabica* vocantur, nec desunt signa *ideographica,* quae scilicet totum obiectum, potiusquam sonos quibus exprimitur, directe repraesentant. Inde apparet scripturam hieroglyphicam valde complexam esse, et signis diversis redundantem, quae ad 3,000 numerantur a Brügsch. (1) Hac de causa, atque etiam ex eo quod scriptura haec nimis spatii requireret, nec omnibus facile esset varia illa obiecta realia aut symbolica delineare ac pingere, serius coepit ad simpliciorem formam redigi, in qua non integrae figurae, sed summae tantum lineae obiectorum apparebant, quae forma dicta fuit a Champollion *scriptura hieratica,* demum ád usus civiles et literarios adhuc simplicior et magis cursiva forma characterum inducta est inde a regno Shabak et Tahraqua (iuxta opinionem Maspero) quae ob communem et vulgarem usum *demotica* dicitur. Huius postremae scripturae specimen exhibet inscriptio Rosettae in altera columna, in papyris vero passim occurrit.

C. *Monumenta Assyriaca, et Babilonica.*

Historia Imperii Assyro-Chaldaici multo magis cum Hebraeorum gente connexa est quam historia Aegyptiorum. Libri Regum et Paralipomenon, Prophetae maiores et minores ubique de Assyriis et Chaldaeis loquuntur; Ionas Ninivitis praedicavit, Tobiae historia in Assyria accidit, Ezechiel, Baruch, Daniel in Babilonia vixerunt et vaticinia ediderunt, ibique tota gens Iudaeorum diu mansit, et inde cum Zorobabele, Esdra, et Nehemia in Palaestinam reversa est; Libri Esther et Iudith de Assyriis et Babiloniis pertractant; quinimo Moyses ipse Assyriorum initia, et veluti incunabula eorum imperii commemorat, et Abrahamum Patriarcham ostendit ex Chaldaea egressum in terram Chanaan advenientem, quae eius posterorum, Hebraeorum gentis, sedes futura erat. Ex his apparet quantum utilitatis ad accuratam S. Scripturae intelligentiam afferre de-

figura idoli cuiusdam significat *seb numen* (ut in inscriptione Micerini), si sequantur duo crura quasi ambulantis significat *transire,* si sequitur parva stella significat *stellam* et ita porro.

(1) Cfr. Brugsch. *Grammaire hiéroglyphique.* Leipsis 1872. page 1.

beat plenior de rebus Assyriorum et Chaldaeorum notitia. Haec porro accuratior notitia usque ad nostram aetatem plane deerat. Quamvis enim de illis populis satis multa legantur apud profanos scriptores praesertim Graecos, haec tamen testimonia nimis recentia sunt pro summa gentis illius vetustate, eaque plerumque vaga et indeterminata, passim absurda et inter se pugnantia, saepe etiam fabulis admixta sunt. Ceterum de moribus, institutis, artibus, religione, literatura, monumentis nihil aut fere nihil innotuerat. Babilonis ruinae, licet a nonnullis doctis viris saeculis XVI et XVII inspectae, fere in oblivionem deciderant, celeberrimae vero urbis Ninive, aliarumque Assyriae urbium ita vestigia omnia evanuerant ut ne earum quidem situs certo agnosceretur. Aetate vero nostra haec omnia inventa et explorata sunt, Ninive et Babilon aliaeque urbes iterum in lucem emerserunt, suaque monumenta, palatia, turres, templa oculis conspicienda praebuerunt, suamque historiam tum in infinitis sculptis imaginibus, tum innumeris inscriptionibus, quas *cuneiformes* vocant, narrare coeperunt, qua S. Scripturae veritas confirmatur, eiusque narrationes, allusiones, imagines, phrases mirifice illustrantur. Primus qui gloriam in hac palaestra adeptus est fuit Paulus Em. Botta Italus (Caroli historici filius), sed Gallici gubernii servitio addictus, et consul Mossuli in Assyria. Is igitur primum solum tentavit in loco dicto Koyundiik e regione Mossul in altera ripa (sinistra) Tigris, sed haud magno successu, hinc relicto Koyundiik alium locum explorandum suscepit magis ad septemtrionem prope pagum dictum Khorsabad, ibique post multos exantlatos labores et gravissima superata obstacula tandem pervenit ad detegendum immensum palatium regis Sargon (Sar-Kin) patris Sennacherib, coaevi Ezechiae regis Iuda. Inferior ordo cubiculorum adhuc integra permanebant, scilicet sex aulae amplissimae quarum parietes ab imo ad summum innumeris ectypis et sculpturis cooperti erant cum plurimis inscriptionibus cuneiformibus, praeter alias inscriptiones insculptas tauris marmoreis ad portam palatii adhuc stantibus, lateribus pavimenti, et laminis metallicis inter palatii fundamenta abditis. In sculpturis conspiciebantur pugnae, venationes, ritus sacri cum innumeris figuris variis vestibus ornatis. Haec Botta eiusque socii quam cito fieri potuit delinearunt et characteres cuneiformes quoad licuit excripserunt ne

perirent; cum enim palatium illud incendio vastatum fuisset lapides calcarei facile in pulverem resolvebantur ad aeris contactum. Interim haec ex Oriente in Galliam missa, et paulo post (1849) vulgata totius Europae attentionem ad se converterunt; et Angli quidem laudabili sane consilio statim proposuerunt ampliores explorationes in tumulo praesertim contra Mossul ubi suspicabantur esse situm Ninive. Explorationes alacriter prosequuti sunt multi docti viri, imprimis A. H. Layard, H. Raw linson, Ormuzd Rassam indigena, sed Anglorum consul Mossulensis, Lord Loftus, Vict. Place, et G. Smith nuper e vivis ereptus, quorum labores brevi annorum spatio tam ingentes ediderunt fructus ut expectationem omnem superaverint. Hinc apparuit situm Ninive, ac eius veluti sepulchrum, esse immensum illum terrae tumulum quod contra Mossul erigitur et ad multa milliaria protenditur [a septemtrione versus meridiem a *Koyundiik,* usque *Nebiyunu.* Ibi duo inter cetera maioris momenti palatia detecta sunt alterum regis Sennacherib, alterum Assarhaddon eius successoris, utrumque deinceps completum et ornatum ab Assurbanipal, qui priori palatio ingentem bibliothecam addiderat, ut ex inscriptionibus apparuit. Inventio huius bibliothecae praecipuam epocham signat in fastis Archaelogiae Assyriacae; exinde enim linguae et scripturae Assyriacae studia quae huc usque lento et incerto gradu incesserant, ingens lumen, et incrementum acceperunt. Tota bibliotheca laterculis fictilibus constabat ex utraque parte inscriptis charactere cuneiformi, et ordine dispositis circa parietes aulae maximae palatii: creditur ad 10,000 laterculos ibi collectos fuisse. Continebant autem gesta regis Assarhaddonis (ut in aliis palatiis gesta eorum fundatoris), insuper tractatus philosophicos, theologicos, medicos, scripta de moribus et vita Assyriorum, alias historias poemata, demum grammaticas, et syllabaria ad usum ipsorum Assyriorum ad legendam scripturam archaicam, et monumenta alterius linguae antiquioris et tunc fortasse iam mortuae quoque multae inscriptiones adhuc superstites exaratae sunt.

Alia quoque monumenta invenerunt laudati exploratores tum in situ Ninive, tum inter reliquias aliarum Assyriae urbium Chalah (*Nimroud*) El-Assur (*Chalah Scergat*) et alibi, magnaque exinde copia extracta est tum cimeliorum, tum inscriptionum, quas inter specialem mentionem merentur longa inscriptio regis *Assunasir-*

habal (a. C. 882-857) reperta in eius palatio, et alia regis Teglatphalasar I quater repetita in quatuor prismatibus sepultis inter fundamenta magni templi Assur iuxta Assyriorum morem. Pretiosae istae exuviae vetusti imperii Assyriorum in Angliam asportatae praecipuum thesaurum efficiunt Musaei Britannici. Sex amplissimae aulae vix eis capiendis sufficiunt: sculpturae integras parietes contegunt, in medio innumera obiecta cuiusvis generis, statuae, obelisci ac stelae, prismata, urnae funerariae, vasa, utensilia domestica, arma etc. hinc inde abaci crystallis occlusi conspiciendas exhibent inscriptiones cuneiformes, quarum tamen longe maior copia (Bibliotheca Assurbanipal) iacet in centum et amplius capsis, quae amplissimam supellectilem doctorum hominum studiis et investigationibus suppeditant.

Interim vero Gallici exploratores labori ac expensis non pepercerunt ut et ipsi vetusta monumenta in lucem revocarent, praecipue vero inferiorem Mesopotamiae regionem ab hodierna Bagdad usque ad sinum Persicum explorandam susceperunt, nec sine successu. Praecipuae Chaldaeorum urbes *Eridu*, *Arach*, *Chalanne* (?) *Ur* Abrahami patria, *Larsam*, *Nipur*, *Sepharvaim* (Sipphara) imprimis vero celeberrima *Babylon*, super utraque ripa Euphratis sita et in immensum porrecta, recognitae fuerunt, et multa earum monumenta, turres, palatia, templa, sepulchra in lucem prolata sunt, una cum innumeris inscriptionibus aetatum longe dissitarum a primis Chaldaeorum regibus (2,000 et amplius annis ante Christum) usque ad epocham Alexandri M. et Seleucidarum (1).

(1) Inscriptiones cuneiformes quamvis vulgo assyriacae appellari soleant, non in sola tamen Assyria proprie dicta reperiuntur, sed passim et in magna copia occurrunt in tota valle Euphratis et Tigris a montibus Armeniae usque ad sinum Persicum. Tantus est earum numerus ut si omnes describerentur integram voluminum bibliothecam efficerent. Multae ex his a viris doctis vel lithographiae vel etiam typographiae ope expressae, vulgatae fuerunt ex. g. a Botta, Layard, Oppert, Ménant, imprimis vero a doctis Anglis Musaei Britannici administratoribus *(Trustees)* quorum cura in lucem eduntur inscriptiones in eodem Musaeo collectae: quatuor volumina in folio iam prodierunt curantibus Rawlinson, Norris, et G. Smith (an. 1861, 1866, 1870, 1875). Praeterea anglica versio selectarum inscriptionum tum cuneiformium tum aliarum orientalium identidem prodit parvis voluminibus comprehensa sub titulo: *Records of the past*, quorum plura iam lucem axpexerunt.

Haec omnia sive Assyriae proprie dictae, sive Babyloniae mo-
umenta accurate et docte descripta videri possunt in pluribus
peribus quae eruditi viri superius laudati in vulgus ediderunt.
raecipua haec sunt. P. E. Botta: *Le Monument de Ninive décou-
rt et décrit par P. E. Botta, mésuré, et dessiné par E. Flan-
n, publié aux frais de l' Etat.* 5. Voll. folio. 4 de planches,
un de texte Paris 1849; I. Oppert: *Rapport adressé à S. E. M.
Ministre de l' Instruction publique, et des Cultes,* insertum in
nnales de Philosophie Chrétienne An. 1856; M. Layard: *Disco-
ries on the site of Ninive during 1873, and 1874.* London 1875;
avaniol: *Les monuments en Chaldée, en Assyrie, et à Babylone 1870;*
. Place: *Ninive, et l' Assyrie,* Paris. I. Ménant: *Babylone, et
Chaldée,* Paris 1875, idem: *Annales des Rois d' Assyrie 1874*
. Smith: *Assyrian discoveries.* London 1875: multa quoque re-
eries in Asiatica ephemeride tum Gallica (*Journal Asiatique*) tum
nglica (*Journal of the Royal Asiatic Society*) sparsim. Quibus ac-
edunt plura opera grammatica, et lexicalia de scriptura, et lin-
ua inscriptionum cuneiformium, quae inferius laudabimus.

Nunc itaque pauca de inscriptionibus cuneiformibus, earumque
ctione. Inscriptiones istae, ut supra innuimus, tam multae su-
ersunt ut si omnes colligerentur ingentem voluminum copiam
fficerent. Dicuntur autem *cuneiformes* ob figuram signorum quibus
xaratae sunt, quae *cuneorum* similitudinem praeseferunt (1): isti
arvi cunei vario modo collocati (sive orizontales, sive verticales,
ve obliqui), et inter se aliter atque aliter compositi omnes
naracteres scripturae huius efformant. Convenit nunc inter Assy-
ologos hanc non esse primitivam scripturam Assyriorum et Chal-
aeorum, sed ex alia antiquiore paulatim derivatam. Scilicet prima

(1) Possent etiam comparari clavo, vel ferro sagittae, unde a nonnullis
icta fuit haec scriptura *claviformis,* vel *sagittiformis* (Anglice *arrow-
haded*); verum appellatio cunei formis nunc in communi usu recepta *est.*
raedicta signorum forma originem habet ex materia super quam inscri-
iones induci solebant, et ex forma styli quo incidebantur. Non enim in
embranis vel charta gentes illae scribere solebant pennicillo, vel calamo,
d in laterculis ex argilla confectis cum adhuc mollis esset characteres
sculpebant stylo quodam triangulari, cuius ictus pro simplici linea cu-
eiformia signa efficiebant. Plures ex his stylis scriptoriis inter ruinas
abylonis et Ninive repeti fuerunt.

scriptura fuit *ideographica,* seu integras figuras obiectorum, sive realium sive symbolicorum exhibens ad ideas repraesentandas, ut adhuc videre est in quibusdam paucis monumentis: deinde coeperunt tantum summae quaedam lineae pro integris figuris depingi, et ita orta est simplicior scriptura, quae *hieratica* dicta est, ut etiam in scriptura aegyptiaca factum vidimus, et in Sinensium quoque scriptura accidisse creditur; antiquiora quaedam monumenta Babilonica hoc alterum stadium scripturae exhibent. Demum ex hac hieratica scriptura formata fuit tertia, quae proprie *cuneiformis* dicitur, eaque rursus decursu temporis simplicior effecta est, unde in *archaicam* et *recentiorem* distinguitur, et demum pro usibus civilibus et domesticis *cursiva* quaedam scriptura formata fuit quae in monumentis nusquam apparet, sed in laterculis fictilibus satis communis est (1). Rursum scriptura cuneiformis proprie dicta in varias species dividitur pro vario modo quo elementa illa cuneiformia inter se componuntur et rebus vel vocibus significandis coaptantur, seu pro diverso, uti aiunt, systemate scripturae, ita ut sub nomine scripturae cuneiformis, si proprie loqui velimus, non una eademque, sed plures diversae scripturae comprehendantur, quae inter se non conveniunt nisi in ultimis elementis scriptionis, quae sunt signa illa cunei formam praeseferentia. Neque hoc mirum est siquidem ratio illa scribendi a vetustis Chaldaeis, ut creditur, primum inducta, sensim sine sensu ad alias gentes ingenio, ac linguae longe diversas propagata est, quarum unaquaeque illam suae linguae accommodavit; inscriptiones itaque cuneiformes varias linguas diversarum etiam stirpium repraesentant Persicam in Perside, Medam in inscriptionibus persepolitanis, Armenicam veterem in Armenia, Babylonicam et Assyriacam in monumentis circa Euphratem et Tigrim repertis; imo saepe una eademque inscriptio in plures columnas divisa diversa idiomata sistit, ac diversa scribendi systemata, ut fit imprimis in inscriptionibus trilinguibus Persepolitanis, in quibus diversitas scripturae ex attenta signorum inspectione satis innotescit, et a viris doctis observata fuit (C. Niehbur a. 1765) antequam vel unum signum ex iis legere potuissent. Facile enim

(1) V. Oppert: *Rapport adressé à S. E. M. le ministre de l'Instruction publique* etc. *(Annales de Philosophie Chrétienne 1856* pag. 172 seq.)

ıtelligitur scripturam primae columnae paucis characteribus totam ɔnstare, alterius columnae plurium characterum copiam continere, ertiae demum columnae scripturam innumeris fere diversis signis ıeratam, ideoque implicatissimam esse.

Haec quae cursim innuimus satis sunt ut unusquisque per- pere possit quam difficile opus esset huius scripturae clavim eperire post viginti fere saecula, ex quo in desuetudinem, et obli- ionem abierat. Hinc factum est ut plerique id unquam fieri posse esperarent, alii opus tentaverint sed absque fructu, denique ii ui ad veram cuneiformium inscriptionum interpretationem aliquid ɔntulerunt nonnisi plurium annorum labore, admodum lento gradu, per multas aberrationes rem ad exitum perducere potuerint. Ad ɔopum nostrum non pertinet plenam historiam harum investiga- ɔnum pertexere (1): sed sufficiat pauca innuere. Inscriptiones ersepolitanae, quarum nonnullae inde a saeculo XVII notae erant ruditis ex itineratorum descriptionibus, (2) ante ceteras examini sub- ctae fuerunt. Prima tentamina C. Niebuhr (1765), Tychsen (1798), ünter (1800) nullum exitum habuerunt, sed tantum viam ster- ere coeperunt verae interpretationi earumdem inscriptionum. ıterim observatum est easdem inscriptiones generatim in tres ɔlumnas divisas exhibere tres diversas scripturas, et probabilius ɔntinere unam eamdemque inscriptionem repetitam in tribus praeci- ıis linguis, quae vigebant in regno Achaemenidarum, a quibus ıscriptiones illae prodierant. Iuxta hanc coniecturam, quae dein- ɔps veritati conformis apparuit, singulae scripturae seorsim con- derari coeperunt, et imprimis scriptura primae columnae tum iarum, tum praesertim magnae inscriptionis Behistun (3) a Dario

(1) Hanc historiam accurate, et copiose narrant prae ceteris J. Ménant: *es écritures cuneiformes. Exposé des travaux, qui ont préparé la cture, et l'interprétation des inscriptions de la Perse, et de l'Assy-* e 2me édition Paris 1864. A. Scholz: *Die Keilschrift Urkunden, und e Genesis.* Würzburg 1877. Fr. Kaulen: *Assyrien und Babylonien ıch den neuesten entdeckungen.* Coloniae 1877.

(2) Nonnullas exscripserat Petrus della Valle a. 1621, alias addiderat ardin a. 1674, alias Kämpfen, et C. Van Bruyn: sed hi ne unum qui m verbum legere potuerant.

(3) Haec inscriptio, quae in historia Archaeologiae Assyriacae celeberrima , reperitur in rupe calcarea sub monte Behistun in regione Kourdistan: latere rupis cernitur ingens sculptura sistens regem Darium pedibus

filio Hystaspis positae ad suas victorias celebrandas, quae ibidem insculptae cernuntur. Initium fieri debuit, ut patet, a nominibus propriis regum Achemenidarum quae omnibus nota erant, quaeque difficile non fuit recognoscere inter signa cuneiformia. Grotefend a. 1802 per ingeniosas, et subtiles comparationes pervenit ad legenda duo nomina regum, nempe *Darius* (Darayavus) et *Xerxes* (Khsayarsa) in duabus parvis inscriptionibus, atque ita valorem quorumdam signorum determinare coepit, et ostendit scripturam textus Persepolitani esse generatim *alphabethicam*, ut olim Niebuhr suspicatus fuerat ex paucitate signorum quibus constat. Non potuit tamen ultra progredi. Post multos annos Eug. Burnouf (Paris 1836) alias inscriptiones expendens, ubi nomina propria occurrebant, plura alia signa invenit, quibus alia addidit Lassen (Bonn 1836) ita ut hi fere integrum alphabethum cuneiforme Persepolitanum restituerint, atque ita inscriptiones vetusta Persica lingua exaratas legere ac interpretari coeperint: quod etiam paulo post praestiterunt independenter ab invicem Hincks Dublini 1840, et Oppert Parisiis 1847 (1).

Inventa clavi primae scripturae, ad secundam et tertiam quae in aliis columnis inscriptionum Persepolis reperiuntur interpretandas studia sua contulerunt eruditi viri. Ope nominum propriorum quae in prima columna legebantur tandem perventum est ad secundam scripturam legendam quae, ut supra innuimus, continebat versionem Scythicam seu Medicam textus Persici: praecipua laus huius inventi debetur doctis viris Westergaard (1844), Hincks (1846) Oppert (1850), et Norris, qui a. 1853 vulgavit interpretationem et commentarium integrae inscriptionis Behistun (quoad texturam

calcantem hostem prostratum, et coram eo novem alios reges manus et coll devinctos: infra, et circa legitur longa inscriptio cuneiformis (400 linei per columnas divisa. Prima columna continet textum Persicum seu *Persepolitanum*, altera columna versionem eiusdem alia scriptura, aliaque lingua (Norris vocavit *Scyticam*, Oppert *Medicam*, Sayce *Aelamiticam*), terti columna continet versionem *Assyriacam*, ea scilicet scriptura eademque lingua quae in tot aliis monumentis Assyriae et Babyloniae recurrit, quaeque proinde longe gravioris momenti est ceteris duabus scripturis, simul tamen multo difficilior.

(1) J.Oppert a.1851 et 1852 vulgavit in *Journal Asiatique* versionem,et commentarium omnium inscriptionum Persicarum,quae huc usque innotuerant.

ecundae columnae) postquam accuratum eius exemplar a Rawlin-on descriptum et ab Oriente in Angliam missum fuisset. Haec ltera scriptura syllabica est. Ceterum huius scripturae ac linguae nonumenta pauca sunt, nec tanti momenti.

Adhuc remanebat interpretanda *tertia scriptura,* quae maioris retii est, quam duae priores; non enim solum in monumentis Persepolitanis occurrit (in tertia columna) sed in aliis innumeris um monumentis proprie dictis, tum laterculis coctilibus, et totam Assyriacae et Babylonicae literaturae suppellectilem complectitur: gebatur, scilicet de scriptura cuneiformi proprie Assyriaca, et Babylonica. Ad huius scripturae interpretationem sine dubio viam travit interpretatio primae et alterius scripturae, sed novae difficultates hic occurrebant ex multitudine et ambiguitate signorum, quae eius inventionem diu retardarunt. His tamen minime deteriti docti viri qui se se his investigationibus devoverant, pertinaci abore, et multorum collatis studiis tandem pervenerunt ad hanc uoque scripturam legendam. Inexpectatum auxilium et maxime pportunum contulerunt laterculi bibliothecae Assurbanipal, in quibus, ut supra innuimus, plura extant syllabaria, lexica, aliaque id genus elementaria opera ad usum ipsorum Assyriorum, quibus scriptura Assyriaca tam varia et intricata iam difficultatem praeseferebat. Cum autem multi eruditi de inventa clavi inscriptionum cuneiformium adhuc dubitarent, et de novis interpretationibus cum diffidentia, ut etiam cum contemptu loquerentur, nonnulla experimenta ab Assyriologis exhibita fuerunt ad fidem suis inventis conciliandam. ta a. 1857 quatuor docti viri Hinks (Dublini), Talbot et Rawlinson (Londini), Oppert (Parisiis) paratos se ostenderunt ad unam eamdemque inscriptionem seorsim legendam et interpretandam, ut ex singulorum versionum consensu veritas methodi probaretur. Data est singulis, cura Societatis Asiaticae Londinensis, inscriptio Teglatpalasar I lithographice expressa: post mensem singuli suam versionem private miserunt ad praedictam Societatem, quae in solemni sessione (Die 25 Maii) coadunata, apertis schedis, perlectisque versionibus, invenit eas, ad substantiam quod attinet, convenire. (1) Saepe etiam factum est ut nomina propria, vel integrae

(1) Paulo post vulgatae fuerunt hae quatuor versiones in *Iournal of the Royal Asiatic Society* to. XVIII. part. I. a. 1860.

inscriptiones in cuneiformibus ab Assyriologis perlectae deinceps inventae fuerint in alia scriptura et lingua notiore, quae praecedentis interpretationis veritatem confirmavit; atque ita tandem factum est ut omnibus persuaderetur clavim scripturae cuneiformis vere inventam fuisse: quamvis non omnes difficultates et obscuritates adhuc removeri potuerint. Grammaticae etiam linguae Assyriacae vulgatae sunt, in quibus tum lectio scripturae cuneiformis, tum lingua in iis expressa secundum certa principia et accuratam methodum explicatur (1). Systema scripturae cuneiformis Assyriacae ad haec revocari potest: 1) scriptura generatim *syllabica* est: pauca signa ideogrammatica; 2) alia signa pro syllabis *simplicibus* (una voc. et una conson.), alia pro syllabis compositis (voc. cum plur. conson.); 3) syllabarum simplicium signa fere sex sunt pro singulis consonantibus prout hae componuntur vel ante vel post tres vocales Assyriacas a, i, u, sic: *ba, ab, bi, ib, bu, ub; ga, ag, gi, ig, gu, ug* etc.; 4) syllabae compositae duobus modis scribi possunt, vel per specialia signa singulis syllabis respondentia, vel ea resolvendo in duas syllabas simplices, repetita scilicet vocali: ita duae syllabae vocis *napsat* (anima) exprimi possunt vel duobus propriis signis, vel syllabis resolutis in quatuor *na* + *ap* + *sa* + at. Numerus signorum syllabicorum ingens est; 5) plura signa varias syllabis respondere possunt ideoque *polyphona* vocantur: ambiguitas inde orta est una ex maximis difficultatibus in lectione inscriptionum; 6) extant quaedam signa quae legenda non sunt, sed tantum ad ideam determinandam apponuntur, et *determinativa* vocantur (ut in hieroglyphicis): ita cuneus verticalis nomini praefixum si

(1) Praecipuae ex his sunt sequentes: J. Oppert: *Grammaire Assyrienne* 2me ed. Paris 1867; J. Ménant: *Le syllabaire Assyrien*. Paris 1868-72; eiusdem: *Leçons d'épigraphie Assyrienne*. Paris 1874; E. Schrader *Die Assyrisch-Babylonischen Keilinschriften*. Leipzig 1872; Sayce: *Assyrian grammar*. London 1872. Pro cuneiformibus vero non Semiticis videri possunt: Norris: *Memoir on the Scythic version of the Behistun inscription* (in *Journal of the Royal Asiatic Society* vol. XV. part. I.) Le normant: *Etudes accadiens*. Paris 1872.

(2) Desumpsimus haec fere ex Cl. Maspero *Histoire ancienne des peuples de l'Orient*. Ed. 3 Paris 1878 Chap. XV. *Les écritures du monde Oriental*, ubi etiam reperies syllabarium Assyriacum propriis signis expressum pag. 574-582, et specimen lectionis cum interpretatione pag. 583. seq.

nificat illud esse nomen humanum; tres cunei aculeis coniuncti fere ad modum stellae) indicant vocem sequentem esse nomen regionis et ita porro ; 7) demum quaedam signa phonetica non sunt, sed vera *ideogrammata*.

Haec satis sint de novis inventis in Palaestina, Aegypto et Assyria, quibus tum historia, tum archaeologia Biblica magnopere adiuvari atque illustrari possunt (1) atque inter eius fontes merito numerantur.

IV. Ad partionem tractationis quod attinet, sequemur consuetam divisionem in antiquitates sacras, civiles, et domesticas, praemissa tamen brevi expositione geographiae et chronologiae biblicae. Erunt igitur quatuor tractationis partes, seu sectiones I De *Geographia et Chronologia* biblica; II De biblicis antiquitatibus *sacris;* III De antiquitatibus *politicis;* IV De antiquitatibus *domesticis* in quantum Scripturae interpretandae inservire possunt.

SECTIO I.

DE GEOGRAPHIA ET CHRONOLOGIA BIBLICA

Vere aiebat Varro geographiam, et chronologiam habendas esse veluti duos historiae oculos, sine quibus scilicet rerum praeteritarum narratio nec recte intelligi, nec probe aestimari potest. Ipsum de archaeologia dicendum est: nam sine accurata regionum et locorum notitia, et sine exacta temporum divisione vetusta monumenta quasi muta iacerent, nec ad historiam illustrandam utiliter adhiberi possent. De biblica igitur Archaeologia dicturi oportet et pauca praemittamus de *Biblica Geographia,* quae quasi theatrum eventuum in Scripturis narratorum sub oculos ponit, et de

(1) Ceterum non defuerunt docti viri, qui notitias iam comparatas in hanc usum converterent: inter hos laudari possunt saepius memorati Maspero, Chabas, Rawlinson, Robiou pro historia populorum Orientalium in genere, in specie vero pro historia et Archaeologia biblica F. Vigouroux presb. S. Sulpitii in insigni opere cui titulus: *La Bible, et les découvertes modernes en Palestine, en Égypte et en Assyrie* etc. 3 Voll. 6e edit. Paris 1879 in quo opere (ut doctus criticus Allemannus animadvertit) nihil lectori desiderandum relinquitur nisi eius continuatio: siquidem auctor non ultra libros Regum et aetatem Salomonis progreditur.

Biblica Chronologia, quae docet varias aetates atque epochas distinguere, ad quas singula facta pertinent. (1) De utraque breviter distinctis capitibus agemus.

CAPUT I.

De geographia biblica (2)

Geographia biblica est « Descriptio illarum regionum et locorum, de quibus in Scripturis Veteris et Novi Testamenti fit mentio, imprimis vero Palaestinae seu terrae sanctae. » Hinc patet ad biblicam geographiam pertinere 1° praecipue Palaestinae descriptionem, 2° descriptionem vicinarum etiam regionum de quibus saepissime sacrae literae loquuntur. Rursum descriptio regionum iuxta rei naturam, et geographorum usum complectitur tum physicam locorum descriptionem, quam geographiam physicam vocant, tum populorum et urbium ac provinciarum notitiam quae geographia politica dicitur. Haec igitur breviter exponemus, praemissis tamen nonnullis generalibus notionibus ad faciliorem rerum intelligentiam.

(1) De Geographiae biblicae utilitate ad S. Scripturae intelligentiam ita scribit S. Hieronymus: « Quomodo Graecorum historias magis intelliguut, qui Athenas viderint, et tertium Virgilii librum, qui a Troade per Leucaten, et Acroceraunia ad Siciliam, et inde ad Ostia Tiberis navigaverint: ita sanctam Scripturam lucidius intuebitur, qui Iudaeam oculis contemplatus sit, et antiquarum urbium memorias, locorumque vel eadem vocabula, vel mutata cognoverit. Unde et nobis curae fuit cum eruditissimis Hebraeorum hunc laborem subire, ut circumiremus provinciam, quam universae Christi Ecclesiae sonant » (Praefatio altera in Lib. Paral.)

(2) Auctores consulendi pro geographia biblica sunt potissimum sequentes. Ex antiquioribus S. Hieronymus *Lib. de locis hebraicis* seu *Onomasticon* Eusebii a Hieronymo in latinum conversum (Hoc opus seorsim editum fuit cum additamentis a I. Bonfrerio); A. Relandus: *Palestina ex monumentis veteribus illustrata* Vol. 2. Traiecti Batav. 1714 (habetur etiam in *Thesauro* Ugolini to. V.); ex recentioribus vero et recentissimis Guérin, Mislin, Gratz, Robinson, Stanley, Potter, Van de Velde, Menke aliique, quorum opera vel superius laudavimus, vel infra laudaturi sumus.

ARTICULUS. I.

Notiones praeliminares geographiae biblicae

Notiones geographicae apud priscos Hebraeos, ut plus minus apud lias vetustas gentes satis imperfectae erant, eaeque prae oculis haben- ae sunt ad recte intelligendas eas loquendi formas, quae ad re- ionum situm, distantiam et appellationem referuntur. Generalis onceptus telluris apud antiquos hic erat: tellus veluti immensa lanities concipiebatur, super quam coelum quasi tentorium ex- ansum esset, subter autem abyssus, seu fovea caliginis et tene- rarum sedes. Quamvis regiones trium continentium antiqui orbis Iebraeis notae essent, divisio tamen et nomina Asiae, Africae et Europae nunquam in Scripturis occurrunt: ubi enim in N. T. raesertim in Actis Apostolorum, *Asia* nominatur non intelligitur le toto continente, sed speciatim de parva provincia Asiae mino- is, quae a Romanis proconsulibus administrata vocata fuit *Asia roconsularis*. Quatuor puncta cardinalia ad locorum positionem eterminandam procul dubio ab Hebraeis adhibita sunt, et in Scri- turis passim nominantur; observandum tamen est 1° puncta in- ermedia quae a nobis distingui, et numerari accurate solent ab Iebraeis vel neglecta fuisse, vel saltem nullam de his mentionem in Scripturis factam esse: hinc appellationes Oriens, Occidens, Septentrion, Ieridies ad loca designanda saepe accuratae non sunt sed tantum pproximativae, ut cum Chaldaei dicuntur ex *Septentrione* descen- lere, vel Arabes dicuntur *Orientales*. 2° In ordine quatuor mundi plagarum Hebraei a nobis differebant in hoc quod nos conversa ad eptentrionem facie computamus Orientem ad dexteram, Occiden- em ad sinistram, et ad dorsum meridiem, Hebraei contra facie ad Orientem conversa meridiem ad dextram habebant, et *dextram* יָמִין, תֵּיטָן) aliquando appellabant, Septentrionem ad *sinistram,* quo etiam nomine (שְׂמאל) eam plagam aliquando designa- bant, Occidentem pone dorsum, quare etiam aliquando per vocem אָחוֹר, seu *retro,* eum indicant, Orientem demum per קֶדֶם, seu partem *anteriorem.*

Cum magnum oceanum nunquam in Scripturis nominetur,

quoties simpliciter *mare,* vel *mare magnum* nominatur intelligendum est mare mediterraneum. Rursus vox ista *mare* (יָם) in utroque testamento saepe accipitur etiam pro maiore vel minore collectione aquae dulcis, hinc *mare Galilaeae* non est nisi lacus Tiberiadis, et *mare salis,* quod etiam nos *mare mortuum* dicimus, nihil aliud est quam lacus Asphaltites in quem Iordanes aliaque minora flumina influunt. *Insulae maris,* seu, *insulae quae procul sunt* (Is. LXVI. 19, Eccli. XLVII. 17, Ps. LXXI. 10) designant generatim tum insulas, tum peninsulas maris mediterranei, ad quas alludit Moyses Gen. X. 5 ubi de filiis Iaphet, et imprimis de Iavan eiusque filiis ait: « Ab his divisae sunt *insulae gentium* in regionibus suis, unusquisque secundum linguam suam, et familias suas in nationibus suis ».

Hic supponimus elementares notiones geographiae astronomicae, physicae et politicae, et ea tantum indicamus quae regionibus biblicis propria sunt, et ad Scripturae intelligentiam speciatim pertinent. Primo autem dicemus de regionibus Palaestinae vicinis in Scriptura memoratis, deinde vero, et praecipue de regione Palaestinae. De Asia minore et Europae Orientalis regionibus quae in N. T. nominantur occasione praedicationis Apostolicae et praesertim itinerum S. Pauli, brevitatis causa nihil dicemus, cum haec satis nota sint ex studio geographiae civilis. (1).

ARTICULUS II.

De regionibus ac populis Palaestinae vicinis

Regiones Palaestinae finitimae vel vicinae sunt sequentes: *Phoenice,* et *Syria* (seu *Aram,*) ad Septentrionem, *Assyria, Mesopotamia* et *Babylonia seu Chaldaea, Media, Persia, Susiana,* et *Elymais* ad Orientem, *Arabia* partim ad Orientem, partim ad Austrum, denique *Aegyptus* et *Aethiopia* pariter ad Austrum. De singulis breviter.

1° *Phoenice* est parva regio iuxta mare mediterraneum ad

(1) Nihilo tamen minus in fine dabimus cartam geographicam totius Asiae citerioris, cum finitimis regionibus Europae et Africae Orientalis, quae primum locum tenebit, alias duas cartas addemus pro Palaestina eiusque viciniis secundum varias eius epochas, et divisiones politicas.

Septentrionem Palaestinae sita, et olim a gente phoenicia ob navigationem, commercia et artes celeberrima inhabitata. Protenditur a fluvio Eleuthero 34° et 26°, latid. septentrion. usque ad Aceo, seu Ptolemaidem. Eius urbes longe celeberrimae erant *Tyrus*, hebraice צוֹר (Rupes, seu Arx) et *Sidon* hebr. צִידוֹן, ambae ad mare mediterraneum sitae. *Sidon* a Iosue *civitas magna* appellata (Ios. XI. 8, XIX. 28) et ab Homero celebrata (Iliad. VI. 28. 9 Odiss. XV. 415 seqq.) originem suam et nomen debet Sidoni filio Chanaan Gen. X. 15. 19, XLIX. 13. Sub Artaxerxe Ocho rege Persarum haec urbs periit incendio ab ipsis civibus excitato ne in manus victoris inciderent. Postea vero reaedificata est sed nunquam ad pristinum splendorem rediit, nunc vero nihil aliud est nisi exiguus et humilis pagus. *Tyrus* ad meridiem Sidonis sita est, et suos reges a Sidonis distinctos habuit. Ex his Hiram amicus fuit Davidis, et Salomonis, quem etiam adiuvit in aedificatione templi Hierosolymae et palatii (3. Reg. V. VII.). Nabuchodonosor post tresdecim annorum obsidionem urbem coepit et solo aequavit, sed incolae exinde profecti cum thesauris suis in insulam litori vicinam migrarunt, ibique novam urbem extruxerunt quae *nova Tyrus* dicta est, dum *palaea Tyrus*, seu vetus Tyrus, vocatus est pagus quae supra antiquae urbis ruinas aedificatus est. Nova Tyrus brevi antiquae gloriam et potentiam superavit, donec ab Alexandro Magno vastata fuit. Ex hac etiam calamitate emergere conata est, sed licet denuo aedificata et aliquam potentiam adepta, pristinum splendorem nunquam recuperavit, quinimo crebris terraemotibus concussa et vastata nunc vix aliud est quam ruderum cumulus, paucis rarisque incolis, prout Isaias, et Ezechiel clare praedixerant (Is. XXIV. Ezech. XXVI). Apud Ezechielem et Isaiam reperitur magnifica descriptio potentiae, splendoris ac divitiarum Phoenices. Isaias XXIII praedicens Tyri eversionem exclamat: « Quis cogitavit hoc super Tyrum quondam coronatam, cuius negotiatores principes, institores eius inclyti terrae? Dominus exercituum cogitavit hoc, ut detraheret superbiam omnis gloriae, et ad ignominiam deduceret universos inclytos terrae ». Ezechiel autem c. XVII sublime canticum lamentationis effundit super ruinam Tyri, et amplitudinem, varietatem potentiam ipsius urbis eiusque commercii melius quam quilibet profani scriptores ad vivum depingit. Aliae urbes praeci-

puae Phoenices erant: *Aradus, Biblos, Beritus* (Beiruth): hae omnes maritimae urbes erant. Ex interioribus notanda est *Sarepta* ab Eliae miraculis celebris (3 Reg. XVII). In N. T. Phoenice vocatur modo *partes Tyri et Sidonis,* modo *Syro-Phoenicia,* et ex ea regione egressa est mulier quae a Christo sanata est, cuius fidem ipse Dominus laudavit (Matth. XV. 21–28, Mar. VII. 24. seqq.).

II° *Syria,* seu *Aramaea* vel *Aram,* in Scripturis modo strictiori, modo latiori significatione accipitur. Sensu strictiori designat regionem ad Septentrionem Palaestinae sitam a finibus Phoenices usque Euphratem, in qua celebres urbes comprehenduntur Antiochia, Damascus, Hamath, et Aleppo. Saepissime tamen vox Aram adhibetur ad vastissimum terrarum tractum a monte Tauro usque ad Damascum et Babyloniam ex una parte, et ex alia a littore maris mediterranei usque ad regionem Assyriae trans Tigrim. Pro variis tamen regionibus varia nomina addita sunt voci Aram distinctionis causa. Hinc *Aram-Naharaim* designat Mesopotamiam, quae iterum subdivisa est in *Padan-Aram,* et *Aram Soba,* quarum prima complectitur planitiem maiorem Mesopotamiae, altera regionem Nisibenam. Aram *Beth-Rohob* designat Assyriam proprie dictam, quae alias *Assur* אַשּׁוּר dicitur. Nos de hisce regionibus Aramaeis lato sensu sumptis suis locis sub propriis earum nominibus dicemus. Nunc de Aram simpliciter dicta, quae proprie Syria hodie appellatur ab Europaeis, ab Orientalibus vero dicitur El-Sham idest regio sinistra quia Arabibus ad Orientem respicientibus, iuxta morem, ad sinistram seu ad Septentrionem iacet. Haec definitur ad Septentrionem monte Tauro, ad meridiem Palaestina et Arabia deserta ad Occidentem Phoenicia et mari mediterraneo, ad Orientem flumine Euphrate, et tota concluditur inter 33° et 37° grad. lat. Dividitur Syria a duabus montium catenis quae fere parallelae decurrunt a Septentrione Meridiem versus, et magnam in medio vallem relinquunt, quae a graecis *Coelesyria* (seu Syria Cava) appellata est. Catena ad Occidentem sita non procul a mari *Libanus* vel montes Libani vocata est, altera vero magis Orientalis dicta est *Antilibanus:* Hebraei tamen hanc distinctionem non admittebant, sed utramque montium seriem vocabant *Libanum* hebr. הַלְּבָנוֹן idest *candidum,* ob perpetuas scilicet nives quibus eius altiora cacumina cooperta sunt: celebres erant hi montes ob copiam pinorum, abietum, et praeci-

pue cedrorum immensae molis, quarum mentio in Scripturis tam frequens occurrit. Syria olim quinque parva regna complectebatur nempe regnum *Damasci* (דַּמֶּשֶׂק) regnum *Maacha* (מַאֲכָה), regnum *Tob* (טוֹב), regnum *Hemat* (חֲמָת), et regnum *Gessur* (גְּשׁוּר) iuxta fluvium Orontem. Urbes principes et celeberrimae erant praeter *Damascum,* et *Antiochiam* in graeca historia notissimas, *Baalbek* postea dicta *Heliopolis, Thadmor* a graecis dicta *Palmyra,* quarum ruinae recentius exploratae et in lucem revocatae fuerunt, nec non *Aleppo* in Scripturis *Helbon* חֶלְבּוֹן dicta. Maxima pars Syriae a rege David subiugata fuit, sed iterum excusso iugo suam autonomiam recuperavit, deinceps vero ab Assyriis, iterum a Persis, postremo ab Alexandro Magno subacta fuit. Successores Alexandri Magni, quibus Syria in ditionem cessit *Seleucidae* dicti sunt a Seleuco primo rege, qui cum omnibus modis conarentur finitimos Iudaeos ad paganas superstitiones pertrahere a Machabaeis impugnati et coerciti sunt. Tempore Christi Domini et Apostolorum Syria erat provincia Romana cum Antiochia urbe principe, cuius praeses nominatur in Evangelio Luc. II. 2 occasione descriptionis seu census a Caesare Augusto imperati, cuius causa Christus Bethlehemi natus est. Prope Damascum Paulus conversus est, et in ea urbe baptismum suscepit. Antiochia fuit patria S. Lucae Evangelistae, ibique primum Christifideles Christiani appellari coeperunt (Act. XI. 26).

III. *Assyria, Mesopotamia,* et *Chaldaea,* quae aliquando sub unico Assyriae nomine comprehenduntur ob dominationem scilicet regum Assyriorum longe lateque diffusam, occupant totam vallem Tigris et Euphratis a montibus Armeniae usque ad sinum Persicum, in quem duo illi regales fluvii post longos anfractus in unum convergentes et commixti influunt. Quatenus vero regiones nominatae ab invicem distinguuntur, *Assyria* strictissimo sensu sumpta erat provincia trans Tigrim, cuius caput Ninive in litore orientali Tigris aedificata. Deinceps tamen septem aliis provinciis aucta est, et serius alias atque alias regiones sibi adiunxit usque ad Syriam et Palaestinam efficiens vastissimum et potentissimum imperium Assyriacum. *Mesopotamia* proprie dicta est regio inter Tigrim et Euphratem sita, ut graecum nomen indicat, itemque hebraicum *Aram Naharaim* idest, Aram duorum fluminum. Denique *Chaldaea*

seu *Babylonia* proprie dicta iacebat ad Austrum Mesopotamiae, ubi Tigris et Euphrates proximiores fiunt plus minus ubi hodierna Bagdad sita est, et pertingebat usque ad sinum persicum. Eius urbs celeberrima erat Babylon in utraque ripa Euphratis aedificata. De his regionibus quae tantam in biblica historia partem habent pauca dicenda sunt.

A *Chaldaea* exordiendum est cum primum in ea regnum fundatum esse Scriptura doceat. Nemrod vir fortis ex stirpe Cham paulo post gentium dispersionem dicitur in terra Sennaar, seu Chaldaea regnum fundasse quatuor extructis urbibus *Babylone, Arach, Achad* et *Chalanne,* deinceps vero ex ea regione egressum fuisse Assur et aedificasse Ninivem aliasque urbes quae regnum Assyriorum constituerunt (Gen. X. 8–12). Chaldaeorum igitur regnum antiquius est regno Assyriorum, et a posteris Cham, non vero a Semitis primitus constitutum est, quamvis decurrentibus aetatibus tum gens tum lingua semitica in Chaldaea praevaluerit (1). Historia Chaldaeorum multis obscuritatibus involuta est, quod partim ex inopia monumentorum oritur, partim ex vicissitudinibus quibus ea regio subiecta fuit, quae eius historiam cum historia Assyriorum poene confundunt. Ex recentiorum studiis et ex inscriptionibus cuneiformibus nuper repertis desumitur inde a tempore Bournaburiyas I regis Chaldaeorum regnum illud a priori potentia paullatim excidisse, contra vero Assyriorum regnum validius et splendidius evasisse, donec Touklat-Adar I. Assyriorum rex Chaldaeam subegit et tributariam reddidit Assyriae XIII Saec. A. C. (2). In hoc statu mansisse videtur Chaldaea per plura saecula, hoc est, donec suam autonomiam recuperavit mortuo Sardanapalo ultimo rege primi imperii Assyriorum. Postea vicissim Nabopalassar Chal-

(1) Vetusti illi Chaldaeae habitatores in inscriptionibus vocantur *Accadim*, et *Sumirim*, (fortasse erant duo rami eiusdem populi vel stirpis occupantes alter superiorem, alter inferiorem Chaldaeam) eorumque lingua adhuc superest in pluribus inscriptionibus cuneiformibus in Babilonia repertis: est ea lingua funditus diversa a lingua semitica inscriptionum Assyriacarum, et pertinet ad stirpem Turanicam: ex nomine gentis lingua haec a nonnullis Assyriologis dicta est *Sumiriana*, a plerisque vero *Accadiana* seu *Accadica*.

(2) V. Ménant: *Annales des Rois de l'Assyrie*. pag. 15 seqq. Rawlinson: *The five great Monarchies*. London 1862-64 to. II. pag. 54-59.

daeorum rex, capta Ninive, totam Assyriam cum Mesopotamia redegit sub Chaldaeorum dominationem (Saec. VII. ante Christum); huius successores reges potentissimi in historia noti sunt, imprimis Nabuchodonosor, Nabopalassaris filius, a quo Jerusalem capta est, et populus Judaeorum in Babyloniam captivus abductus. Verum hoc alterum regnum Chaldaeorum non diu stetit, et Chaldaea a Cyro subiugata (A. C. 538) in provinciam imperii Persici redacta est, quae postea, everso regno Persarum, Alexandri Magni imperio adiuncta fuit: nunc Turcarum dominationi, quemadmodum vetus Assyria, et Mesopotamia, paret. In Chaldaea Abraham Hebraeorum pater ortum habuit, qui dicitur *egressus de Ur Chaldaeorum* (Gen. XII). Huius urbis vestigia et rudera creduntur recenter inventa prope locum nunc dictum *El-Mugheir:* in inscriptionibus cuneiformibus vocatur *Uru*. Alterius urbis *Eridu* (a Graecis appellatae *Rata*) ruinae inventae et exploratae sunt a Taylor. Urbs *Arach* Gen. X. 10 a Nemrod fundata et a Graecis Ορχοη dicta creditur fuisse in loco qui nunc *Warka* dicitur in litore Orientali Euphratis, ubi multa monumenta ab Anglis exploratoribus, praesertim a Loftus reperta sunt. Alia Chaldaeorum urbs celeberrima fuit *Sippar,* quae in Scripturis *Sepharvaim* vocatur, et a Beroso Παντιβιβλα fortasse ob ingentem librorum copiam ibi collectam: aliae urbes sub dominatione Graecorum in Babilonia celebres fuerunt *Seleucia* a Seleuco Nicatore aedificata, et sui regni sedes principalis constituta; *Ctesiphon* in opposito litore Euphratis, *Apamaea* extructa in loco ubi Euphrates cum Tigri coniungitur, *Sora*, *Is* seu *Aeopolis, Hira,* seu *Alexandria,* sitae erant pariter in parte meridionali Chaldaeae. Ceteris tamen splendidior, et longe celebrior fuit *Babylon* urbs regia, quae in inscriptionibus *Bab-Ilu* dicitur, in utraque ripa Euphratis inferioris aedificata. Huius urbis magnitudinem, ac splendorem poene incredibilem veteres nobis tradiderunt imprimis Herodotus, Diodorus Siculus, et Strabo, nunc vero ex recentibus explorationibus in situ, ubi olim haec urbs efflorverat veterum descriptio confirmata et illustrata est. Moenia urbis per quadrum extructa erant, cuius singula latera centum viginti stadia longitudinis habebant ita ut area urbis 514 chilometra quadrata occuparet, septuplum circiter hodiernae urbis Parisiorum: in moeniis centum portae aeneae totidem proceris turribus mu-

nitae, quarum vestigia hic illic adhuc apparent. Immensum urbis spatium in quatuor veluti partes divisum erat, campis, villis atque hortis interruptas, quae quatuor veluti urbes distinctas constituebant suis nominibus designatas, scilicet *Cutha*, et *Borsippa* in parte superiori, et in parte inferiori proprie dicta *Bab-Ilu* subdivisa in duas, idest, in *civitatem regiam* triplici murorum giro circumseptam, et *civitatem populi*, ubi nunc surgit urbs *Hilla* (1). *Borsippa* (Bar-Sip) creditur aedificata circa ruinas turris Babelicae, ibique rudera immensae turris seu potius pyramidis reperta sunt cum celebri inscriptione, ex qua colligitur eam fuisse ipsam Babelicam turrim a Nabuchodonosor instauratam (2).

Mesopotamia proprie dicta, uti supra innuimus, iacebat inter Euphraten et Tygrin ad septentrionem Chaldaeae, a qua dividebatur ingenti muro, uti nunc Sinarum imperium a Tartaria separatur. In duas autem partes dividebatur quarum altera *Padam-Aram* vel *Schede-Aram* idest campi Aram vocata est, altera vero *Aram-Soba*, quae partes superiores circa Nisibim, et Armeniae quoque hodiernae oram comprehendebat. Partes superiores, praesertim tractus *Osroenae* et *Mygdoniae* fertilis erat, et pascuis, messibusque abundans, quare etiam *Mesopotamia felix* nonnunquam dicta est: pars inferior planitie constabat plerumque sterili et arenosa, ubi struthiones et onagri vagabantur, ad quos non raro in Scripturis alludituri: Mesopotamia nunquam separatum regnum constituit, sed primitus a nomadibus Arabibus, ut videtur, habitata deinceps Assyriorum regno adnexa est, eiusque sortes subiit, nempe primum in Chaldaeorum ditionem, deinceps successive in Persarum, Graecorum et Romanorum potestatem cessit. Praecipuae Mesopotamiae urbes fuerunt: *Charrae*, seu *Haran*, ubi Abraham ex Ur egressus substitit antequam in terram Chanaan proficisceretur: prope hanc urbem exercitus Romanorum sub Crasso trium-

(1) Constant haec tum ex testimonio Herodoti testis oculati qui Babilonem primam inter omnes terrae urbes existimabat (Lib. I. c. 178), Q. Curtii Lib. V. c. 1. (ubi copiose eam describit) Diodori et aliorum, tum ex recentioribus explorationibus superius indicatis.

(1) Nomen semiticum *Borsippa* significat *turris linguarum*, quod confirmat traditionem de identitate eius situs cum situ ac ruinis vetusta turris Babelicae in cuius aedificatione confusio linguarum locum habuit.

iro a Parthis profligatus est, et illuc exercitus Iuliani apostatae ost cladem se recepit; *Edessa, Nisibis, Circesium* et *Batnae Sarugi* elebres urbes fuerunt praecipue post epocham Christianam, et uas scholas suosque doctores in historia Ecclesiastica claros hauerunt. Aliae urbes in historia romana satis notae erant *Singara, Birta, Caene, Apamaea, et Hatra.* Nunc tota haec regio fere deerta est, et rara oppida Turcarum dominationi subsunt.

Assyria si strictiori sensu accipiatur regio erat extra Mesopotamiam ad orientem Tigris parvam peninsulam occupans inter Tigrim et utrumque Zabum maiorem et minorem conclusam. Ad orientem terminabatur montibus Zagris, et ad septentrionem a regione hodie Kourdistan dicta, quia a Kourdis habitata. Verum, uti supra innuimus, brevi extra hosce angustos limites egressi Assyrii dominationem suam suasque colonias per vicinas regiones extenderunt, quamvis eorum imperium alios atque alios limites habuerit pro variis temporibus, variaque fortuna belli. Initium regni Assyriorum Scriptura repetit ab Assur, qui e regione Sennaar, idest Chaldaea, egressus dicitur fundasse « *Ninivem, et plateas civitatis, et Chale, Resen quoque inter Ninivem et Chale: haec est civitas magna* » (Gen. X. 11 et 12). Veteres profani scriptores nobis tradiderunt Ninum et Semiramidem eius uxorem regnum Assyriorum fundasse, eorumque mira gesta narrarunt, quae tamen evidenter fabulosa sunt, et creduntur primum conficta fuisse circa epocham Persarum (1). Vera historia Assyriorum, praeter pauca quae in Scripturis reperiuntur, derivari potest partim ex veterum scriptorum testimoniis simul collatis, partim ex monumentis et inscriptionibus Assyriacis recenter detectis. Itaque primum imperium Assyriorum ab Assur filio Sem exorditur, et initio quidem parvum paullatim viribus et limitibus auctum est. Primi reges sacerdotes partim Aegypti Pharaonibus, partim Chaldaeae regibus tributa solvebant, sed eorum successores Assur-Narara, Nabbu-Dagan, Assur-Bel-Nisisu saeculo XV ante Christum prorsus independentes facti sunt, et Chaldaeorum regum socii, quandoque etiam defensores, donec Tuklat-adar I (circa annum 1270 A. C.) capta Babylone Chaldaeae regnum suae ditioni subiecit, et longe lateque per

(1) Vide Maspero op. cit. cap. VII. pag. 276 seqq. Rawlinson op. cit. tom. II pag. 54.

orientem dominari coepit: et hoc dicitur *primum Assyriorum imperium*, quod usque ad Sardanapalum IV duravit, qui ab Arbace Medorum principe, et Belesis Chaldaeae praefecto et Persarum satrapis contra eum rebellantibus simul impetitus, et obsidione undequaque cinctus in desperationem actus inter flammas regalis palatii a se excitatas periit A. C. saeculo IX. Post casum primi imperii Assyriorum Medi suam autonomiam recuperarunt, Chaldaei vero tum Assyriae tum Babyloniae domini facti sunt. At paulo post *secundum Assyriorum imperium* ortum habuit, cum scilicet Phul, recepta Ninive, et expulsis Chaldaeis, iterum absolutam Assyriorum dominationem restauravit circa annum 788 A. C. Huius secundi imperii reges saepe nominantur in libris Regum, et in Prophetis: Phul in regnum Israel venisse narratur sub regno Manahem, a quo pecuniae vim accepit ad thronum eius tuendum, Teglatpalasar IV, contra eumdem Manahem bellum gessit (4 Reg. XV. 8-20) et deinceps Syriam et regiones Israelis vastavit multosque ex regione Galaad, Galilaeae et totam tribum Nephtali in captivitatem abduxit (4 Reg. XVI. 6 seqq.): huius successor Salmanasar IV vocatus etiam Sargon (1) regni Israelis vastationem et excidium complevit (4 Reg. XVII. 4, XVIII. 8 seqq.) et reliquas tribus in Assyriam deportavit. Eius filius Sannacherib tentavit Hierosolymam capere et regnum Iuda evertere sub rege Ezechia, sed divino prodigio ab incoepto desistere coactus est (4 Reg. XVIII. 2 Paralip. XXXII, Is. XXXVII). Assarhaddon Sannacheribbo successit, et colonias misit in terram Israel, quam rem narrat Scriptura 4 Reg. XVIII. Huic successit Teglatpalasar V, huic Sardanapal V eius frater, huic denique Assurdanil ultimus Assyriorum rex. Insurrectio Chaldaeorum et Medorum hunc principem vita ac regno privavit, et Ninive destructa est, nec amplius de suis ruinis emersit (A. C. anno 625.) Berosus aliique nonnulli profani scriptores hunc principem cum patre Sardanapalo confundunt, hunc vero cum

(1) Identitas Salmanasar et Sargon a praecipuis Assyriologis nunc admittitur ob inscriptiones praesertim quae apud Khorsabad inventae sunt ubi gesta Sargonis referuntur quae sunt eadem cum gestis Salmanasar, et aliquando utroque nomine simul vocatur, ac denique Sannacherib filius Salmanasar Sargonis filius dicitur. Vide hac re F. Robion in *Appendice a l'histoire ancienne des peuples de l'Orient*. Paris 1864 n. XX.

ntiquiore Sardanapalo ita ut simul commisceant finem primi cum ne secundi imperii (1).

Urbes praecipuae Assyriorum fuerunt *Ninive,* quae a profanis criptoribus *Ninus,* Νῖνος, appellatur, in litore sinistro seu orientali igris extructa, item *Chalah* prope pagum hodiernum *Nimrud, Elasur* prope locum nunc dictum *Kalah Scerghat,* quarum ruinae ecenter exploratae veterum scriptorum narrationes de Assyriorum plendore ac potentia abunde confirmant: ibi enim palatia immensae mplitudinis, templa, turres, pyramides detectae sunt cum incre-ibili fere copia inscriptionum et operum sculptorum ex marmore, uro, argento, argilla, unde etiam Assyriorum artium peculiaris in-oles et perfectio intelligi potest. Nivive in Scripturis vocatur *ci-itas magna* (Ion. I. 2, II. 2, Iudith I. 5) *itinere trium dierum* ion. II. 3). Profani scriptores etiam tradiderunt eam fuisse im-ensam urbem circuitus 50 vel 60 milliariorum habentem moenia x coctilibus lateribus extructa, atque ita spissa ut super ea tres urrus simul vehi possent. Eius ruinae, ut alias innuimus, iacent ub terrae tumulo quod contra Mossul erigitur, et ad plura mil-aria extenditur a loco dicto *Koyundjik* usque ad locum dictum *Nebiyunus,* ibique ab Anglis exploratoribus detecta fuerunt palatia egum Assyriorum, cum eorum bibliotheca et plurima alia monu-enta. Ruinam Ninive praedixerant Prophetae imprimis Sophonias II. 13–15) et Nahum (II, III). Ad Orientem Ninive erat Urbs *Gau-amela,* et paulo inferius *Arbela:* inter duas istas urbes est pla-ities, in qua Alexander M. celebrem victoriam retulit in praelio ontra Persas quorum regnum evertit ac subegit. Ad austrum inive in eodem litore sinistro Tigris erat *Sumere,* prope quam ulneratus cecidit Iulianus Apostata pugnans contra Persas, et adhuc nferius erat *Ochis* alias dicta Antiochia. Hae omnes in litore Orien-li Tigris sitae erant, seu in Assyria prope dicta. Ceterae urbes n Mesopotamia, Chaldaea et finitimis regionibus quae Assyrio-um imperio adnexae fuerunt superius memoratae sunt.

IV. *Media,* seu *Madai* (a Madai filio Iaphet Gen. X. 10), est egio quae iacet ultra Assyriam habens ad Occidentem Assyriam roprie dictam et Armeniam, ad Orientem Hircaniam et Parthiam,

(1) Vide De Saulcy: *Chronologie des empires de Ninive, de Babylo-e et d'Ecbatane,* Ménant: *Annales des rois de l'Assyrie.*

ad septemptionem mare Caspium, ad meridiem Persiam et Susianam. Strabo illam dividit in duas partes, *Mediam maiorem,* cuius caput erat Ecbatane, et *Mediam minorem* vocatam *Atropatene* ab Atropato Medo qui novum regnum ibi fundavit. Deioces fertur primus fuisse Medorum rex. Postquam Assyriorum regno diu paruissent una cum Chaldaeis adversus Assyrios insurgentes regnum illud everterunt. Exinde Medorum potentia aucta est, et dominatio sese extendit super Persidem, et alias regiones usque ad flumen Halyn: Cyaxares Medorum rex, quem Scriptura (Dan. V. 31) *Darium Medum* appellat, una cum Cyro Persarum rege capta Babylone, Chaldaeorum regnum subvertit. Constituto per Cyrum magno imperio Persarum, Media in provinciam redacta est, sed Medi ut distinctus populus habiti sunt usque ad aetatem multo seriorem. eorumque mentio fit tum in historia Graeca et Romana, tum in sacris Libris N. T. (Act. II. 9). Mediae metropolis fuit *Ecbatane* quae in sacro textu vocatur *Ahmetha* אַחְמְתָא, nunc autem *Hamdan,* quae septemplici murorum ambitu cincta erat variis coloribus; ibi scimus publicos regni annales servatos fuisse (Esdr. VI. 2). *Gaza* et *Vera* erant praecipuae urbes Mediae minoris, seu Atropatenes; Gaza ad lacum Spauto sita erat: alia urbs *Thebarmai* ad occidentem eiusdem lacus fuit patria Zoroastri.

V. *Persia, Susiana, Elymais* (Aelam).

Persia accipitur ab antiquis in sensu modo latiore, modo strictiore. In sensu latiore comprehendit etiam Susianam et Elymaidem, in sensu strictiore ab utraque distinguitur.

Itaque *Persia*, vel Persis hebraice פָּרָס strictiori sensu accepta limites habebat ad Septemtrionem Mediam, ad Meridiem partem inferiorem sinus Persici, ad Orientem Carmaniam, et ad Occidentem Susianam. Regio est montana, sed fertilibus vallibus campisque interspersa. Praecipua urbs erat *Persepolis,* quam 25 milliarium longitudinis habuisse ferunt, et splendida aedificia, imprimis palatium regum Persarum quod ab Alexandro M. flammis devotum fuit: ruinae adhuc conspiciuntur, et a recentioribus archaeologis exploratae et examini subiectae sunt. Ad austrum Persepolis super flumen Araxes sita erat *Pasargada* ubi, rex Cyrus diu sedem habuit.

Susiana proprie erat provincia sita inter Persiam stricte sum-

am et Babyloniam, habens ad Austrum mare Persicum: nunc di-
ur *Chusistan* quod non est nisi corruptio primitivae vocis, Urbs
inceps erat *Susa,* hebraice שׁוּשָׁן *(lilium),* aedificata super flumen
ai (a Graecis dictum *Choaspes*) splendore ac divitiis celebris fuit:
diu vixit Daniel propheta (Dan. VIII), ibique residebat Assuerus
ius historia in libro Ester narratur (Esther I. 1) *Elymais,* ex
braico nomine עֵילָם *Aelam,* a Graecis dicta est regio contermina
sianae ad Septemtrionem, et Babyloniae ad Orientem, ad Austrum
ro sinui Persico. *Aelam* nominatur in Scripturis in historia
rahami Gen. XIV. 15, *Aelamitae,* nominantur inter subditos
perii Persarum 1. Esdr. IV. 9, deque iis loquuntur etiam pro-
etae imprimis Isaias (XXII. 6) et Ezechiel (XXXII. 24): in Actis
postolorum adhuc fit mentio de *Aelamitis* inter advenas, qui Iero-
lymae testes fuerunt prodigiosae manifestationis Spiritus S. in
e Pentecostes. Notandum tamen est nomen *Aelam* in antiquio-
bus S. Scripturae libris plerumque accipi pro tota Persia latiori
nsu sumpta, deinceps vero ad unam provinciam coarctatum fuisse,
iam Graeci exinde *Elymaidem* dixerunt. Et haec quidem de re-
one Persarum. Ad politicas autem vicissitudines quod attinet
ersae suos reges habuisse feruntur inde a tempore Abrahami, qui
lversus regem Aelam pugnavit (Gen. XIV), posteriori etiam aetate,
egum series in historia commemoratur qui *Caianidae* dicti sunt.
detur tamen eorum regnum intra arctiones limites conclusum
isse, et diu etiam Medorum regibus subiectum ac tributarium.
yrus Medorum iugum excussit, et paullatim alias quoque regiones
bi adscivit, et everso regno Chaldaeorum novum regnum, seu po-
is imperium Persarum fundavit, quod praecedentia imperia am-
itudine superavit. Inde incoepit nova series regum Persarum qui
chemenidae vocantur, et in historia tum sacra tum profana cele-
rrimi sunt. Cyrus (A. C. 559) Hebraeorum captivitati finem
posuit, qua de causa in Scripturis laudatur (Is. XLIV. 28, XLV. 1)
mbyses Cyri successor Aegyptum subiugavit et imperium extendit
Libya usque ad Indias: Darius imperium divisit in Satrapias,
raeciam invasit, et sub eius regno secundum templum Ierosolymae
mplétum est (1 Esdr. VI. 5): Artaxerxes plures in hac dyna-
ia numerantur, quorum primus, qui a Graecis Smerdis magus vo-
tur, iussit templi aedificationem suspendi (1 Esdr. IV, 24.):

sub Artaxerxe Longimano Esdras et Nehemias in Iudaeam venerunt et Ierosolymae aedificationem ad exitum perduxerunt; ab anno vigesimo regni huius principis iuxta probabiliorem opinionem incipiunt LXX hebdomades Danielis (Dan. IX. 25): Xerses Magnus in graeca historia notissimus est: a multis creditur idem esse ac Assuerus de quo in Libro Esther, qui certe ad hanc dynastiam referendus est: Darius Codomannus ultimus est in hac serie, cum in eo ab Alexandro Magno devicto finem acceperit imperium Persarum (A. C. 330). Exinde Persia in Provinciam imperii Graecorum redacta est, et, mortuo Alexandro Magno, in ditionem Seleuci Nicatoris eiusque successorum cessit. Haud multo post sub Parthorum dominationem transiit donec post Christianam aeram (A. D. 226) quidam Artaxerxes ab antiquis Persarum regibus ortus, excussa dominatione Parthorum, regnum Persarum restituit, quod vocari solet *secundum imperium Persarum;* altera haec dynastia *Sassanidarum* dicta a Sassan Artaxerxis patre, nota est tum in historia Romani imperii, tum in Ecclesiastica: Sapor Persarum rex qui Valerianum Imperatorem devicit (A. D. 260), et Chosroas II qui crucem Domini in Persidem abstulit et ab Heraclio debellatus est (A. D. 603-627) ad hanc dynastiam pertinebant. Persia adhuc suos monarchas habet qui Shah vocantur.

VI. *Arabia,* complectens *Amalek, Ammon, Moab, Edom* etc.

Sub nomine *Arabiae* comprehendi solet vastissima regio quae ad Orientem et meridiem Palaestinae protenditur (1). Divisio Arabiae in *Felicem, Petraeam,* et *Desertam* ignota fuit Hebraeis, nec in Scripturis invenitur, sed tantum apud Graecos et Latinos scriptores.

Arabia felix est tota peninsula inter sinum Arabicum, seu mare rubrum, et sinum Persicum interiacens. Nomen suum debet fertilitati et peregrinis pretiosisque fructibus imprimis thuris, et odoramentorum quae exinde in Graeciam et in Italiam asportabantur.

(1) Vox Arabia עֲרָבָה proprie significat regionem *Occidentalem* quare primo inducta videtur ab Assyriis et Chaldaeis, quibus vere occidentalis erat haec regio: Iudaei potius eam appellabant *Kedem* seu *Orientem* unde Arabes in scripturis vocantur *Bene kedem,* seu filii *Orientis.* Alii tamen nomen derivant ab עָרַב *miscuit* ob varietatem populorum eam regionem incumbentium, vel a עֲרָבָה *regio campestris, deserta.*

raecipua provincia erat *Saba* seu regio Sabaeorum: huius prin-ps urbs erat *Masiaba*: regina Saba quae ad videndum Salomonem rosolymam venit tantam aromatum copiam attulisse dicitur quanta ımquam antea visa fuerat 3 Reg. X. 1 seqq.

Arabia Petraea, sic dicta a Petra (hebr. סֶלַע) illustri urbe Idu-aeorum, comprehendit partem Septentrionalem et Occidentalem rabiae, una cum peninsula Sinai in sinu Arabico. Dividebatur im in varias partes a diversis populis inhabitatas, qui in historia cra frequentissime nominantur, uti sunt Idumaei, Amalecitae, mmonitae, Moabitae, Madianitae etc. *Idumaea* (Edom) iacebat ad ıstrum Palaestinae, nomenque suum derivabat ab Esau fratre cob, qui *Edom* cognominatus est. (Gen. XXV. 30). Urbs Idu-aeorum notissima erat *Petra* in prophetis non semel nominata, s. XVI. 1, 4 Reg. XIV. 7) cuius ruinae, (templum, theatrum, pulchra) adhuc cernuntur in loco dicto *Wady Musa,* et descri-ae fuerunt a recentibus exploratoribus Seetzen, Burckhardt, Labor-e, Linant et aliis. Haec urbs maximam celebritatem adepta est poste-us sub dominatione Nabathaeorum, et in epocha Romana cum me-opolis Palaestinae tertiae effecta est: apud ipsos vero Idumaeos nun-ıam princeps et regia urbs fuit. Itaque urbs vere princeps erat *Bosra,* ıde illud Is. LXIII. 1: « Quis est iste qui venit *de Edom,* tinctis ve-ibus *de Bosra?* » Aliae urbes nominantur a Ieremia in vaticinio con-a Idumaeos Ier. XLIX : item duae maritimae urbes et celebres por-s *Aelath,* et *Asiongaber* in sinu aelanitico ad Idumaeam pertine-ant.. Bosra Edom non est confundenda cum alia Bosra Moabita-ım, quae a Romanis *Bostra* dicebatur : Ieremias utramque nomi-at, primam in c. XLIX. 13, 22, et alteram in c. XLVIII. 14, bi de Moabitis loquitur: prioris situs nunc vocatur *Buseireh,* terius (seu Bosra Moab) *Busrah* (Porter). Idumaei quamvis Hebraeo-ım cognati plerumque eis infensi fuerunt. David eos tributum sol-ere coegit implens vaticinium de duobus fratribus Esau et Iacob : Et maior serviet minori » (Gen. XXV. 23). Cum deinceps a Iudaeis efecissent, rex Amasias urbem Petram expugnavit, cepitque, mu-to eius nomine in *Iectehel* (4 Reg. XIV. 7). Cum Iudaei a Na-ıchodonosor captivi abducti sunt Idumaei inferiorem Iudaeam vaserunt, diuque occuparunt. Ob haec et alia crimina adversus atres suos a Deo puniti fuerunt secundum Prophetarum vaticinia

Ezech. XXXV. 15: « Sicuti gavisus es super haereditatem domu Israel, eo quod fuerit dissipata, sic faciam tibi: dissipatus eri mons Seir, et Idumaea omnis: et scient quia Ego Dominus; » e Abdiae I. 18: « Et non erunt reliquiae domus Esau, quia Dom nus loquutus est; et haereditabunt ii qui ad Austrum sunt mon tem Esau, et qui in campestribus Philisthiim. »

Amalek, seu regio *Amalecitarum,* ad Austrum Palaestinae iace bat infra mare mortuum et urbem Cadesbarne. Amalecitae Iudaeo aggressi in eorum itinere versus Chanaan a Iosue profligati fuerunt deinceps iterum a Gedeone, et tertio a Saule. Post tempora Eze chiae regis nulla amplius mentio de eis fit tamquam distincta gentis, secundum vaticinium Domini post stragem Amalecitarum editum Ex. XVII. 14: « Dixit autem Dominus ad Moysen: scrib hoc ob monimentum in libro, et trade auribus Iosue: delebo enim memoriam Amalec sub caelo ».

Ammon seu regio Ammonitarum, ita dicta ab Ammon fili Loth, iacebat ad Orientem Palaestinae trans Iordanem. *Rabbath Ammon* eorum urbs princeps prope rivum Iabok extructa celebri tatem quamdam adepta est postea a Graecis et a Romanis vo cata fuit *Philadelphia.* Postquam tribus Ruben et Gad, quae ipsi finitimae erant, in captivitatem abductae sunt Ammonitae eo rum regionem occuparunt, verum deinceps cum vicinis genti bus commixti cessarunt distinctum populum constituere.

Moab, seu regio *Moabitarum,* a Moab altero filio Loth nuncu pata, sita erat ad Austrum et ad orientem maris mortui, infr terram Ammon, a qua dividebatur per rivum Arnon. Regio era olim fertilis, et messibus abundans; praecipua urbs dicta est *Rab bath-Moab,* quae etiam *Ar-Moab* dicebatur (Num. XXI. 15, 28 Deut. II. 9, 18, 29) nunc autem *Rabba.* Alia urbs paulo inferiu ad austrum erat *Kir Moab* nunc *Kerak.* Has et alias Moabitarum urbes enumerat Isaias in sublimi vaticinio contra Moab Is. XV. 1 seq et plenius Ieremias XLVIII. 20-25: « Vastata est Moab. Et iudi cium venit ad terram campestrem: super *Helon,* et super *Iasa* et super *Mephaath,* et super *Dibon,* et super *Nabo,* et super do mum *Dablathaim,* et super *Cariathaim,* et super *Bethgamul,* et super *Bethmaon,* et super *Carioth,* et super *Bosra:* et super omnes civitates terrae Moab, quae longe, et quae prope sunt. » Postquam

Moabitae subacti fuissent, una cum Ammonitis, a David rege (2 Reg. VIII et XII) eamdem fere sortem ac Iudaei eorum fratres experti sunt, scilicet primum a Salmanasar vastati, deinde a Nabuchodonosor in captivitatem abducti, ex Babylonia quoque reversi sunt una cum Iudaeis, et urbes suas ac oppida reaedificarunt, atque independentes manserunt usque ad epocham Machabaeorum. Nunc regio Moab fere deserta est, et a nomadibus Arabiae populis peragratur secundum Ieremiae prophetiam (XLVIII. 12). In regione Moab, quam *campestria Moab* vocat Scriptura, populus Hebraeorum diu substitit, finita peregrinatione, opportunitatem expectans ut ingredi posset in terram Chanaan (Deut. I. 1-5),ibique Moyses, postquam populum alloquutus fuisset eisque extrema monita dedisset, mortuus est ac sepultus (Deut. XXXIV. 5 et 6).

Madian hebraice מִדְיָן *Midian* iacebat ad Orientem Edom, et ad litus maris rubri. Madianitae ab Abrahamo per uxorem Cetura descendebant: in historia Iosephi nominantur mercatores Madianitae portantes aromata in Aegyptum (Gen. XXXVII. 25-28): cameli, et dromedarii Madian ab antiquis laudantur, et de his mentio occurrit Is. LX. 6: in regione Madian Moyses ex Aegypto profugus quadraginta annos vixit, et Iethro sacerdotis filiam uxorem duxit. Madianitae una cum Moabitis populum Israel primum in peccatum inducere tentarunt, deinceps in servitutem redegerunt, sed a Gedeone insigni victoria debellati, et prostrati ex numero populorum deleti sunt, eorum reliquiis cum populis Moab, et Edom commixtis. Hi sunt praecipui populi in Arabia Petraea degentes, Palaestinae finitimi et cum Hebraeis consanguinitate coniuncti. Nunc totam hanc regionem Arabes nomades incolunt quos Graeci *Scenitas* appellarunt, nos autem Beduinos dicimus. Hi communiter creduntur posteri Ismaelis Abrahami et Agar filii, et in iis certe vaticinium impletur quod Angelus de Ismaele edidit Gen. XVI. 12.: « Hic erit ferus homo: manus eius contra omnes, et manus omnium contra eum; et e regione universorum fratrum suorum figet tabernacula ».

Arabia deserta comprehendit totam partem occidentalem et interiorem Arabiae ad Orientem quidem a terra Madian et montibus Galaad usque ad Euphratem, et usque ad Syriam ad Septentrionem. Maior pars vere *deserta* est immensos praebens tra-

ctus volubilis arenae, huc illuc tamen fertilibus campis interspersos. Nomades Arabes hanc etiam regionem incolebant, et incolunt, et Turcarum imperio saltem nomine tenus subiacent.

VII *Aegyptus, terra Gessen, Aethyopia.*

Aegyptus, hebr. מִצְרַיִם *Mitsraim,* proprie est angusta vallis Nili inferioris a secunda cataracta Nili prope Syene (*Assouan*) usque ad mare Mediterraneum, inter gradus 31°, 37° et 23°, 45° latitudinis Borealis: terminatur ad Septentrionem mare mediterraneo, ad Austrum Nubia, ad Orientem Arabia Petraea, et Sinu Arabico, seu mari rubro, ad Occasum Lybia, et maiore Deserto; quamvis de exactis eius limitibns non conveniat inter veteres scriptores. Nomen *Mitsraim,* quo in Scripturis designatur, et etiam hodie ab Orientalibus vocatur (*Mesra, Misra*) (1), est ipsum nomen Mitsraim filii Cham, cuius posteri in hac regione sedem fixerunt, quare etiam aliquando vocatur *terra Cham* אֶרֶץ חָם Antiqui Geographi Aegyptum diviserunt in *superiorem,* et *inferiorem* secundum Nili cursum: *Aegyptus superior,* ab indigenis vocata *Said,* comprehendebat *Thebaidem,* et septem districtus sub nomine *Heptanomidis* notos, *Aegyptus inferior* comprehendebat totum *Delta* Nili una cum *Maraeotide* (2). Nilus est unus Aegypti fluvius in historia tum sacra tum profana celebratissimus, a cuius periodicis inundationibus et limosis sedimentis tota regionis fertilitas pendet: percurrit totam Aegyptum ab Austro Septentrionem versus et in Mediterraneum influit per duo ostia, quae ex septem sola supersunt. Celebriores veteris Aegypti urbes erant 1° *Thebae,* quae in Scripturis *No,* vel *No-Amon,* נֹא אֲמוֹן, נֹא, a profanis vero *Diospolis magna* dicta est. Haec fuit urbs princeps totius Aegypti su-

(1) In iscriptionibus Hieroglyphicis hoc nomen non occurrit, sed vocatur *Khemi,* vel *Nekhi,* aut *Beki:* in cuneiformibus tamen inscriptionibus apparet nomen *Muzur, Musur* idem ac *Mesra, Misraim.*

(2) Alii separant Heptanomidem ab Aegypto Superiore, ita ut sint tres Aegypti partes, 1. Aegyptus *superior* (Thebais, Said) 2. Aegyptus *inferior* (Delta). 3. *Heptanomis,* quasi *media* inter superiorem et inferiorem Nomen heptanomidis ortum est ex eo quod districtus in quos Aegypti regio dividebatur a Graecis vocarentur νομοι: erant fere 30, nempe 24 in Aegypto superiore, et fere totidem in Aegypto inferiore: unusquisque νομος suam specialem divinitatem habebat, et animal sacrum eius symbolum; speciali etiam signo indicatur in hieroglyphica scriptura.

erioris, sedes regia, a centum portis, et a templorum et monumentorum magnificentia ab antiquis omnibus laudata. Horum ruinae antiquum splendorem adhuc testantur, superant enim amplitudine et soliditate ruinas quarumlibet aliarum urbium antiquarum entium sive Orientis sive Occidentis. Iacent reliquiae antiquae urbis in utroque litore Nili praecipue tamen in litore orientali, nam ccidentalis continebat quasi suburbanum vocatum *Lybicum* complectens sectionem quae dicebatur *Memnonia,* et urbis *Necropolim:* urbis situs, ac dispositio pulchre describitur a propheta Nahum (III. 8 eqq.). Praecipuum monumentum in orientali litore conspicuum est emplum *Karnak* incredibilis olim splendoris, et magnitudinis, cui edificando et ornando plures Aegyptiorum reges operam suam ac hesauros contulerunt. Ibi etiam giganteae sphynges, quae longa erie hinc inde collocatae aditum ad templum quasi custodiunt: um colossi Ptolemaei Evergetis, et Berenices, columnae magna ex parte adhuc stantes, et turris ad pedes 140 erecta. Varia nomina regum in adnexis inscriptionibus leguntur, ut Sethi I, Tothmes I, Amunoph III, Ramesses, seu Ramses III etc: licet magna pars sculpti operis quo scimus totum monumentum ornatum fuisse interierit, multa tamen adhuc supersunt in exterioribus aulae parietibus quae gesta et victorias Sethi I et Ramessis III, seu Magni (graeci *Sesostrim* vocarunt) repraesentant. Omittimus alia quae inter ruinas Thebarum recenter detecta et a viris doctis descripta et examini subiecta fuerunt (1). Super ruinas Thebarum extant hodie misera quaedam oppida ut *Medinet Abu, Kurneh* et alia.

2° Alia urbs celeberrima fuit *Memphis* super litus sinistrum Nili extructa, quae Thebarum aemula olim extitit, et a Diodoro siculo dicitur 150 stadiorum circuitum habuisse. Haec creditur fuisse sedes Pharaonum aetate Moysi. Ab Arabibus vastata saeculo VII nunc deserta est, et super eius ruinas nonnulla exigua oppida aedificata sunt quorum unum adhuc *Memph* appellatur. 3° *Tanis,* quae in hebraico

(1) Vide brevem horum descriptionem in opere cui titulus: *I monumenti storici Egizi, il Museo e gli scavi di antichità per ordine di S. A. R. il Vicerè Ismail Pascia. Notizia sommaria di Luigi Vassalli Conservatore del Museo Vicereale* ecc. Milano 1867 Cap. X. pag. 103 et seqq. Item Anglicum opus Wilkinson-Murray: *A Handbook for travellers in Egypt.* 5. edition London 1875.

textu *Tsoan* צֹעַן dicitur, olim sedes regia fuit, et iuxta nonnullos natalis locus Moysi. Antiquum eius splendorem adhuc testantur rudera septem obeliscorum, et alia quaedam monumenta. 4° *Alexandria* (quae ab indigenis *Iscanderieh* dicitur) ab Alexandro Magno post subiugatam Aegyptum extructa ad ostia Nili, seu ad extremitatem occidentalem Deltae super angustum terrae tractum inter mare mediterraneum ex una parte, et lacum Moerin ex altera. Haec fuit regia urbs, et totius Aegypti metropolis sub Ptolemaeis Alexandri successoribus, et sub Romanorum dominatione. Eius portus, templa, palatia, musaeum et bibliotheca in omnium ore et admiratione olim fuerunt, eorumque insignes ruinae adhuc extant.

Politicum regimen Aegypti monarchicum fuit. Initia regni in remotissima aetate collocanda sunt, nam viginti A. C. saeculis Aegyptus apparet sub regibus constituta multo iam tempore. Vetusti hi reges communi appellatione *Pharaones* vocabantur usque ad Psammeticum III, qui a Cambyse rege Persarum devictus, et occisus est (A. C. 526). Alii reges qui finita Persarum dominatione post Alexandrum M. in Aegypto regnarunt dicti sunt *Ptolemaei* a Ptolemaeo primo Lago usque ad Ptolemaeum IX et Cleopatram sub quibus Aegyptus in Romani Caesaris dominationem cessit. Celebres sunt dynastiae a Manetone enumeratae veterum Pharaonum, de quarum tamen numero, ordine ac duratione innumerae controversiae existunt, quae etiam post melius explorata Aegypti monumenta et perlectas hieroglyphicas inscriptiones dirimi non potuerunt. *Menes* qui ponitur ut primus rex primae dynastiae Menitis a multis creditur esse ipse Mizraim filius Cham: sequentes dynastiae creduntur non omnes successivae, sed plures synchronae, in variis scilicet Aegypti provinciis, secus enim incredibilis prorsus annorum summa exurgeret: omnes tamen nunc admittunt a XVIII et deinceps dynastias vere successivas numerari, et a XXI et deinceps etiam earum durationem satis certo cognosci. In sacris Scripturis saepissime mentio occurrit de Aegypti regibus: Abraham in Aegyptum secedens occasione famis Pharaonem Aegypti adiit, qui Saram eius uxorem nesciens ad se vocavit, re autem comperta illi restituit (Gen. XII. 15-19): Ioseph a fratribus venditus ab alio Pharaone bene habitus est et praefectus totius Aegypti constitutus

(Gen. XLI. 1, 39-41). Sub alio Pharaone (qui Ramesses III esse videtur) Hebraei in Aegypto mirifice aucti dura servitute oppressi sunt, et paulo post duce Moyse ex Aegypto educti sunt, fracta contumacia alterius Pharaonis, qui etiam cum toto exercitu in mari rubro demersus est: haec acciderunt sub finem XVIII dynastiae vel initio XIX: Pharao Nechao in historia regum Iuda nominatur, Salomon filiam Pharaonis duxit; Sesac (Scescionc I), dynastiae Bubastitidis, Ierusalem vastasse narratur 3 Reg. XIV. De Ptolemaeis sermo est in Machabaeorum libris. Quando Christus infans cum Matre et Ioseph in Aegyptum migravit tota regio iam romano imperio parebat. In Actis Apostolorum de urbe Alexandria fit sermo: in disputatione habita cum S. Stephano Alexandrini quidam partem habuerunt, (Act. VI 9). Apollo Pauli familiaris et laborum socius erat Alexandrinus Act. XVIII. 24, et Alexandrina navi Paulus ex Myra in Italiam navigavit Act. XXVII. 6. Serius rex Persarum Chosroas II Aegypto potitus est, deinceps Saraceni qui urbem Cairo fundarunt (an. Domini 969), et post Mamlukorum dominationem, denique Turcae sub Selimo I in Aegyptum dominationem extenderunt et adhuc retinent.

Terra *Gessen* (hebraice גֹּשֶׁן *Goschen*) ad Aegyptum pertinebat, sed seorsim nominatur in Scripturis quia a rege Aegypti Hebraeis tradita fuerat, ibique populus Hebraeorum formatus est, et exinde profectus est ut in terram patriarchis promissam migraret. De situ huius regionis non consentiunt inter se geographi et interpretes, quamvis generatim conveniant in ea collocanda in parte orientali Aegypti, quod confirmatur ex 1 Par. VII. 21, ubi dicitur eius terminos versus urbem Gaza se porrexisse, unde fit eam in extrema parte Orientali Aegypti inferioris inter mare mediterraneum, et Arabiam Petraeam extitisse: quare LXX interpretes ad Gen. XLV. 10 eam vocant Gessen Arabiae Γεσεν Αραβιας. Terra erat fertilis, et pascuis abundans, ideoque Hebraeorum habitationi, qui gregibus armentisque pascendis operam dabant, aptissima (Gen. XLVII. 6, 11). *Ramesses* (ib. 11) erat urbs ad extremitatem orientalem, unde populus Hebraeorum ab Aegypto fugiens profectus est, et versus *Socoth* iter direxit (Ex. XII. 37), inde vero per *Etham* ad litus maris rubri pervenit (Ex. XIII. 20, XIV. 2) ubi prodigium transitus eiusdem maris accidit.

De Aegyptiorum moribus, cultura, adiunctis pluries mentio occurrit in sacris literis, quae notitiis aliunde haustis et monumentorum testimonio apprime respondent. Nilus tamquam unicum flumen Aegypti saepe nominatur sub nomine *Fluminis* (Gen. XLI. 1) vel etiam ad eius inundationes alluditur, ut (Am. VIII. 8.): sapientia Aegyptiorum et rerum naturalium peritia saepe innuitur, praesertim in historia Iosephi, Moysis et Aaron: superstitiones quoque in animalibus, vestibus, ritibus passim indicantur in Pentateucho imprimis in Exodo et in Deuteronomio, et quibusdam Moysis institutis occasionem dederunt, ut nempe Hebraeos ab usibus illis averteret. Mos cadavera praeservandi peculiaris fuit Aegyptiis, et in historia mortis Iacobi Patriarchae commemoratur (Gen. L. 2 seqq.) ubi iussu filii Ioseph secundum artem Aegyptiorum cadaver conditum aromatibus dicitur, quod deinceps in ipsius Iosephi cadavere factum est (Gen. L. 25). Mos etiam pyramides extruendi proprius Aegyptiorum fuisse videtur, quorum multae immensae molis adhuc stantes conspiciuntur: erant autem plerumque sepulchra regum, quorum cadavera in interiore parte pyramidis deponebantur: aliae astronomicis vel astrologicis signis ornatae erant, cum aliunde notum sit totam mythologiam aegyptiacam in astronomicis symbolis versari. Peculiaris character monumentorum Aegypti est gigantica eorum moles: ita quaedam pyramides quae in confinio Aegypti inferioris attolluntur (imprimis prope Gizeh) habent altitudinem verticalem pedum 450 et obliquam pedum 764: statuae etiam saepe altitudine superant colossos aliarum gentium ita ut figurae sedentes usque ad altitudinem pedum 69 perveniant, sphynges quoque seu figurae animalium muliebri capite et pectore, immensae molis extant, ut praecipua illa quae prope maximam pyramidem adhuc conspicitur quae longitudinem habet pedum 125 et altitudinem 60. Sculpturae usus maximus erat, ita ut omnia pene aedificia sculptis imaginibus ornata essent, ex quibus multa etiam nobis innotuerunt de usibus domesticis et sacris, de mechanicis artibus aliisque Aegyptiorum institutis. Fatendum tamen est Aegyptios in sculptura ac pictura nunquam ne longe quidem ad Graecarum et Romanarum artium perfectionem accessisse ut monumenta inspicientibus apparet.

Aethyopia quae in Scriptura hebraica dicitur *Cusch* vel *terra*

Cusch ex huius nominis filio Cham, comprehendebat tum hodiernam Aethyopiam seu Abyssiniam, tum etiam Nubiam, seu regionem in valle Nili infra Aegyptum: alias tamen Aethyopia vel Cusch diversas regiones designant minus proprie, ut Indias, Arabiam meridionalem et fortasse ipsam Babyloniam: nunc tamen in sensu magis proprio illam consideramus. *Aethyopia* stricte sumpta a Romanis regio *Meroe* vocabatur: haec regio ab aquis Nili in varios rivos seu canales deductis irrigatur, unde intelligitur cur prophetae plurali numero *flumina* Aethyopiae commemorant (Is. XVIII. 1, Soph. III. 10). Regio *Ludim* (Is. LXVI. 19) et regio *Chub*, (Ezech. XXX. 5) a nonnullis creduntur districtus Aethyopiae vel Nubiae, ita etiam populus *Sukkim* creditur fuisse tribus Aethyopum sedem habens ad litora maris rubri. Aethyopes ab Isaia (XLV. 14) vocantur viri sublimes, seu statura proceri, quod de nonnullis tribubus illarum gentium testantur etiam profani scriptores: eos inter populos foederatos Aegyptiorum Scriptura connumerat 2 Par-XII. 3. Aetate Apostolorum nominatur regina Aethyopiae Candace, cuius eunuchus a Philippo evangelizatus et baptizatus est(Act. VIII.) Regio quam nunc Nubiam proprie dicimus, in valle superiore Nili infra Aegyptum, monumentis abundat, quae eiusdem fere indolis sunt ac monumenta Aegyptiaca, scilicet templa, colossi, hieroglyphicae inscriptiones aliaque huiusmodi, eaque a superius laudatis auctoribus Rosellini, Lepsius et aliis descripta fuerunt una cum monumentis Aegypti.

ARTICULUS III.

De palaestina et primum de eius geographia physica.

Palaestina, seu terra populi Hebraeorum, iacet inter gradus 31°, et 33° 30' latid. septent. et gradus 32° - 34° long. orient. iuxta meridianum Parisiorum. Confinis est ad septentrionem Phoeniciae ac Syriae, ad Orientem Arabiae desertae, ad meridiem Arabiae Petraeae, et ad Occidentem mari mediterraneo. Limites tamen non semper iidem fuerunt, sed praesertim ad orientem plus minus porrecti pro varia aetate, ita ut sub regno Davidis et Salomonis usque ad Euphratem pertingerent, et ad austrum quoque orienta-

lem (*Sud-Est*) totam Idumaeam a Davide subactam comprehenderent: lege tamen, Deut. XVII. 16, cautum est ne ad austrum ultra torrentem Aegypti progrederentur. Limes australis erat urbs *Bersabee* בְּאֵר־שֶׁבַע unde frequens illa phrasis *a Dan usque Bersabee* ad designandam totam longitudinem terrae Hebraeorum. Ad occidentem quamvis mare mediterraneum limes naturalis esset terrae Hebraeorum, idque etiam secundum promissiones divinas (Gen. XV. 18 seqq. Num. XXXIV. 6), tamen litoris pars meridionalis diu occupata fuit a Philistaeis, qui licet primum a Samsone debilitati, deinceps a Saule et Davide penitus devicti fuissent, tamen postea saepius Hebraeorum iugum excusserunt: ibi erant urbes munitae Philistinorum *Gaza, Ascalon, Azotus, Minoa, Iapho,* de quibus toties occurrit mentio in libris Iudicum, et Regum: in parte vero septentrionali Phoenices regionem diu obtinuerunt.

Nomen regionis multiplex fuit. Olim *Chanaan* dicebatur quia a posteris Chanaan filii Cham occupata: postquam Abrahami posteris a Deo promissa fuit appellari coepit *terra promissa,* deinceps *terra Hebraeorum* dicta est, aut etiam *terra Israel* ab Israel seu Iacob Patriarcha, a quo tota gens Israel vocabatur (1 Reg. XIII. 19, 1 Par. XIII. 2): postquam vero regnum Hebraeorum scissum est in duo pars superior a decem tribubus occupata dicta est *terra Israel* inferior autem ubi David posteri regnabant *terra Iuda;* everso demum utroque regno, cum Hebraei ex captivitate rediissent, tota regio ab eis occupata vocari coepit *Iudaea* eo quod tribus Iuda praecipua esset pars Hebraeorum, qui ex captivitate redierant. Recentius a scriptoribus tum iudaicis tum profanis vocata est *Palaestina* ex Philistaeis, פְּלִשְׁתִּים, *Pelistim,* qui eius oras incoluerant. Hoc nomen apud latinos scriptores, et generatim apud Christianos obtinuit: hi tamen terram vocare etiam solent antonomastice *terram sanctam* eo quod divinae religionis sedes fuerit, et praesentia divini Salvatoris, eiusque morte quasi consecrata.

§. I. *Palaestinae facies generatim inspecta.*

Tota Palaestina regio montosa est, iuxta illud Deut. XI. 11: « *Montuosa* est et *campestris,* de coelo expectans pluvias » ad oppositionem scilicet terrae Aegypti, quae tota in planitie posita est, et aquis Nili irrigatur. Montes autem, seu montium, uti aiunt, systemata duo distinguuntur inter se fere parallela a Septentrione in Austrum

decurrentia, et in medio vallis Iordanis. Iuga montium tamen continua non sunt, sed amplis vallibus hac illac intersecantur, in quibus minores fluvii seu rivi decurrunt, qui in Iordanem influunt aut in mare, sive mediterraneum sive mortuum sese exonerant. Sed de his omnibus nonnulla distinctius notanda sunt.

I. Praecipui montes Palaestinae cum subiectis vallibus.

Initium ducimus a Libano, licet proprie ad Syriam pertineat. *Libanus* series est montium, imo duplex series montium fere parallelorum a Borea ad Austrum plus minus descendentium, quarum occidentalis versus mare proprie *Libanus* dicitur, orientalis vero *Antilibanus* a Graecis dicta est, quamvis in Scripturis haec distinctio non observetur: inter utramque seriem lata vallis relinquitur ideo a Graecis vocata *Coelesyria* (seu Syria cava.) Vertices Libani perpetuis fere nivibus albescunt, unde Libani לְבָנוֹן nomen quod *candidum* significat: cupressus, abietes, pinus et imprimis cedri Libani apud antiquos celebratissimae erant, et in Scripturis passim memorantur. Ex Libano et Antilibano derivantur duae illae series montium quas diximus per totam longitudinem Palaestinae protendi, scilicet ex Libano proprie dicto series occidentalis cis Iordanem, ex Antilibano series orientalis trans Iordanem. In serie Occidentali praecipui montes a Septentrione meridiem versus hoc ordine sibi succedunt, media fere linea inter Iordanem et mare mediterraneum. 1° *Montes Nephtali* proxime cum Libano coniuncti, qui hodie *Safed* dicuntur: hos exicipiunt alii montes Galilaeae inter quos eminet in parte meridionali mons *Tabor* a Christi transfiguratione celeberrimus: ad occasum Tabor elevantur iuga *Carmeli* quae promontorium effiiunt ad litus Mediterranei. Inter Tabor et iuga Carmeli interiacet *vallis Iezrael*. Carmelus a vineis feracissimis ita dictus adhuc excolitur, et arboribus, vineis, olivetis abundat. In hoc monte habitarunt Elias et Elisaeus prophetae, ibique Elias ignem de coelo impetravit ad sacrificium comburendum 3 Reg. XVIII, ibi etiam oravit ad pluviam impetrandam post diuturnam siccitatem (ibid. 42-45.) Notandum tamen est alium montem Carmelum minus celebrem existere in parte meridionali Palaestinae prope mare mortuum. Infra montem Tabor post planitiem Iezrael incipiunt 2° *montes Ephraim* seu Samariae, in quibus eminent *Gelboe* ubi Saul et Ionathas occubuerunt in praelio, item *Hebal* ubi Hebraei iussi sunt sa-

crificium offerre, Deut. XXVII. 4 et *Garizim,* ubi Samaritani aedificato templo tempore Alexandri Magni sui cultus sedem constituerunt: inter duos hos montes iacet *Vallis Sichem* ubi Christus ad puteum Iacobi sedens Samaritanam mulierem convertit (Io. IV.) Ad hosce montes pertinet etiam collis Gaas ubi Iosue sepultus est (Ios. XXIV. 30). In valle Sichem erat campus a Iacob emptus a filiis Hemor Gen. XXXIII. 19, ubi etiam ossa Ioseph ex Aegypto asportata ab Ephraimitis eius posteris sepulta fuerunt (Ios. XXIV. 32). 3° Post montes Ephraim ad Austrum sequuntur *montes Iuda,* seu Iudaeae, inter mare mortuum et mediterraneum usque in Idumaeam excurrentes: haec sunt *montana Iudaeae* ubi Iohannes Baptista natus est, et quo Beatissima Virgo cum festinatione perrexisse dicitur ad invisendam Elisabeth (Luc. I. 39. 65). Montes isti ex ea parte quae desertum respicit asperi sunt et inculti: ibi ostenditur mons dictus *quarantaniae,* ubi Christus ieiunium quadraginta dierum peregit. Horum montium iuga quae versus mare mortuum descendunt efformant desertum Iudaeae ubi David diu erravit ac latuit fugiens a facie Saul. Ibi etiam prope mare mortuum attollitur mons seu collis Carmelus, quem supra innuimus, ubi erat possessio Nabal, cuius uxor Abigail Davidi profugo cibos obviam tulit 1 Reg. XXV. 2, 18 seqq.

Series autem orientalis trans Iordanem incipit cum monte *Hermon* in Scripturis celebratissimo (qui ad iuga Antilibani pertinet, et aliquando pro toto Antilibano sumitur), et extenditur versus Austrum usque in Arabiam Petraeam (1). Potest autem distingui in tres partes. 1° Pars superior complectitur *montes Basan,* ubi pascua pinguia, et robusta armenta in Scripturis laudata: 2° Partem mediam efformant *montes Galaad,* quo nomine aliquando latiori sensu omnes montes trans Iordanam designantur: 3° Pars demum inferior seu meridionalis sunt montes *Abarim* retro mare mortuum. In montibus Galaad Iacob et Laban pactum inierunt, erecto in testimonium lapidum tumulo Gen. XXXI. 45-48. Inter montes Abarim eminet mons *Nebo,* in cuius verticem *Phasga* Moyses iussus est ascendere ut videret terram promissam, qua conspecta, ibidem mortuus est (Deut. XXXIV. 1 seqq.).

(1) Deut. III. 8 seq. notatur Hermon a Sidoniis vocatum fuisse *Sarion,* et ab Amorrhaeis *Sanir.* Nunc vocatur *Gebel es-Sceikh.*

Montes Palaestinae praesertim australes *cavernis* abundant, quae tibula latronibus praebebant, profugis asylum, et diuturnam quoue habitationem, saepe etiam mortuorum sepulturae inserviebant. avid Saulis iram fugiens in spelunca *Odollam* cum quadringentis iris armatis latuit, et in spelunca Engaddi cum sexcentis comitius habitavit, ubi etiam Sauli pepercit cum posset eum occidere 1 Reg. XXIV); duo istae speluncae in montibus Iudae erant verus mare mortuum. In aliis speluncis Abdias centum prophetas occultavit (3 Reg. XVIII. 4). In speluncas quoque Hebraei se receerunt metu Philistinorum sub Saule (1. Reg. XIV. 11.) Celebris st spelunca duplex *Macphela,* ubi Abraham, Sara aliique patriarhae sepulti fuerant (Gen. XXIII.)

In his montibus etiam densissimae et amplissimae *sylvae* (יְעָרִים) onspiciebantur, de quibus mentio fit in Scripturis, quarum tamen unc nullum vestigium extat, ita ut incolae magna lignorum peuria laborent. Nominantur praecipue sylva abietum et pinuum in ıonte Hermon 2 Reg. VIII. 5, 6, 1 Par. XVIII. 4, sylva quercuum ı montibus Basan Zach.II.Is.II.13,sylva vel saltus Ephraim Ios. XVI. 5, 2 Reg. XVIII. 6, 8 et 17, sylva in finibus Iuda et Beniamin rope urbem Baala inde etiam dictam Cariathiarim קִרְיַת יְעָרִים seu urbs sylvarum), Ios. XV.9 seqq.Is.XXVI, 10. Neh.VII.29,sylvae mplissimae Haret et Horscia in tribu Iuda 1, Reg. XXII. 5, XXIII. 16.

II. *Valles* Palaestinae celebriores,praeter superius memoratam valem Iezrael, quae etiam *campus Esdrelon* dicebatur, quaeque triginta hilliariis circiter per longum extenditur, notandae sunt vallis seu lanities *Saron* ad litus Mediterranei supra Ioppen, quae olim pacuis et fructibus abundabat (Is. XXXV. 2); eius rosae laudantur ı Cant. II. 1. *Vallis Iordanis* in Scripturis appellata planities Ceeroth, et planities Iordanis, vel regio circa Iordanem, olim a Loth electa fuit ad pascendos greges ob eius fertilitatem Gen. XIII. 10. *Vallis Rephaim* seu gigantum (Is. XVI. 15.) iacet inter Ierusalem et ethleem, et olim celebris erat ob olearum praestantiam, et segetum opiam. *Vallis salis,* vel *salinarum* ubi Abisai percussisse legitur18000 lumaeos (1 Par. XVIII 12) sita est ad extremitatem meridionaem maris mortui. Haud procul ad occidentem cernitur vallis *Hela* eu *Terebinthi* ubi David gigantem Goliath funda percussit 1 Reg. VII. 2. ubi adhuc cernitur rivus unde David quinque limpidis-

simos lapides elegit in Philistaeum iaciendos ib. 40. *Vallis Iosaphat* sita est ad orientem Ierusalem inter urbem et montem olivarum, et a torrente Cedron qui eam alluit etiam *Vallis Cedron* dicitur. Vallis *Aiulon* celebris est ob victoriam Iosue super quinque reges foederatos, quando etiam ad eius iussum sol et luna steterunt.

Saepe in Scripturis *deserta* nominantur quo nomine non semper intelliguntur loca arida et squallentia, sed aliquando etiam valles et campi arboribus domibusque non interrupti; ita ex. gr. locus ubi Christus panes multiplicavit ad satiandas turbas vocatur desertum Matth. XIV. 13, et tamen non erat nisi campus gramine abundans, ut expresse dicitur Io. VI. 10. Alias tamen vere deserta loca indicantur, ut *desertum Iudaeae* in quo praedicabat Iohannes Baptista Matth. III. 1. quod situm erat inter montes Iuda, et mare mortuum, vel extremam partem Iordanis, item deserta Thecuae, Engaddi, Ziph, Maon nota ob exhibitum Davidi perfugium, quae proprie non sunt nisi diversae partes eiusdem magni deserti Iudaeae.

§. II. *Flumina, torrentes, lacus et maria.*

Flumen praecipuum Palaestinae est Iordanes הַיַּרְדֵּן qui originem habet ad radices montis Hermon in parte occidentali ex fonte dicto *Hasbia* (nunc *Wady et-Teim*) cui mox additur alius rivus prope *Banias* (Caesarea Philippi), ad austrum Hermon, ac demum tertius rivus prope Dan (nunc *Tell el-Kady*): tres isti rivi in unum coniuncti Iordanem fluvium efficiunt, qui fluere incipit a Septentrione Meridiem versus; post pauca milliaria parvum lacum *Merom* ingreditur, tum iterum in angusto alveo decurrens in lacum Genesareth seu Tiberiadis influit, iterum vero e lacu egressus per latam regionem Iordanis hodie vocatam *El-ghor* alveo conclusus a 150 ad 200 pedes lato progreditur, donec post multos anfractus et cursum 42 circiter leucarum in mare mortuum praeceps volvitur. Cursus Iordanis rapidus est, cum eius fontes altiores sint 500 pedibus circiter aequore maris mediterranei, contra vero mare mortuum inferius sit circiter ped. 1312 superficie eiusdem maris: a dimidio Aprilis Iordanes intumescit ob liquefactas Antilibani nives, et superiorem quoque alveum implet, quare latior et violentior defluit, ita ut vado traiici nequeat in ulla sui parte (Ios. III. 15, IV. 18, Ier. XLIX. 19, Eccli. XXIV. 26). In reliquis vero temporibus profundiorem tantum alveum complet, qui est 70 aut 80 pedes latus et 10

aut 12 profundus in extrema parte a Iericho usque ad mare mortuum. Iordanes in sacra historia celeberrimus est: eius aquae olim « *steterunt descendentes in loco uno, et ad instar montis intumescentes* » ut iter praeberent populo Dei in Canaan pergenti (Ios. III. 16, 17,) postea iterum divisae fuerunt ab Elia et Elisaeo prophetis 4 Reg. II. 8, 14. demum Christi Domini Baptismo sanctificatae fuerunt Matth. III. 13.

II Praeter Iordanem plures alii rivi vel fluvii Palaestinam alluunt, quorum alii in Iordanem influunt, alii in mare Mediterraneum decurrunt, nonnulli in mare mortuum; omnes tamen parvi sunt, et maiores tantum iugiter fluunt, reliqui per aestatem exsiccantur, ideoque potius torrentes vocandi sunt. En praecipuos cum nominibus ac situ uniuscuiusque. In Iordanem influunt ex montibus Galaad decurrentes *Iabok*, *Gadara* et *Hesebon*. *Iabok* erat limes inter regna Og et Sehon: eum transiecit Iacob Patriarcha ex Mesopotamia rediens, et ad eius ripas cum angelo luctatus est (Gen. XXXII). *Hesebon* pariter ex montibus Galaad ortus paulo infra Iabok in Iordanem decurrit, et olim limitem designabat inter tribus Ruben, et Gad. In parte occidentali Iordanis ex montibus Ephraim ortus in Iordanem incurrit parvus rivus seu torrens *Cerith* ex eo potissimum celebritatem adeptus quod ad eius ripas iussu Dei habitaverit Elias propheta a corvis cibum quotidie recipiens, et de eius aquis bibens 3 Reg. XVII. 3, 4. *Gadara* amplus rivus ad orientem Iordanis decurrit, et in idem flumen devolvitur infra lacum Genesareth prope labes Galaad.

Alii rivi in mare mortuum sese exonerant: horum praecipui in Scripturis memorati sunt *Zered* ad orientem maris mortui in regione Moab: *Arnon*, vocatus etiam flumen Gad, superius defluit in finibus Ruben et Moabitidis; *Saphria* vel *Saphia* satis ingens fluvius, qui in extremitate australi mare mortuum ingreditur: demum torrens *Cedron* in occidentali parte maris mortui qui inter Hierosolymam et montem olivarum decurrens austrum primo, deinde vero orientem versus per desertum Engaddi descendit in mare mortuum. Parvus iste torrens hiemali tantum tempore aquis repletus, cum pluribus insignibus Scripturae factis consociatur; hunc David transiecit noctu cum a facie Absalom fugeret 2 Reg. XV. 23,

eumdemque Christus Dominus pestransiit in suprema nocte ut in hortum Getsemani ad Patrem orandum pergeret Io. XVIII. 1.

Alii demum rivi vel torrentes ad mediterraneum descendunt, inter quos praecipui sunt *Cison* (קִישׁוֹן) qui in planitie Esdrelon originem ducit et infra montem Tabor decurrens in mare mediterraneum influit prope Ptolemaidem : in ripa huius fluvii Elisaeus occidit sacerdotes Baal (3 Reg. XVIII), *Belus* vel Beleus ab inventione vitri celebris, qui ex montibus Aser ortus post longum circuitum infra Ptolemaidem in mare desinit. *Torrens Arundineti* qui separabat tribum Ephraim a Manasse, et infra Caesaream in mare devolvitur Ios. XVII. 9, 10. *Escol,* seu *torrens Botri,* qui ex montibus Iuda oritur et ad mediterraneum pervenit prope Ascalon ; in huius fluvii fertili valle exploratores Iosue invenerunt ingentem illum uvae botrum, aliosque fructus, quos ad Iosue detulerunt (Num. XIII. 24, 25) ; torrens *Besor* per tribum Simeon decurrebat ad meridiem, et a David transiectus fuit cum Amalecitas persequeretur 1 Reg. XXX. 9. 10. *Rivus Aegypti* ultimus fuit limes australis regionis Hebraeorum, et in mare mediterraneum influebat ad extremam partem regionis Philistinorum ; de eo fit mentio Am. VI. 14, Num. XXXIV. 5, 1 Par. XIII. 5 et alibi.

III. *Lacus* praecipui tres numerandi sunt, scilicet lacus *Merom,* lacus *Genesareth,* et *mare mortuum* seu *lacus Asphaltites,* qui omnes iuxta cursum Iordanis iacent.

Lacus Merom qui in Scripturis מֵי מְרוֹם *aquae Merom* vocatur (Ios. XI. 5, 7). et a Graecis *Samochonites* dictus est (nunc dicitur *Huleh*), in parte superiori Palaestinae reperitur, et in eum primo influit Iordanes, ut supra vidimus: hic lacus tempore verno cum aquis abundat ad stadia sexaginta longitudinis et triginta latitudinis extenditur, paludes vero ab eius aquis formatae usque ad Daphnen porriguntur (Ioseph Bel. Iud. lib. IV. cap. 1. §. 1) aestivo autem tempore aquas habet ad paucorum pedum altitudinem, et magna ex parte arbustis et lacustribus plantis operitur. Ad hunc lacum sita erat Seleucia (Ioseph. loc. cit.).

Lacus Genesareth, in quem Iordanis ex Merom egressus post sex circiter leucarum cursum effunditur longe celebrior est in Scripturis. Ibi vocatur aliquando *lacus Cinereth,* vel *Genesareth,* ab urbe huius nominis vicina (Num. XXXIV. 11, Mar. VI. 53,) aliquando *mare*

Tiberiadis, ab urbe Tiberiade, quae fortasse est ipsa Cinnereth seu Genesareth ab Herode (Antipa) Tetrarcha amplificata et in honorem Tiberii Caesaris eo nomine appellata, (Io. VI. 1): alias demum dicitur *mare Galilaeae* ex regione huius nominis in cuius medio situs est: multo amplior est lacu Merom, latitudinis habens duas leucas, longitudinis autem quatuor leucas cum dimidio circiter. Iordanis totum lacum percurrit, quin aquas suas cum eius aquis, quae alioqui dulces et limpidae sunt, commisceat: regio circa lacum Genesareth olim pulcherrima et fertilissima erat: tempestatibus ventorum vi excitatis adhuc subiectus est, similibus illi quae Luc. VIII. 22-25 describitur. Huius lacus aquae piscibus abundant, et in eo Apostoli piscationi operam dabant, ubi etiam prodigiosa illa Petri piscatio facta est de qua Io. XXI. 1–24. Christus Dominus pluries hunc lacum navigavit, et prodigia in eo operatus est, ut cum tempestatem verbo sedavit (Luc. VIII. 24) et cum Petrum super aquas incedere iussit (Matth. XIV. 31).

Mare mortuum nihil aliud est nisi lacus duobus praecedentibus amplior, in quem tandem Iordanes devolvitur, nec amplius apparet. In Scripturis vocatur *mare salsum,* ob aquarum salsuginem, vel *mare deserti* quia deserto Iudaeae circumdatum, vel mare Siddim a planitie huius nominis cuius situm nunc occupat, Graeci illum vocarunt lacum *Asphaltiten* ob bituminis et asphalti copiam, demum Arabes eum vocant *Bahr-el-luth,* seu mare Loth in memoriam huius patriarchae qui eam regionem incoluit. Appellatio communis maris mortui ex eo orta est quod pisces nulli neque ulla animalia in eius aquis vivere possint: « In hoc mari (inquit S. Hieronymus comm. in Ezech. XLVII), nihil vitale esse potest. Nihil enim quod spiret et possit incedere, prae amaritudine nimia in hoc mari reperiri potest, nec cochleolae quidem, parvique vermiculi,et anguillae.... denique si Iordanes auctus imbribus pisces illuc influens rapuerit statim moriuntur, et pinguibus aquis supernatant ». Huius rei causa est quod aquae amarissimae sint, et eterogeneis elementis imprimis cloruro et sulphato magnesiae, sodii, et chalcii gravidae, licet non semper in eadem quantitate, pro maiori scilicet vel minori aquae dulcis copia quam Iordanes, et alii fluvii vel torrentes in eum influunt. Longitudinem habet 72 chilomet. circiter, et 20 chilomet. latitudinem: ad orientem et occidentem altis,

praeruptis et squallentibus rupibus cingitur, ad austrum vero deserta planitie quam interdum aquis inundat. Magna bituminis copia quod *asphaltum,* seu bitumen iudaicum appellant, undis lacus supernatat. In regione circumvicina humus salsa et sterilis fructibus caret: ibi species quaedam vitis crescit quae vitis Sodomae dici solet, et a botanicis *Solanum Melangenae,* cuius fructus specie tenus optimi videntur, sed interius putridi et cineribus pleni sunt: ad eos alludit Moyses in Cantico Deut. XXXII. 32: « De vinea Sodomorum vinea eorum, et de suburbanis Gomorrhae: uva eorum uva fellis, et botri amarissimi ». Lacus iste non existebat cum Abraham in eam regionem advenit, sed eius locum occupabat vallis pulcherrima, et apprime fertilis ab aquis Iordanis irrigata, quae in Scriptura vocatur *vallis sylvestris,* ubi praelium inierunt quatuor reges adversus quinque (Gen. XIV), et pulchra dicitur *sicut paradisus Domini* Gen. XIII. 10.: ibi erat *Pentapolis,* seu quinque opulentae urbes Sodoma, Gomorrha, Adama, Seboim et Segor: (1) in subversione Pentapoleos igne de coelo immisso telluris crusta, liquefacto bitumine quae illam sustentabat, disrupta fuit et subsedit, et aquae subter latentes ex superficie emerserunt ac lacum efformarunt. Superficies lacus inferior est aequori maris mediterranei pedes fere 1400 circiter. Aquae Iordanis subterraneis meatibus in mare mediterraneum, vel forte etiam in mare rubrum feruntur. (2)

Maria proprie dicta Palaestinae contermina duo sunt, mare Mediterraneum, et mare Rubrum. De primo utpote notissimo nihil dicendum, pauca vero de altero notabimus. Hoc mare, quod etiam

(1) Ruinae quaedam urbis Sodomae et Gomorrhae creduntur repertae a Saulcy a. 1851 ad litus maris mortui, sed haec incerta sunt. Ceterum inspectio soli circumstantis apprime confirmat narrationem Gen. XIX. 23-28 uti recentes exploratores testantur, imprimis Anglicanus Tristram in opere: *Land of Israel.*

(2) Sunt etiam alii quidam minoris momenti lacus, vel lacunae in Palaestina, ut lacus formatus a fonte *Hasbia* ad originem Iordanis, de quo supra: item lacunae artificiales tres *superior, media,* et *inferior* non procul a Bethlehem, quae vulgo lacunae vel *piscinae Salomonis* dicuntur, fortasse illae ipsae de quibus Salomon loquitur Eccle. II. 6. Adhuc extant sub nomine *El-Burak:* inferior, quae ceteris amplior est, habet longitudinis pedes 582, latitudinis mediae pedes 180, profunditatis (in parte orientali) pedes 50. (Porter op. cit. p. 107) Alias omittimus.

graeci Ἐρυθραῖον seu rubrum appellarunt, proprie aliud non est quam sinus maris Arabicus dictus, inter Africam orientalem et peninsulam arabicam conclusus: hic autem in parte superiori in duos quasi ramos dividitur, idest in duos angustiores sinus, qui in medio relinquunt parvam peninsulam formae fere triangularis. Ex his qui est ad occidentem vocatur sinus *Heroopoliticus* ex urbe huius nominis in eius litore sita, alter vero orientalis vocatur sinus *Aelaniticus,* ab urbe Aelath. Per sinum seu fretum Heroopoliticum qui satis angustus est Hebraei transierunt sicco vestigio aquis ad tactum virgae Moysi divisis, et in praedictam peninsulam quae tota deserta erat (desertum Pharan) pervenerunt ubi diu multumque hac illac errantes vixerunt: ibi circa extremitatem meridionalem peninsulae duo celebres montes sunt, *Horeb,* ubi Deus Moysi apparuit in rubo ardente Ex. III. 1. et haud procul mons *Sinai,* ubi lex Moysi inter fulgura et tonitrua data est, toto populo in subiecta valle castrametante, et descensum Moysis sollicite expectante Ex. XXXIV, ab hoc monte longe celeberrimo tota haec regio *peninsula Sinai* dicta est.

§. III. *Clima Palaestinae, tempestates, fertilitas, calamitates.*

I. Quamvis pro variis partibus coeli status et temperatura leviorem quamdam diversitatem praeseferat, generatim tamen clima Palaestinae benignum et salubre dicendum est. Tempestates anni sex distinguebant Hebraei, ut etiam nunc faciunt Arabes, 1° *Tempus* messis קָצִיר a dimidio Aprilis usque ad dimidium Iunii secundum nostram computationem extenditur: hac tempestate coelum serenum est, aer primum calidior, subinde etiam fervens et aestuans imprimis circa mare mortuum et in vallibus Iudaeae. 2° *Tempus fructuum,* vel simpliciter *aestus* קַיִץ a dimidio Iunii usque ad dimidium Augusti: calor tam gravis ut ne noctu quidem temperetur, et plerique sub die somnum capiant. 3° *Tempus caloris* dictus hebr. חֹם a dimidio Augusti usque ad dimidium Octobris: calores initio quidem maximum gradum attingunt, sed deinceps paullatim decrescunt. Tribus hisce tempestatibus, seu ab Aprile usque ad finem Septembris, nec pluvia neque tonitrua sunt (Prov. XXVI. 1, Reg. XII. 17) sed ros abundans descendit quae robustioribus plantis alendis sufficit, minores tamen generatim arescunt nisi ubi rivorum aquis, vel artificialibus canalibus solum irrigatur:

fontes quoque et torrentes exsiccantur quare tota regionis facies squallida est et facile in campis et sylvis arentibus excitantur incendia (Ex. XXII. 5. Ps. LXXXIII. 15, Is. IX. 17, X. 14): hinc intelligitur cur ros quo terra madefit tamquam res gratissima et uti symbolum divini beneficii passim in Scripturis memoretur (Gen. XXVII. 28 seq., XLIX. 25, Deut. XXXII. 2, XXXIII. 13, Os. XIV. 5, Mich. V. 6). Augetur calor aestivus et ariditas soli vento, quem orientales *Kadim* seu orientalem vocant qui etiam vitibus ac segetibus noxius est, et navigantibus in mediterraneo exitiosus (Iob. XIV. 2, Is. II. 2, XL. 7, 8, 24. Ion. Ps. XLVIII. 7): contra vero horis pomeridianis lenis aura spirare solet, quae ardores aestivos mitigat (Gen. III. 7). 4° *Tempus sementis* זֶרַע dictum a dimidio Octobris ad dimidium Decembris: aer plerumque nebulosus, inconstans et pluviis abundans, quae quidem circa finem octobris incipiunt, et ad sementem necessaria sunt; simul autem calores temperant, quae gradatim cessant ita ut in fine Novembris iam frigescat: interim vero torrentes, et minores rivi aquis adhuc carent et Iordanes minori aquarum copia fluit: in altero Novembris dimidio folia ex arboribus decidunt. 5° *Tempus hyemis* חֹרֶף a dimidio Decembris ad dimidium Februarii: nix copiose decidit, sed in vallibus brevi admodum permanet, diu vero in verticibus et iugis montium, ubi frigus acrius est, et saepe viatoribus lethale; semitae montium et collium lubricae, et molesta ac periculosa itinera (Ier. XIII. 16, XXIII. 12, Eccli. XLIII. 22, Matth. XXIV. 20); tonitrua quoque, fulgura et grandines frequentes. Sub initium Februarii campi virescere incipiunt arbores germina ac folia emittunt, et prima omnium florescit amygdalus ideo dicta seu vigilans, ad quod pulchre allusio fit Ier. I. 11, 12. 6° Denique *tempus frigoris* hebr: קוֹר a dimidio Februarii ad dimidium Aprilis: initio quidem huius tempestatis frigus desaevit, deinceps vero paullatim minuitur, ita ut circa finem aer tepidus aut etiam calidus sit. Pluviae etiam minori copia decidunt, grandines vero et fulgura crebriora fiunt, utraque autem circa initium Aprilis cessant. Ultima pluvia est ea quae primis diebus Aprilis defluit ideoque ab Hebraeis vocabatur מַלְקוֹשׁ seu vespertinum aut serotinum, quemadmodum primae pluviae Octobris dicebantur יוֹרֶה ὑετὸς πρωΐμος, matutinum, seu pluviae matutinae. De utrisque tamquam Dei beneficiis saepe recur-

rit mentio in Scripturis sive literaliter sive metaphorice, quia pluvia Octobris ad sementem, Aprilis vero ad agrorum foecunditatem necessaria erat ideoque ab agricolis magnopere desiderata, unde illud Prov. XVI. 15: « In hilaritate vultus regis, vita: et clementia eius quasi imber serotinus ». Duabus hisce postremis tempestatibus omnes rivi et torrentes implentur, et maiores fluvii, imprimis Iordanes, intumescunt et exundant.

II. *Fertilitas Palaestinae, plantae, fructus, animalia.*

In libris Moysi celebratur ubertas terrae promissae, eaque passim vocatur *terra fluens lac, et mel.* Increduli haec comparantes cum hodierno Palaestinae statu Scripturam erroris accusant: verum iniuria prorsus; nam ex recentiore statu regionis, post tot incursus et vastationes Chaldaeorum, Aegyptiorum, Syrorum, Romanorum, Saracenorum et Arabum, qui incolas disperserunt aut abduxerunt, magnosque tractus incultos reliquerunt, mirum non est si antiqua fertilitas non amplius appareat: quod coeteroquin ab ipso Moyse praedictum fuerat (Deut. XXIX. 22–28) in poenam peccatorum et ingrati animi Hebreorum. Attamen Palaestinam olim fertilitate praestantissimam fuisse non Scriptura tantum asserit sed profani quoque auctores confirmant, imprimis Hecataeus coaevus Alexandri Magni (apud Ios. Fl. lib. I con. Apionem), idem Iosephus Flavius (de Bel. Iud. lib. III Cap. III. §. 3, X. §. 8, lib. IV. Cap. VIII. §. 3.) Tacitus (Annal. lib. XXI). Iustinus (hist. XXXIII) et alii plures citati a Guénée in refutatione Voltairii (Vide celebre opus: *Lettres de quelques Juifs... a Mons. de Voltaire* Tom. III. *Recherches sur la Judée considerée principalement par rapport à la fertilité de son territoire* etc). Coeterum etiam nunc in iis Palaestinae tractibus, qui sedulo excoluntur, nec ob Turcarum Arabumque inertiam inculti iacent, adhuc segetes copiosae sunt, fructiferae arbores ac omnis generis fruges abundant, nec optimae vineae desunt, iumentorum autem et avium ingens varietas ubique cernitur.

In antiqua Palaestina tota regio tum in vallibus tum in collibus, exceptis desertis Iudaeae, frugiferis plantis, aut optimis pascuis abundabat iuxta illud (Ps. LXIV. 12–14: « *Campi tui replebuntur ubertate. Pinguescent speciosa deserti* (vallium), *et exultatione colles accingentur. Induti sunt arietes ovium, et valles abundabunt frumento* ». Vineae Engaddi, et Carmeli praecipue in

Scripturis laudantur; pascua in regione Basan pinguissima, unde vituli, aut *tauri Basan* celebratissimi, qui etiam aliquando metaphorice pro viris potentibus robustisque accipiuntur. (Ps. XXII. 13 hebr.) Inter fructus potissimum uvae, ac ficus laudantur, unde illa Scripturae phrasis: *unusquisque sub vite sua, et sub ficu sua,* ad populi opulentiam et felicitatem adumbrandam. Ad animalia quod attinet, Palaestinae campos pascebant innumeri greges ovium et caprarum, numerosa quoque armenta boum, praeterea cameli, et asini, quorum copia inter possessiones ditiorum hominum passim in Scripturis recensetur (Gen. XII. 16, Iob. I. 3, XLII. 12.). Filii Ruben, Gad et Manasse 50.000 Camelorum ab Agarenis praelio devictis sustulerunt, una cum 250.000 ovibus, et 2000 asinis (1 Par. V. 21): cameli autem tum ad domesticos usus, tum ad itinera longiora, et ad bellum quoque adhiberi solebant. Equi haud multum usum apud Hebraeos habebant, imo reges prohibiti sunt *multiplicare sibi equos* (Deut. XVII. 16); nihilo tamen minus ad usus praesertim bellicos equi ex finitimis regionibus inferebantur, et Salomon *12,000 equitum* habuisse dicitur, et quamplurima stabula *equorum currilium* 3 Reg. IV. 26. Avium quoque magna erat copia, quarum multae species in Scripturis distinguuntur sive mundae, sive immundae, de quibus ut et de aliis animalibus quaedam dicemus in sectionibus sequentibus.

III. Hisce tamen non obstantibus, regio Palaestinae pluribus calamitatibus et flagellis obnoxia est, quorum praecipua et peculiaria eidem regioni sunt 1° *Pestis,* quae ex Aegypto potissimum, aliisque regionibus non raro infertur, et frequenter in Scripturis memoratur. 2° *Terraemotus* saepe terribiles et exitiosi, unde prophetae plures imagines desumunt ut Ps. LX. 4, Is. XXIX. 6, Ier. IV. 24: ab iis tamen Ierosolyma vix unquam damnum patitur Ps. XLV. 3. 3° *Locustae,* quarum aliquando innumerabiles turmae in campos irruunt, et omnes segetes, fruges, fructusque devorant: haec insecta saepe magnae molis sunt, et per aera feruntur agmine facto ad modum exercitus, circa vesperam in campos descendunt et quasi castrametantur, agmen quandoque ad duo vel tria milliaria longitudinis pertingit, ita ut lucem solis ad modum densae nubis subtrahat, ad quod alludit Scriptura Ex. X. 15, Ioel II. 10, et alarum motu ingentem strepitum edat (Ioel II. 2); campis vero

ingruentes ingentes terrae tractus, arboresque ac frutices omnes contegunt et post exortum solem repunt fere recta linea in septentrionem pergentes, nullis obstaculis perterritae, foveas transiliunt moenia ac muros praetergrediuntur et in domos penetrant Ioel II. 7 seqq. postquam omnia voraverint ipsos arborum ramos decorticant, saepe etiam pondere suo frangunt (Ex. X. 12, 15, Ioel I. 4, 7, 10, 12, II. 3.). Hinc earum dentes dentibus leonum comparantur Ioel I. 5, II. 4. Aliquando accidit ut discedente uno agmine alterum succedat, aut etiam tertium, et quartum ut nihil prorsus viride relinquatur: denique ova humo infossa relinquunt quae novam progeniem sequenti vere pariunt, saepe etiam mortua corpora relinquunt quae foetore intollerabili aerem corrumpunt (Ex. X. 13-20): variae eorum species diversis nominibus in Scripturis distinguuntur. 4° *Caritas annonae,* et fames, quae modo locustarum vastationem, modo aeris siccitatem consequitur. 5° Ventus *Samun* dictus seu *pestilentialis,* qui in Scripturis vocatur variis nominibus זְלָעָפָה בְּעֵר רוּחַ צָח.Hic ventus qui variis regionibus Orientis, ut Persiae, Babyloniae, Arabiae et Nubiae communis est brevi admodum spirat, saepe duobus vel tribus tantum minutis, nunquam ultra septem vel octo, uno momento omnes homines qui eum hauriunt occidit: cadavera mox nigrescunt et contacta franguntur et dissolvuntur. Animalia vero in campis pascentia non occidit quia naturae instinctu in terram se prosternunt et caput demittunt. Huiusmodi enim ventus super terrae superficiem non spirat sed tantum ad duorum circiter pedum altitudinem: hinc homines cum eius impetum animadvertunt humi prostrati os ad terram applicant, et spiritum quantum fieri potest continent ut mortem effugiant: eius autem adventum coniiciunt ex strepitu quodam, ex nebulis subrubeis, aliisque indiciis, quae tamen satis incerta sunt; refert Thevenot *Voyages* Tom. III cap. X anno 1665 in sola urbe Bassorah 4000 homines a Samun interfectos fuisse. Non est tamen omittendum aliquando nomine Samun ab orientalibus latiori sensu vocari alium ventum calidum ab Oriente spirare solitum, quem Hebraei ventum *Kadim* appellabant, ut supra vidimus, qui licet plantis noxius sit, et hominibus molestus, minime tamen lethalis est.

ARTICULUS IV.

Geographia politica et historica Palaestinae

§. I *De variis Palaestinae divisionibus politicis.*

Regio Palaestinae pro variis aetatibus, si veante,sive post occupationem Hebraeorum, diverso modo inter incolas divisa fuit, ad quas divisiones varii Scripturae libri respiciunt; quare oportet eas prae oculis habere.

I. *Palaestina* seu *Canaan ante Hebraeorum occupationem.*

In remotissima aetate Palaestinam incoluisse videntur gentes illae quae in Pentateucho aliquando nominantur, et iam fere extinctae supponuntur, scilicet *Rephaim, Emim, Zuzim, Enacim,* quae a gigantaea statura et robustis viribus celebres permanserant. Quomodo isti regionem inter se dividerent impossibile est definire. His successerunt Cananaei, qui expulsis priscis incolis totam regionem occuparunt, et inter se distribuerunt pro variis eorum populis. Erant autem Cananaei posteri undecim filiorum Canaan filii Cham, et ab eis nomen habebant; horum sex potissimum in Palaestina proprie dicta sedem fixerunt, et sunt illi tam frequenter in Pentateucho nominati, *Sidonii, Hethaei, Iebusaei, Amorrhaei, Gergesaei, Hevaei* (1), quibus postea accesserunt *Pherezaei.* Quamvis non possint accurate determinari loca, vel districtus, quos singuli occupabant, generatim tamen ex Scriptura apparet Amorrhaeos qui praecipui inter ceteros erant tum ad Orientem Iordanis, tum ad occidentem maris mortui prope desertum Arabiae Petraeae sedem habuisse, *Hethaeos* in parte occidentali maris mortui in regione Hebron et Mamre domicilium habuisse ex historia Abrahami constat (Gen. XXIII. 2, 3, 10, 17 etc.), Hebron ab eis dicebatur *Arbee,* vel *Cariath-Arbe; Iebusaei* superius habitabant regionem ubi postea fuit Ierusalem in cuius loco erat urbs nomine *Iebus,* cuius arcem Iebusaei tenuerunt etiam post bella et victorias Iosue, donec a Davide regnum super totum Israel adepto expulsi

(1) Alii populi ex filiis Canaan orti fuerunt Aracaei, Sinaei, Aradii, Samaraei et Amathaei, qui una cum praecedentibus sub nomine Cananaeorum numerantur in tabula genealogica posterorum Cham. Gen. X. 15-19.

fuerunt (2 Reg. V. 8.): *Hevaei* paulo ad Septentrionem et Occidentem Iebusaeorum sedem habuisse videntur in montibus Samariae, *Sidonii* Phoenicen proprie dictam occupabant: *Gergesaei* inter Phoenicem et Iordanem habitasse videntur. Regionem trans Iordanem, quae *Basan* dicebatur, regna Cananaeorum Og et Sehon comprehendebat. Circa Palaestinam autem aliae gentes erant de quibus supra dictum est ut Syri, Amalecitae, Idumaei etc. Australem partem litoris mediterranei, quamvis proprie intra fines Palaestinae comprehensam, Philistaei diu occuparunt etiam post Hebraeorum adventum, ut supra vidimus. Praedicti populi nequaquam barbari ac sylvestres erant, sed culti et potentes: nam in libris Moysi et Iosue legitur eos innumeras urbes bene extructas et munitas habuisse, ut Iericho, Hai, Gabaon, Astaroth, et alias, item bene instructos exercitus aliaque culturae signa: monarchico regimini subiecti erant, nam in praeliis quae habuerunt cum Moyse et Iosue triginti et unus eorum reges debellati dicuntur Ios. XII, qui profecto nonnisi reguli erant, saepe unius tantum vel alterius urbis dominium adepti, ut ex eorum numeratione quae ibidem fit colligitur. Ante tempora Abrahami vel omnes vel plures ex Cananaeis veri Dei adoratores fuisse ex historia eiusdem Abrahami evidens est: deinceps tamen in idololatriae superstitiones ita prolapsi sunt, ut ea praesertim de causa Deus eorum exterminium decreverit, eorumque terram Abrahami posteris in haereditatem promiserit (Gen. XII. 7, XIII. 14, 15.) eo pacto ut praedictas Chananaeorum gentes exterminarent. (Ex. XXIII. 23-33).

II. *Divisio Palaestinae inter duodecim Tribus.*

Promissio Abrahamo aliisque Patriarchis a Deo facta tandem implementum habuit sub Moyse et Iosue. Educto enim populo Hebraeorum ex Aegypto post 40 annorum peregrinationem per deserta Arabiae, tandem, vivente adhuc Moyse, regio trans Iordanem ab eis occupata est, et post Moysis mortem Iosue populum trans Iordanem prodigio divisum transmittens reliquam regionem Chananaeorum, exterminatis incolis, occupavit, Hebraeisque distribuit. Itaque trans Iordanem in regione Basan regumque Og et Sehon ipse Moyses sedem assignavit tribubus *Ruben, Gad* et dimidiae tribui *Manasse* ita ut Ruben Australem partem teneret, septentrionalem Manasse, Gad vero mediam: torrens Arnon limitem signabat

tribus Ruben, quo dividebatur ab Ammonitis et Moabitis (Deut. III. 12-17, Ios. XII, 1-6, XIII. 8-33). Reliquae tribus regionem cis-Iordanicam occuparunt, scilicet inter Iordanem et mare Mediterraneum, hoc ordine: in parte superiore erant tribus *Nephtali* ad occidentem Iordanis a finibus Syriae usque ad lacum Tiberiadis, inter Manasse et litus Mediterranei erat Tribus *Aser*, infra utramque tribum a lacu Tiberiadis usque ad Carmelum et mare erat Tribus *Zabulon*. Partem mediam occupabant Tribus *Issachar*, alia dimidia Tribus *Manasse*, et *Ephraim*, ita ut Issachar superiorem locum teneret ad austrum lacus Tiberiadis, Ephraim inferiorem ultra fluvium Canah, Manasses vero medium inter utramque. Australem denique partem tenebant Tribus *Dan*, *Beniamin*, *Iuda* et *Simeon* hoc ordine: Dan et Simeon regionem tenebant versus mare mediterraneum, Dan quidem superiorem, Simeon inferiorem usque ad rivum Aegypti, inter Dan et extremam partem Iordanis iacebat Beniamin, infra vero inter Beniamin Simeon Idumaeam et mare mortuum erat tribus Iuda (1). Tribui Levi non fuit adsignata specialis regio, sed tantum 48 urbes sparsae per totam regionem, et pro sustentatione primitiae fructuum et decimae eo fine ut Levitae abiectis temporalibus curis cultus divini administrationi, et fratribus in religione instruendis sese devoverent. Haec omnia ex libro Iosue potissimum innotescunt.

Haec divisio perduravit usque ad epocham Roboami filii Salomonis, sub quo decem tribus a dynastia Davidis defecerunt. Tunc enim duobus separatis regnis coepit nova divisio inter regnum Israel et regnum Iuda: hoc quidem comprehendebat inferiorem Palaestinae partem usque ad limitem Septentrionalem Tribus Beniamin, quae cum Iuda permanserat, reliqua regio pertinebat ad regnum Israel ab Ephraim, ubi erat Samaria urbs regia et sursum.

III. *Divisio Palaestinae aetate Christi et Apostolorum.*

Postquam duo regna Israel et Iuda eversa fuerunt, distinctio inter tribus earumque districtus prorsus evanuit. Iudaei ex capti-

(1) Notum est tribus Israel ex filiis Iacobi originem habuisse, qui quidem duodecim fuerunt: verum a Ioseph tribus denominata non est, sed eius loco duo eius filii Ephraim et Manasse omonimis tribubus originem dederunt, atque ita non duodecim sed tresdecim tribus ortae sunt. Terra autem in duodecim partes divisa est quia tribus Levi separatam regionem non habuit.

vitate babylonica reversi, cum reliquiis aliarum tribuum, quae vel in regione permanserant vel iis in captivitate sese adiunxerant Palaestinam iterum occuparunt, quae vocari coepit ab eorum nomine *Iudaea* absque ulla distinctione, serius tamen in varias partes divisa est, de quibus nunc dicendum ad intelligentiam librorum N. T. in quibus haec divisio ubique recurrit.

Generalis divisio erat in regionem *Cis-Iordanem*, et regionem *Trans-Iordanem*, quae *Peraea* dicebatur. I. Regio cis-Iordanem in tres partes vel provincias dividebatur scilicet *Galilaeam, Samariam* et *Iudaeam* 1° *Galilaea* גְּלִיל, גְּלִילָה dicta est pars septentrionalis inclusa inter Iordanem et lacum Genesareth ad Orientem, Syriam ad Septentrionem, Phoenicem et Mediterraneum ad Occidentem, et planitie Esdrelon ad austrum. Galilaea rursus dividebatur in *inferiorem* et *superiorem*, haec autem dicebatur *Galilaea gentium* (Is. VIII. 23, Mach. V. 15, 21 seqq., Matth. IV. 15) ob magnum paganorum numerum ibidem degentium. *Galilaea* comprehendebat tribus Aser, Issachar, Nephtali et Zabulon. In hac Palaestinae parte Christus conceptus et educatus est, ibi Apostolos vocavit, et publicum praedicationis ministerium exorsus est: quare et ipse Christus cum apostolis Galilaei vocati sunt, et pagani aliquando omnes Christi fideles per contemptum Galilaeos vel Nazarenos appellarunt. 2° *Samaria* partem mediam regionis cis-Iordanicae occupabat, et minima erat ex tribus partibus: limites erant ad Septentrionem Galilaea, et praecise urbes Ginaea et Scythopolis, ad orientem Iordanes, ad austrum Acrabatene et oppidum Annuath, ad occidentem proprie mare mediterraneum usque ad Iop, quamvis Iosephus Fl. de Bel. Iud. lib. III. Cap. 3 animadvertat Samariam usque ad litus maris non se porrexisse. Complectebatur territoria Ephraim, et dimidia tribus Manasse. 3° *Iudaea* erat amplissima et praecipua inter partes Palaestinae complectens totam regionem meridionalem cum locis tribuum Iuda, Beniamin, Dan et Simeon. Eius limites erant ad Septentrionem Samaria, ad Orientem Iordanes et mare mortuum, ad Occidentem Mediterraneum usque ad Ptolemaidem, ad austrum Arabia Petraea. Pars Idumaeae usque ad oppidum Iardan sub nomine Iudaeae et in eius finibus comprehendi solebat.

II. Regio *trans-Iordanica* seu Peraea in octo provincias, seu districtus divisa est, qui sunt sequentes:

1° *Peraea* stricte sumpta dicebatur pars australis inter fluvios Arnon et Iabok, ubi olim Ammonitae habitaverant.

2° *Galaad* supra fluvium Iabok usque ad Gadara et Abilam.

3° *Decapolis*, seu confoederatio decem urbium graecanicarum, quae tamen non omnes simul et in eodem districtu sitae erant, nempe *Scythopolis* cis-Iordanem, ut modo innuimus, reliquae in Peraea huc illuc sparsae, *Hippos* prope litus orientale lacus Genesareth, *Gadara* paulo inferius ad rivum omonymum, *Pella* ad fluvium Iabok, *Philadelphia* magis ad austrum, ubi olim fuerat Rabbath-Ammon, adhuc inferius *Dion* : aliae urbes erant Canath, Gerasa, Raphana in partibus superioribus Peraeae, sed in his numerandis antiqui auctores inter se non conveniunt. Decapoleos in urbes N. T. saepe nominatur, et ex hisce turbae Christum sequutae fuisse dicuntur Math. IV. 25 etc.

4° *Gaulonitis* erat tractus ad litora orientalia lacus Genesareth et Iordanis usque ad montem Hermon.

5° *Bathanaea* erat pars antiquae regionis Basan ultra Gaulonitidem ad orientem sita.

6° *Ituraea* pariter ad orientem et ad septentrionem Bathanaeae iacebat: vocabatur etiam *Auranitis*, et hebr. חַוְרָן Chavran (Ezech. XLVII. 16, 18): alii tamen recentiores geographi distinguunt Ituraeam ab Auranitide, et hanc infra alteram collocant.

7° *Trachonitis* magis ad Orientem sita erat ultra Caesaream Philippi, seu Paneaden.

8° *Abilene* vocabatur districtus ad Septentrionem Auranitidis et Galaad versus Damascum: haec regio a Lysania qui eius dominationem a Romanis acceperat *Abilene Lysaniae* vocata est. Praecipuae ex his divisionibus simul commemorantur a Luca III. 1, ubi incipiens publicam Christi vitam narrare ait Iohannem Baptistam praedicationem suam auspicatum fuisse « procurante Pontio Pilato Iudaeam, tetrarcha autem Galilaeae Herode, Philippo autem fratre eius tetrarcha Ituraeae et Trachonitidis regionis, et Lysania Abilinae tetrarcha ».

III. Tertia divisio, quae in mox citato testimonio Lucae innuitur pertinet etiam ad aetatem Christi, quando scilicet mortuo Herode magno, totum eius regnum, iubente Caesare Augusto, inter eius filios divisum fuit. Potior pars Archelao data est sub no-

mine *Ethnarchiae,* reliquae vero partes cis et trans Iordanem *Tetrarchiae* dictae fuerunt, et aliis assignatae. *Ethnarchia* comprehendebat totam Iudaeam cum Samaria, et Idumaea; *tetrarchia Herodis* (Antipae) continebat Galilaeam, et Peraeam stricte sumptam; *tetrarchia Philippi* alterius filii Herodis M. complectebatur Batanaeam, Trachonitidem et Auranitidem, et partes quasdam domus Zenonis circa Iamniam (Ioseph. Fl. De Bel. Iud. l. II. c. VI. 3). *Abilene* in separatam tetrarchiam constituta est et Lysaniae concessa. Haec tamen divisio parum duravit, nam post Ierosolymae eversionem per Titum et Vespasianum tota Palaestina in provinciam Romanam redacta est: et saepe sub nomine Syriae comprehensa.

IV. Denique serius in Romana et Ecclesiastica historia occurrit alia Palaestinae divisio in tres partes, quae vocatae sunt *Palaestina* I, II et III, quemadmodum etiam in regione Aegypti aliquando factum est. Haec divisio primo apparet in monumentis saeculi V. aerae Christianae, ut in Leg. III. Codic. Theodos. de erog. milit. annon. « Limitanei milites et possessores utilitate conspecta per *primam, secundam,* et *tertiam Palaestinam* huiuscemodi norma processit. » Palaestina *prima* partem mediam Palaestinae comprehendebat cum Ierosolyma, Palaestina *secunda* partem superiorem seu Galilaeam et partem Samariae, Palaestina *tertia* partem inferiorem Iudaeae, et Idumaeam usque ad sinum Arabicum. Haec postrema pars, cuius metropolis erat *Petra,* aliquando dicta est *Palaestina salutaris.* Index urbium Episcopalium Palaestinae primae, secundae et tertiae exhibetur in *Geographia sacra* Caroli a S. Paulo edita et adnotata ab Holstenio: at Relandus (lib. I cap. 34 et lib. III. passim) plura in eo omissa animadvertit.

§. *II. De Palaestinae incolis, eiusque praecipuis urbibus.*

I. De primis Palaestinae incolis, quos vidimus ante Cananaeos regionem occupasse, nihil scimus, quod ad eorum numerum, culturam, urbes aliaque huiusmodi. Tantum de eorum feritate ac robustis viribus obiter mentio fit in libris Moysi et Iosue (Num. XIII. 35, Deut. II. 10-12, 20-22, III, 11-13). Ad Cananaeos quod attinet, eorum numerum ingentem fuisse ex Scriptura apparet, ubi triginta et unus eorum reges numerantur a Moyse et Iosue devicti cum eorum exercitibus (Ios. XII), qui aliquando ad plura millia bellato-

rum fortissimorum ascendisse dicuntur. Plurimae eorum urbes in iisdem libris nominantur (1) quarum alias Hebraei deleverunt, aut igne succenderunt, ut Iericho (Ios. VI), et Hai (Ios. VII), alias vero, imo plerasque, captas occuparunt, et sunt illae ipsae Palaestinae urbes in posterioribus libris frequenter nominatae, de quibus, ut et de aliis ab Hebraeis aedificatis, infra dicemus. Gentes Cananaeorum superius memoratae secundum Dei iussum debuissent omnes deleri (Num. XXXIII, 50-56), plures tamen ex eis stragem evaserunt et in nativa regione habitare permissi sunt, ut Iebusaei in tribu Iuda (Ios. XV. 63), et alii Cananaei in tribu Ephraim (ib. XVI. 10), praeter Philistaeos qui usque ad tempora regum suas urbes tenuerunt (ib. XI. 22).

Ad Israelitas quod attinet eorum numerus cum primo Palaestinam ingressi sunt satis ingens erat: siquidem per desertum numerabantur 600,000 iuvenes armis ferendis apti (Num. XXVI) inter quos Levitae comprehensi non sunt; unde facile est coniicere integrum populum, cum Levitis scilicet, pueris, mulieribus ac senioribus numerum 3,000,000 circiter attigisse. Sub regibus populus Hebraeorum plurimum auctus fuit, nam in censu quem Ioab egit iussu David inventi sunt 1,300,000 viri bellatores, nempe in sola tribu Iuda 500,000, et in reliquis 800,000 (2 Reg. XXIV. 9), quibus addenda est immensa turba mancipiorum, et advenarum praeter Levitas: quare numerus incolarum 6,000,000 minor esse non poterat. Post Ierosolymae excidium numerus valde imminutus est, nunc autem sub Turcarum dominatione incolae Palaestinae vix ad 300,000 numerantur. De politicis vicissitudinibus Hebraeorum sermo erit inferius.

II. Praecipuae Palaestinae urbes numerari possunt secundum recentiorem Palaestinae divisionem quae aetate Christi obtinebat, in regione cis et trans Iordanem.

1° In regione trans Iordanem seu Peraea sequentes urbes praecipue notandae sunt incipiendo a parte septentrionali in via Damasci, et procedendo versus austrum. *Dan,* olim *Lais,* vel *Lesem*

(1) In sola regione Basan narratur *sexaginta urbes* a Iudaeis captas fuisse Deut. III. 3 seq. et additur: « Cunctae urbes erant munitae muris altissimis, portisque et vectibus, absque *oppidis innumeris,* quae non habebant muros » (ib. 5).

dicta, signabat extremum limitem septentrionalem Palaestinae; nominatur in historia Abraham (Gen. XIV. 14) deinceps a Danitis capta est (Iud. XVIII. 27-29), serius Ieroboam vitulum aureum ibi ad profanum cultum erexit (3. Reg. XII. 29). Haud procul sub monte Paneo erat *Caesarea Philippi* olim *Paneas* dicta, ubi Petrus Christi divinitatem confessus est, et promissionem primatus accepit (Matth. XVI.) In eadem regione erant *Gessur,* cuius rex nominatur 2 Reg. III. 3: *Argob, Astaroth* et *Edrai* erant urbes Basan, cuius regem Og Israelitae profligarunt (Num. XXI. Deut. III). Inferius in tribu Gad erant *Iabes-Galaad,* et *Ramath-Galaad,* ubi non semel Hebraei cum Cananaeis dimicarunt: apud hanc alteram urbem Achab rex Israel occisus est (3 Reg. XXII. 20 35-37). *Machanaim, Phanuel* et *Succoth* in historia Iacobi patriarchae celebres sunt (Gen. XXXII. 2. 30 XXXIII. 17.) *Hippos, Dium, Pella* aliaeque urbes Decapoleos, in hac regione existentes superius nominatae sunt: Pella refugium praebuit Christianis, qui illuc confugerunt cum Ierusalem a Romanis capta et eversa est. In parte meridionali Peraeae olim a tribu Ruben occupata praecipua urbs erat *Rabbath-Ammon,* quae princeps Ammonitarum urbs fuit, deinde ab Hebraeis occupata, et serius *Philadelphia* appellata, et ad decapolim pertinebat. In huius urbis obsidione Urias maritus Bethsabeae David iussu occisus est (2 Reg. XI. 15-17). *Minnith* ab optimo frumento laudata Ezech. XXVII. 17; *Hesebon* urbs munita et princeps Amorrhaeorum: *Medaba* in praeliis David saepe nominata (1 Par. XIX. 17) alias etiam *Madaba* dicta (Num. XXI. 30, Ios. XIII. 9. 16.) *Aroer, Dibon, Kedemoth* nominatae Ios. XIII, et *Bosor* Deut IV. 43. Item *Rabbath-Moab* et *Chir-Moab* celebres Moabitarum urbes fuerunt, postea ab Hebraeis occupatae: Rabbath Moab, *Areopolis* a Graecis dicta est. Hae omnes cum aliis minoribus oppidis ad Orientem maris mortui iacebant. Haec quidem de Peraea. In regione vero cis-Iordanica

2° In *Galilaea* urbes et pagi frequentius in Scripturis nominati sunt sequentes. In districtu tribus Aser olim fuerunt urbes *Halcath, Chali, Beten* et aliae in eius descriptione numeratae Ios. XIX. 25 seqq. Etiam urbes *Tyri, Sidonis,* et *Acco,* quae postea *Ptolemais* dicta est, in eius finibus comprehendebantur, sed eas expugnare Hebraei non potuerunt. *Chapharnaum, Corozaim* et

Bethsaida in Evangelio celebres prope lacum Genesareth in parte superiori sitae erant. Ad sud-ovest Chapharnaum erat *Cana Galilaeae,* ubi Christus aquam in vinum convertit ad nuptias. *Cinereth* vel *Genesareth* in litore occidentali praefati lacus extructa erat, quae deinceps *Tiberias* in honorem Tiberii Caesaris vocata est, unde lacus utroque nomine appellari consuevit: haec saepe in Scripturis nominatur, et post Christianam aeram celebris scholae Hebraeorum sedes fuit, unde Talmud, et Massora prodierunt. *Asor* regis Iabin sedes fuit, cuius exercitus ducem Sisaram Iahel mulier hebraea occidit (Iud. IV. 2. 21). *Cades Nephtali* sedes fuit Barac Iudicis Israel (ibi 6) *Nazareth* Mariae, et Iosephi domus, ubi Christus maximam vitae suae partem duxit, media est fere inter Carmelum et extremitatem australem lacus Tiberiadis. *Naim,* quam prope Christus filium viduae mortuum suscitavit, *Endor,* ubi Saul pithonissam consuluit, 1. Reg. XXVIII 7. seqq. pariter in parte meridionali Galilaeae sitae erant.

3° In *Samaria,* ubi olim Ephraim et Manasse tribus fuerant, princeps urbs erat *Samaria* hebraice שֹׁמְרוֹן *Sciomeron* ab Amri aedificata, et sedes regni Israel constituta, unde tota regio nomen sumpsit: postquam a Salmanassar destructa fuisset iterum aedificata est ab Assyriis,qui, Israelitis in captivitatem abductis,eamdem regionem occuparunt: Herodes magnus eam plurimum adauxit, et ornavit, vocavitque *Sebasten,* et adhuc existit, licet ad parvum oppidum redacta, sub nomine *Sebustieh. Sichem* seu *Sichar* erat alia praecipua urbs Samariae in valle Sichem inter montes Hebal et Garizim sita. Celebris est in historia Patriarcharum, et apud eam conspiciebatur puteus Iacobi, ubi Christus Dominus celebre cum Samaritana muliere colloquium habuit, qui etiam mox Sichemitis evangelium annuntiavit (Io. IV.): ab imperatore Vespasiano ampliata est, mutato eius nomine in *Neapolim,* unde hodiernum nomen *Naplus;* adhuc enim extat, et a reliquiis veterum Samaritanorum habitatur. Ibi et hodie ostenditur puteus Iacobi, et sepulchrum Ioseph. Olim haec urbs sedes regia novi regni Israel fuit sub Ieroboamo (3. Reg. XII.), quae postea Tirzam translata fuit, et postremo Samariam. *Antipatris* prope mare mediterraneum nomen accepit ab Antipatro Herodis filio: ibi Paulus sub custodia militum adductus est cum Caesaream versus pergeret (Act. XXIII. 31.). *Caesarea Palaestinae* dicta

ad mare mediterraneum sita infra Carmeli promontorium sub dominatione Romana praecipua urbs Samariae evasit, postquam ab Herode aucta fuisset: ibi Petrus centurionem Cornelium baptizavit (Act. X. 24 seqq.), ibi etiam Paulus adversus Hebraeorum accusationes coram Felice praeside se defendit (Act. XXIII. 33. XXIV. 1 seqq.). *Silo,* ubi tabernaculum et arca foederis diu substitit. *Lydda* a Graecis Diospolis dicta Apostolorum aetate populosa urbs fuit, ubi Petrus prodigiose aegrum sanavit (Act. IX. 33 seqq.). *Aemon* iuxta Salim in Evangelio nominatur ut locus praecipuus ubi Iohannes Baptista praedicabat « quia aquae multae erant illuc, et veniebant et baptizabantur » Io. III 23., sed situs huius urbis certo definiri nequit. *Ioppe,* nunc *Iapha* celebris est portus et urbs maritima in extremitate meridionali Samariae: ibi Petrus celebrem habuit visionem lintei e coelo demissi animalibus pleni, quo Gentilium ad fidem vocatio adumbrabatur (Act. XI), ibi etiam Dorcadem puellam mortuam suscitavit Act. IX. 38-40. Huc appellere solebant, et adhuc solent naves, quae peregrinos in terram sanctam vehunt.

4° In *Iudaea* denique praecipuae urbes, praeter Ierusalem, de qua postremo loco dicemus erant sequentes: *Iericho,* quae fuit prima urbs cis Iordanem ab Hebraeis expugnata (Ios. VI), deinceps ab Elisaei commoratione illustris, et a Christo Domino frequenter visitata, ubi etiam Zachaeum principem publicanorum recepit (Luc. XIX), et duos coecos illuminavit (Matth. XX. 30): sita est prope Iordanem paulo supra mare mortuum. *Galgala* גִּלְגָּל prope Iericho versus Iordanem, locus est ubi Hebraei transmisso Iordane castrametati sunt, et manna cessavit (*Ios.* V. 10-12). *Bethel* in tribu Beniamin supra Ierosolymam ob visionem Iacobi Patriarchae aliaque Patriarcharum gesta notissima (Gen. XII. 8, XVIII. 19, XXXI. 13) adhuc existit, et vocatur *Beitin*. *Bethlehem* duabus leucis ad meridiem Ierosolymae celebris fuit patria Davidis, sed Christi Domini nativitate longe celebrior. *Hebron* in montanis Iudae sita, urbs antiquissima apud quam Abraham Patriarcha diu commoratus est: dicebatur etiam *Arbee,* vel *Cariath-Arbe*, nunc vero *El-Khulil:* ibi Sara mortua est, ibique eadem, et deinceps Abraham eiusque familia et posteri sepulti sunt in spelunca duplici ab Abrahamo coempta (Gen. XXIII. seqq.) *Arimathaea* fuit patria Iosephi Christi discipuli, qui eius corpus a

Pilato impetravit, et in suo sepulchro sepelivit (Matth. XXVII.54). *Bethania,* ubi Maria, et Martha vivebant, et Lazarus resuscitatus est in vicinia Ierosolymae sita erat quindecim stadiis ab urbe (Io. XI. 18); item *Bethphage* saepius a Christo invisa, et unde profectus est ut urbem Ierosolymam triumphaliter ingrederetur, prope Bethaniam iacebat (Matth. XXI. 1), ambo, ut videtur ad orientalem partem montis olivarum (Luc. XIX.29. 37), quod etiam Eusebius et Hieronymus in Onomastico affirmant. *Emmaus,* ubi Christus duobus discipulis apparuit ipso die resurrectionis, a Ierosolyma distabat 60 stadiis (Luc. XXIV. 13) : est tamen alia urbs Emmaus longe celebrior quam Romani *Nicopolim* dixerunt decem milliariis ad orientem australem Lyddae, ubi Iudas Machabaeus insignem victoriam de exercitu Gorgiae retulit (1 Mach. III. 57 seqq. IV. 8, seqq.), quae adhuc existit sub nomine *Amuas.* (1) *Iutta* (nunc *Yutta*) inter urbes Iuda nominatur Ios. XV.55, XXI.16, (in vulgata redditur per *Iota* et *Ieta*): non longe a mare mortuo inter montes Iuda sita erat: existimant nonnulli hunc esse locum nativitatis Iohannis Baptistae, putant enim Lucam id significasse cum ait Luc. I. 39 seqq.: « Exurgens autem Maria in diebus illis abiit in *montana* cum festinatione *in civitatem Iuda,* et intravit in domum Zachariae » ubi dicunt pro Iuda legendum esse *Iutta:* Eusebius et Hieronymus affirmant fuisse vicum praegrandem 18 mill. ab Eleuteropoli ad austrum (2). *Engaddi* a vineis (Cant. I. 13.) et a luxuriantibus palmetis percelebris prope mare mortuum sita erat 8 vel 9 leucis ab Hebron. Ut alias urbes omittamus, in finibus australibus Iudaeae erant *Cades-Barne,* seu simpliciter *Cades,* in extremo austro orientali, et *Bersabea* ad austrum occidentalem.

(1) Hieronymus, Sozomenus et alii nonnulli Emmaus Nicopolim confundunt cum Castello Emmaus apud Lucam, et haec quaestio nuper inter orientales coepit iterum agitari, contendentibus plerisque Emmaus Evangelicum esse diversum ab hodierno Amuas, eiusque situm repraesentari ab alio vico dicto *El-Kubebe,* aliis contra pugnantibus pro *Amuas* seu Emmaus *Nicopoli.* Cum autem haec urbs multo remotior sit a Ierosolyma, isti contendunt in testimonio Lucae errorem irrepsisse, et pro 60 stadiis legendum esse 160, ut revera habet Codex Cyprius et versio Armenica.

(2) De hoc etiam quaestio recenter excitata est inter christianos orientales, de qua videri potest erudita dissertatio in Ephemeride « *Le missioni Cattoliche, Bollettino settimanale illustrato* 3. Settembre 1880 ».

Apud Cades-Barne populus Israel diu commoratus est secundo anno post exitum ab Aegypto (Deut. I. 2), et inde Moyses exploratores misit in terram Canaan (Num. XIII. 1. seqq.) eius mentio frequentissima occurrit in Scripturis: adhuc eius situs cernitur in loco dicto *Ain el-Weibe* (iuxta sententiam Robinson et Potter): sita erat non procul a monte Hor ad eius Occidentem Borealem, et a monte Sephaat iuxta quod legitur Num. XXI. 1. seqq. coll. Iud. I. 17. *Bersabee* nomen accepit a puteo, quem Abraham effodit, et iuramento quo ibidem confirmavit pactum, cum Abimelech initum (Gen. XXI. 31): ibi in visione iussus est filium suum immolare (Gen. XXI), ibi etiam Iacob benedictionem patris Isaac, et primogeniti iura accepit (Gen. XXVII), ibi quoque ultimum sacrificium obtulit cum iter susciperet cum tota familia in Aegyptum (Gen. XLVI) inde quoque Elias fugiens iram Iezabel profectus est in desertum (3 Reg. XIX); erat enim, ut alias diximus, ultima Iudaeae urbs in parte australi: eius ruinae adhuc ostenduntur in loco dicto *Bir-es-Seba* (1).

§. III. *De Ierosolyma, eiusque viciniis.*

Urbs omnium princeps erat *Ierusalem,* antiquissimae originis, urbs sancta tum ob templum et sedem religionis verae, quae ibi mansit usque ad Christum, tum ob ipsius Christi praesentiam et mortem; quam ideo non Christiani solum et Iudaei venerantur, sed etiam Mohametani qui eam adhuc *El-Kuds,* sive *sanctam* appellant. Sita est sub 31° 46′ latit. Boreal. et 32° 52′ longit. orient. a meridiano Paris. Distat 33 milliariis a mare mediterraneo (recta linea), et 15 a mare mortuo, supra cuius aequor attollitur pedes 3870. In eius descriptione paullisper immorandum est.

Ierusalem ab Hebraeis fundata non est, sed iam apud Chananaeos existebat sub nomine *Iebus,* ut clare edicitur Ios. XVIII. 28, qui etiam eius arcem Sion obtinuerunt usque ad epocham Davidis (2 Reg. V. 6-8): Hebraei illam vocarunt *Ieruscialaim* יְרוּשָׁלַיִם et aliquando contracte *Salem* שָׁלֵם (2). Post eversionem urbis

(1) De omnibus prorsus urbibus et vicis Palaestinae singillatim et accurate pertractant, post Eusebium et Hieronimum, auctores superius laudati. Ex his Relandus (toto lib. III. op. cit.) ordinem alphabeticum sequitur, Gratz cum aliis ordinem locorum ac regionum.

(2) Plures existimant Ierusalem aetate Abrahami *Salem* vocatam fuis-

per Titum primo deinde per Aelium Adrianum urbs deinceps reaedificata, *Aelia Capitolina* vocata est, idque nomen apud Romanos ita familiare evasit, ut vetus Ierosolymae nomen fere ignorarent (vid. Eusebium lib. *De Martyr. Palaestinae* cap. XI). Verum post Romani Imperii conversionem ad Evangelium, antiquum et sacrum nomen Ierosolymae urbi restitutum est. Haec urbs, ut diximus, inde ab epocha Patriarcharum existens ab Hebraeis occupata et ornata, a David regia sedes constituta, verae religionis centrum, imprimis post aedificatum a Salomone templum, effecta, usque ad Sedeciam in suo splendore permansit; cum autem a Chaldaeis destructa fuisset, post solutam Babylonicam captivitatem a Iudaeis in patriam reversis iterum aedificata est una cum templo: haec autem nova urbs longe inferior erat antiqua usque ad Herodis Magni tempora, qui eam plurimum ornavit, et templum magnificentius extruxit, cuius exemplum sequutus Agrippa eius nepos urbem ampliavit. Tum a Romanis eversa an. Domini 70 denique post 50 aut 60 annos reaedificata est ex parte saltem, et antiquo situ paulisper immutato, nunquam vero ad pristinum splendorem rediit.Pace per Constantinum Ecclesiae concessa, Christiani magno numero Ierosolymam confluere coeperunt, ubi etiam Helena imperatrix plures ecclesias extruxerat in memoriam praecipuorum Christi mysteriorum. Saeculo VII Mohamethani sub Chalifo Omar Ierusalem vi et armis occuparunt, et in situ templi aedem sacram Musulmanicam construxerunt, mutata etiam ecclesia B. M. V. in Moscheam (*el-Aksa*). Cum postea Chalifi Fatimitae (saeculo X) Christianos persequi coepissent, et Ecclesiam sancti Sepulchri evertissent, suadente Petro Eremita, Christiani Principes exercitus cruce signatorum in orientem miserunt, qui sacra loca e potestate infidelium eriperent, qui in variis expeditionibus varia fortuna contra Saracenos bellantes Ierosolyma potiti sunt an. 1099, et iterum an. 1229, donec anno 1243 Saraceni, expulsis Christianis, Ierosolymae possessionem sibi vindicarunt, nec unquam amplius

se, cuius rex Melchisedech victori Abrahamo obviam venit Gen. XIV. 18 seqq. (sive is fuerit ex Iebusaeis, sive ex antiquioribus quibusdam loci habitatoribus): alii tamen distinguunt Salem Melchisedechi a Ierusalem, et nomen illud nonnisi recentius brevitatis causa aliquando urbi datum putant (ita Relandus op. cit. lib. III in *Ierusalem*.)

dimiserunt. Ex his apparet Ierosolymae amplitudinem atque conditionem variam variis aetatibus fuisse. Quare in eius descriptione oportet distinguere quae propria sunt Ierosolymae ante captivitatem Babylonicam, ad intelligentiam librorum V. T., post captivitatem et imprimis tempore Christi et Apostolorum ad intelligentiam Evangelii et aliorum librorum N. T., demum recentius, et uti nunc est.

Ierusalem super varios colles uti Roma extructa est (1) qui universim quinque numerantur: *Sion, Akra,* (qui etiam *Salem*) *Moria, Bezetha* et *Calvaria* (2) qui tamen non omnes uno tempore intra urbis moenia conclusi fuerunt, sed primum solus mons Sion coeteris amplior, et excelsior, tum Akra humilior, et, ut multis videtur, priscam Iebusaeorum urbem complectens, deinceps Moria, ubi templum a Salomone aedificatum est, et mox Bezetha Moriae vicinus, qui *caenopolim* seu urbem novam comprehendebat : collis Calvariae usque ad Christi mortem extra moenia semper mansit, deinceps autem intra urbem inclusus est. Descriptio veteris urbis uti erat tempore regum ex variis Scripturae locis colligi potest. Mons Sion ad austrum occidentalem (Sud-Ovest) urbis, palatium regium gerebat cum aliis publicis aedificiis a Davide praesertim et Salomone extructis, unde *civitas David* dicebatur, et a Iosepho Flavio dicitur *urbs superior* ob Sionis altitudinem super alios colles, mons *Akra* (seu Salem) civium privatorum domibus onustus erat, inter utrumque montem vallis satis ampla interiacebat, quam Salomon substructionibus quibusdam fere implevit vocatis *Mello* (3.Reg. XI. 27), qui etiam Sion et Moria ponte coniunxit ut reges recta via a palatio ad templum accedere possent. *Moria* ad Orientem situs templum Salomonicum in vertice habebat cum adnexis aedificiis, nullas

(1) Ad situm quod attinet Ierusalem fere medium locum tenet in Palaestina, et confinium inter Tribus Iuda et Beniamin, unde oritur apparens illa discordia circa tribum ad quam pertinet, nam Ios. XV. 63 et Iud. I. 8. tribuitur filiis Iudae, at Iud. 21 filiis Beniamin, scilicet linea divisionis in ipsam urbem incidebat,ut innuitur Ios. XV. 8. (Vide Lightfoot Chorograph. in Matth. XXI, et Relandum loc. cit.).

(2) Ad haec alludit Psalmista in exordio Ps. LXXXVI, qui est de laudibus Ierusalem, inquiens: « Fundamenta eius *in montibus sanctis* ». Hinc etiam fit ut Ierusalem adeuntes dicantur *ascendere*, abeuntes autem *descendere:* « Ecce *ascendimus Ierosolymam* et filius hominis tradetur. » (Luc. X.) « Homo quidam *descendebat a Ierusalem* in Iericho » Luc.

autem civium domus, ideo mons sacer erat, et in eo iam olim Abraham filium Isaac immolaturus ab Angelo impeditus hircum substituit, unde etiam nomen monti adhaesit quod significat *visio Dei.* (1) *Bezetha* ad septentrionem Akra et Moria urbem novam ut diximus comprehendebat: continuatio montis Moria ad austrum extra muros templi nomen gerebat *Ophel,* seu *Ophla.* Montes isti ex parte praesertim orientis et austri praerupti erant unde accessus ad urbem ex ea parte arduus: ad occidentem vero et Septentrionem facilior accessus, ideoque ex hac parte urbs firmius munita. Iosephus Fl. de bell. Iud. lib. VI. cap. 6. refert Ierusalem triplici muro circumdatam fuisse, quod tamen non ita intelligendum est quasi unius muri ambitus alterum includeret, sed, quod tres urbis partes suum singulae murum haberent. Primus circumibat collem Sion, ab arce Davidis decurrens versus Orientem, et meridiem per gyrum, et sexaginta turribus muniebatur. (Ios.B.Iud.V.3 seqq). Secundus circumibat collem Akra et urbem inferiorem ad Septentrionem,et occidentem ita tamen ut extra ambitum relinqueret Calvariam seu Golgotha (Ios. ibid. cap. IV. lib. VI. cap. 2 Io. XIX. 20. Hebr. XIII. 12). Tertius murus comprehendebat Bezetha et Golgotha, percurrens ad Septentrionem et orientem Akra et Moria: hic tamen murus post Christi mortem ab Agrippa rege sub Claudio imperatore extructus fuit, unde *murus Agrippae* dictus est: cum ex hac parte aditus ad urbem facilior esset amplioribus munitionibus instructa erat, seu ut, refert Iosephus, nonaginta firmis turribus. His addendus est munus qui ambiebat undique verticem Moria et templum. De his tum moeniis tum turribus etiam Tacitus Iudaici belli historiam narrans hist. lib. V. cap. 11. loquitur, qui addit muros nequaquam recta linea ductos fuisse sed multis anfractibus angulisque ad usum bellicum (2) sinuatos. Ex praedictis turribus qua-

(1) Id tamen a nonnullis recentioribus negatur (Stanley, Grove et aliis) qui contendunt *terram Moria* (Gen. XXII. 2) ubi Abraham iussus est filium immolare diversam esse a *monte Moria*, et non in Iudaea sed in Samaria inter montes Ephraim iacere. Nobis videtur ab antiqua et constanti Iudaeorum ac Christianorum traditione recedendum non esse.

(2) In cap. XI. ita scribit: « Sed urbem arduam situ opera, molesque firmaverant, queis vel plana satis munirentur. Nam duos colles immensum editos claudebant muri per artem obliqui, aut introrsus sinuati: ut latera oppugnantium ad ictus patescerent. Extrema rupis abrupta, et turres ubi

rum vix ulla vestigia hodie cernuntur quatuor fortissimae reputabantur quarum nomina erant *Hippicus, Phasaelus, Marianne* et *Xephinus*. Hippicus ad angulum nord-ovest muri Sion extructa in loco ubi olim fuerat arx David, ad cubitos 80 attollebatur. Ab Herode magno aedificata fuit et ab eius amico Hippico appellata: *Phasaelus* ad orientem Hippici sita erat prope murum qui partem borealem Sion cingebat: pariter ab Herode erecta fuit; *Marianne* paulo infra Phasaelum erigebatur non procul a palatio Herodis(Agrippae). *Xephinus* turris octagona cubitorum 70 ad extremitatem occidentalem tertii muri Agrippae erecta est ad urbem ex ea parte muniendam: huius rudera adhuc cernuntur, et ab Arabibus vocantur Kasr-gialud. His addenda est turris *Antonia* de qua inferius.

Portae urbis plures nominantur in Scripturis, tum in veteri urbe ante captivitatem, tum in nova post captivitatem, et Christi tempore. In veteri urbe nominantur 1° *Porta piscium* 2 Par. XXXIII. 14, 2° *Porta anguli* 4 Reg. XIV. 13, 3° *Porta Beniamin* Ier. XXXVIII. 7, 4° *Porta Ephraim* 4 Reg. XIV. 13, 5° *Porta Vallis* 2 Par. XXVI. 9, 6° *Porta Equorum* Ier. XXXI. 40, quae dicitur *orientalis,* 7° *Porta Laterum* Ier. XIX. 2 quae etiam Porta Fictilis, 8° *Porta Media* Ier. XXXIX. 3, 9° *Porta Prior* seu *antiqua* Zach. XIV. 10, et 10° *Porta superior* ad septentrionem Ezech. IX. 2. Situs harum portarum plerumque incertus est, nisi ubi in Scriptura expresse indicatur, ut de nonnullis vidimus: reliquarum locus coniici potest ex portis novae urbis post captivitatem aedificatae quae uti nomen ita etiam situm priorum servasse credendae sunt. De his nunc breviter.

Ad orientem 1° *Porta ovium,* seu gregis ita dicta quia victimae pro sacrificiis per eam ad templum ducebantur 2 Esdr. III. 1. XII. 38, Io. V. 2, 2° *Porta Custodiae* (eadem ac *porta equorum*)

mons iuvisset, in sexaginta pedes, inter diversa, in centenos vicenosque attollebantur, mira specie ac procul intuentibus pares. » Quamvis haec omnia referenda sint ad urbem Ierosolymam in ultima aetate, certum tamen est etiam aetate Regum eam firmis turribus munitam fuisse, ad quas alludit Psalmista in Ps. 121 ubi Ierusalem laudans ait: « Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis. » Has inter eminebat turris, seu arx David in vertice Sion de qua Salomon in Cantico (IV. 4.) « Turris David.... quae aedificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea omnis armatura fortium. »

quae videtur versus Austrum montis Moria fuisse non procul a templo (2 Reg. XII. 38, 2 Par. XXIII. 15.) 3° *Porta aquarum in muro* qui cingebat Ophel prope fontem Draconis (2. Esdr. XII 36) 4° *Porta orientis,* seu orientalis (2 Esdr. III. 29), quae creditur tenuisse locum hodiernae *portae aureae* circa medium muri orientalis montis Moria. 5° *Porta fontis,* scilicet Siloe, iuxta quem sita erat (2 Esdr. III. 15), 6° *Porta stercoris* ita dicta quia exinde educebantur urbis purgamenta ut in vallem Cedron eiicerentur, (2 Esdr. II. 13). Ad occidentem urbis in muro Sion erat *porta Anguli,* haud procul a Golgotha (2 Par: XXVI. 9. Ier: XXXI 38.) 2° *Porta Vallis* prope arcem David (2 Esdr.II,13). Ad septentrionem erant *Porta Aphraim,* ubi nunc est Porta Damasci (2 Esdr. XII. 38) 2° *Porta antiqua,* ibidem.

Aedificia publica et celebriora in veteri urbe, praeter templum, de quo inferius dicetur, et turres de quibus supra, fuerunt olim praecipue sequentia. 1° *Palatium* regium *David* in vertice Sion, ubi arca foederis diu servata est (2 Reg. V. 11. VI. 12,) 2° *Palatium Salomonis* multo magnificentius pariter in Sion (3 Reg. VII. 1.) 3° *Domus saltus Libani* ita dicta ob immensam copiam ligni cedrini in eius constructione adhibita, quae dicitur fuisse « centum cubitorum longitudinis, et quinquaginta cubitorum latitudinis, et triginta cubitorum altitudinis: et quatuor deambulacra inter columnas cedrinas » (3 Reg. VII. 2). 4° *Porticus* duplex prope palatium (ibid. 6), 5° *Porticus solii* cum tribunali (ibid. 7.) 6° *Palatium reginae* ex lapide et ligno cedrino ; 7° Atrium maius rotundum tres habens ordines de *lapidibus sectis,* et unum de dolata cedro ibid. 12. In nova autem urbe notatu digna erant 1° *Arx* ab Antiocho Epiphane aedificata super montem Akra quae deinceps a Simone Machabaeo eversa est postea iterum aedificata a Iohanne Hyrcano et vocata *Baris.* Herodes magnus eam ampliorem et ornatiorem reddidit vocavitque *Antoniam* a Marco Antonio triumviro, a quo regnum acceperat. Sita erat in extrema rupe montis Akra versus latus Septentrionale templi et monti Moriae totique urbi dominabatur. (Ios. Bel. Iud. I. 3. 5, Antiq. XV. 2. 4.) In hac arce custoditus est Paulus, iussu Lysiae proconsulis cum a Iudaeis ad necem quaereretur (Act. XXI. 30. seqq. XXII. 1. seqq.). Intra muros Antoniae erat Praetorium ubi Pilatus Romanorum procurator residebat,et prope illud locus eminentior musivo opere stratus

(*Gabbatha, lithostroton*) ubi idem Pilatus sedens pro tribunali Christum condemnavit (Matth. XXVII. 27, Io. XIX. 13 seqq.) 3° *Palatium Herodis* Agrippae magnificentissimum, muris cinctum ad triginta cubitos altitudinis: situm erat ad angulum Nord-est montis Sion (Ios. Antiq. XV. 93. Bel. Iud. V. 4). 4° *Platea* seu forum dictum *Xistus*, ubi populi conventus haberi solebant, ibique pons supra vallem tyropaeon, qui Sion cum Moria coniungebat (Ios. Bel. Iud. II. 16. 3. VI. 3. 6. Antiq. XV. 11.) 5° Palatium dictum *Gazith* ex lapidibus electis affabre extructum, ubi magnum Synedrium iudicia agebat, secundum Iosephum situm erat inter porticum occidentalem templi, et Xistum. Omnia haec aedificia eversa fuerunt, eorum tamen ruinae recentius inventae et exploratae sunt et adhuc explorantur, unde etiam eorum situs et indoles accuratius determinari poterunt. Intra murum recentiorem praecipuum monumentum est ecclesia S. Sepulchri in parte occidentali urbis in districtu Christianorum.

Aquarum copia Ierosolymae deerat, unus enim proprie erat fons, nempe *Siloe*, ceterum cisternis cives utebantur, in quas pluviales aquae colligebantur. « Uno fonte Siloe, et hoc non perpetuo utitur civitas, (ait Hieronymus Com. in Ier. XIV.) et usque in praesentem diem sterilitas pluviarum, non solum frugum, sed et bibendi inopiam facit; » quae etiam Tacitus confirmat in descriptione Ierusalem loco citato. Ceterum fons Siloe plures lacunas seu piscinas efficiebat, tum intra, tum extra urbem: ex his erat illa nominata Io.IX.7: «Vade, lava te in *natatoria Siloe* », et alia quoque Io.V. 2 seq. memorata sub nomine *piscinae probaticae*, seu pecuariae, sic dictae vel quia ovibus potandis inserviret, vel, ut alii volunt, lavandis victimis pro sacrificiis, ad quam Christus languidum curavit: Iohannes dicit hanc piscinam hebraice *Betsaidam* vocatam fuisse, sed error est librariorum, cum legendum sit *Bethesda*, ut Iosephus Fl. Hieronymus et Rabbini legunt (vid. Hieron. in *Onomastico* ad hanc vocem). Extra urbem vero duae erant piscinae ad occidentem Sion, *superior*, et *inferior*, de quibus frequens est mentio in Scripturis: ita 4 Reg. XIV. 17 duces exercitus Assyriorum: « Venerunt Ierusalem et steterunt iuxta aquaeductum *piscinae superioris*, quae est in via agri Fullonis », et Is. VII. 3 propheta iubetur egredi in occursum Achaz « ad extremum aquaeductus

piscinae superioris in via agri Fullonis ». Fons et piscinae Siloe dicebantur etiam Gihon, ut apparet ex variis locis inter se collatis 4 Reg. XX. 20, 2 Par. XXXII. 30 et XXXIII. 14. Piscina Siloe, et quae ad eam pertinebant in Ierosolymae restauratione sub Nehemia instaurata fuisse dicuntur 2 Esdr. III. 15 et 16. Haec quidem de veteri Ierusalem.

Hodierna urbs Ierusalem iisdem ac vetus collibus insidet, nec tamen eumdem praecise locum occupat. Murorum enim circuitus angustior est, et collis Sion nonnisi partem cingit, nam australis in qua extat monasterium Armenorum cum Ecclesia Salvatoris, et ubi traditio refert fuisse domum Caiphae (Matt. XXVI. 3) extra moenia iacet. Haec moenia a Sultano Soliman extructa fuerunt anno 1543: portae quinque sunt, per quas in urbem aditus patet, quarum praecipua est quae dicitur Bab-el-Khulil (*porta Hebron*) et ab Europaeis *porta Iapha,* seu *Ioppe,* quia est in via quae ad portum Iapha ducit: praeterea sunt duae aliae portae clausae. Summitatem montis Moriae prope locum templi Salomonis occupat ingens et elegans templum Mohamedanicum dictum Kubet-es-Sukhrah a Chalipho Omar extructum circa annum 637, quamvis illud ad praesentem formam redactum credatur a Chalipho Abd-El-Melech anno 686. Ipsa area templi Salomonici adhuc cernitur et a Mahometanis *Haram* vocatur: ibi etiam scholae seu collegia Turcarum extructa sunt, et alia templa seu Moschaeae Musulmanicae. Reliquae partes urbis in collibus Sion, Akra, et Bezetha in varias regiones divisae sunt iuxta varias gentes, ac religiones hodierni populi. Mahometani maximam partem occupant, nempe orientalem partem Akra, cum Bezetha, et Moria, Christiani partem occidentalem Akrae cum Golgotha, Armenorum districtus maximam partem collis Sion tenet, Iudaeorum denique districtus ceteris inferior infra Sion et Ophel situs. Integer populus ad 17,000 vix ascendit. Generalis adspectus urbis arabicum stylum praesefert; aedificia plerumque humilia, et parum elegantia, viae angustae et generatim recurvae: inter Christianorum aedificia eminet *Ecclesia S. Iacobi* cum monasterio, quae olim a regibus Hispaniae aedificata, nunc a monachis Armenis tenentur: in colle Akra notatu dignum est aedificium equitum S. Iohannis: item hospitium Sanctae Helenae nunc a turcis occupatum; imprimis vero *Ecclesia Sancti Sepulchri,* ubi Christi Domini sepulchrum

invisitur. Haec ecclesia a Constantino erecta fuit, sed postea a Persis, et a Mahometanis vastata iterum atque iterum restaurata, et ad praesentem statum redacta est saec. XIII. Est autem complexus quidam plurium aedificiorum, scilicet Ecclesiae S. Sepulchri proprie dictae, Ecclesiae Crucifixionis, et Ecclesiae Inventionis Crucis, quae simul coniunctae et in unum aedificium compositae fuerunt: pars rupis Calvariae cum sepulchro Domini in ea excavato intra ambitum aedificii includitur.

II. Ad vicinias Ierosolymae quod attinet, circa urbem duo valles decurrunt. Ad occidentem et Austrum est *vallis Ennon* seu *filiorum Ennon* in Scripturis celeberrima (Ios. XV. 8, XVIII. 16 4 Reg. XIII. 10 etc.) intra collem Sion ex una parte, et terrae tumulum ex alia inclusa: circa extremum vallis versus Cedron est Campus *Aceldama* pecunia Iudae proditoris coemptus (Matth. XXVII. 7. 8, Act. I. 19.). In valle Ennon olim Iudaei superstitionibus indulserunt, offerentes filios suos per ignem idolo Ammonitarum Moloch (Ier. VII. 31, 3 Reg. XI. 7). Hinc tempore Christi nomen huius vallis hebraice *Ge-Hinnon* (Gehenna) usurpari solebat pro inferno: pars huius vallis dicebatur *Tophet*. Ad orientem vero urbis iacet *vallis Cedron* a torrente Cedron appellata. Pars superior vallis dicta est *vallis Iosaphat*, licet haec appellatio posterior sit, et derivata ex interpretatione vaticinii Ioelis III, ubi gentes Iudaeis infensae in iudicium vocantur; nomen enim Iosaphat significat *Dei iudicium*. Ad austrum vallis Ennon antiquus aquaeductus cernitur et inferius collis *Mali Consilii* ubi ostenduntur rudera villae Caiphae: circa locum ubi valles Ennon et Cedron concurrunt est fons Siloe: in ipsa valle Cedron cernuntur sepulchra Iosaphat, Absalom, Iacobi et Zachariae, et plurima sepulchra Iudaeorum. Ultra Cedron ad Orientem attolluntur iuga montis Olivarum, ad cuius radices erat *Gethsemani*, quo Christus post ultimam coenam, transmisso torrente Cedron, se recepit, ubi et a satellitibus captus est, et paulo ulterius ad orientem montis Olivarum sunt oppida *Bethaniae* et *Bethphage*: ad septentrionem vero eiusdem Oliveti mons *Scopus*. Vallis Iosaphat extenditur etiam supra Bezetha ad Septentrionem urbis, ubi cernuntur *sepulchra regum*, et tumulus *Helenae*. Coetera quae circa Ierosolymam ostenduntur, nec omnino certa sunt, praetermittimus.

CAPUT II.

De biblica chronologia (1)

Breviter dicemus primum de temporis divisione apud Hebraeos, aliosque orientales recepta, tum de praecipuis epochis in Scriptura memoratis ac de discrepantia quae circa illas occurrit in textu Hebraico, Samaritano et Graeco Pentateuchi, denique prospectum chronologicum praecipuorum eventuum historiae biblicae dabimus secundum communem textus hebraici et Vulgatae latinae chronologiam.

ARTICULUS. I.

De temporis divisione in S. Scripturis.

Tempus Hebraei aliique Orientales ut nos dividebant in horas, dies, hebdomadas, menses et annos, praeter longiores annorum periodos. *Horae* (שָׁעָה, שָׁעוֹת) primum in Scripturis nominantur Dan. III. 6, 15, IV. 6. 30, V. 5 et Tob. XI. 14 quas quidem Hebraei primo per gnomonem solarem (4 Reg. XVIII. 9. seqq.) deinde etiam per clepsydras computabant. Horas diei naturalis, idest ab ortu solis ad occasum numerabant duodecim, saltem aetate Christi unde illud Io. II. 9: « Nonne duodecim sunt horae diei? » quapropter horae istae modo longiores, modo breviores erant pro varia anni tempestate. Rursus diem naturalem in quatuor partes aequales dividebant quae appellari possunt horae maiores, et sin-

(1) Ex innumeris poene auctoribus qui de Chronologia antiquae historiae scripserunt satis erit laudare sequentes: Iac. Usserius: *Annales Veteris, et Novi Testamenti*; D. Petavius, cuius duo sunt insignia opera chronologica alterum maius: *De Doctrina temporum*, alterum minus quod inscripsit: *Rationarium temporum* (Secunda Pars, quam *technicam* vocat, elementa chronologiae subtiliter et accurate tradit); H. Sanclementi: *De Vulgaris aerae emendatione*; In specie pro Chronologca Textus hebraici et Vulgatae P. Le Quien: *Antiquitas temporum destructa* (adversus P. Pezron); quam reperies etiam in *S. Scripturae cursus completus* ab. Migne. To. 3.

gulae tres horas minores comprehendebant; dicebantur autem *prima, tertia, sexta* et *nona* de quibus saepe est mentio ubi de oratione agitur (Dan. VI. 11, Act. II. 15, III. 2, X, 9). Item nox naturalis in duodecim horas dividebatur (Act.XXIII.23), et rursus in quatuor horas maiores, quae in N. T. appellantur *vigilia prima, secunda, tertia* et *quarta*,vel propriis nominibus: *sero, media nox, galli cantus, mane* (Mar. XIII. 35).

Dies in Scripturis alius est civilis vel sacer, alius naturalis. Dies civilis et sacer iuxta legem Moysi computabatur a vespera ad vesperam diei sequentis (Lev. XXIII. 32): vesperae autem duae erant partes, altera ad occasum solis, altera ingruentibus tenebris (1). Hinc intelligitur quid significet phrasis *inter duas vesperas* (Ex XII.6 iuxta Hebr.)quo tempore agnus paschalis immolandus erat. Dies autem naturalis ab ortu solis usque ad ortum dici sequentis: denique dies, seu tempus lucis ab ortu solis usque ad occasum computabatur, et primitus, in sex partes seu tempora distinguebatur, quae erant: *Aurora, mane, calor diei, meridies, ventus diei* et *vespera;* deinceps vero post captivitatem Babylonicam in duodecim horas minores dividi coepit, ut supra vidimus.

Hebdomada spatium erat septem dierum apud Hebraeos ut apud alias gentes receptum, cuius origo a Cosmogonia repetenda est, ut clare affirmatur Ex. XX. 8-11: ultimus dies quieti dabatur ac *Sabbatum* (שַׁבָּת *requies*) vocabatur. Hinc vero factum est ut in N. T. tota hebdomada sabbatum vocetur, iuxta illud pharisaei gloriantis Luc. XVIII. 12: « Ieiuno *bis in sabbato* » idest, in hebdomada: sex vero feriae priores inde dicebantur *prima sabbati, secunda sabbati* etc. unde illud Matth. XXVIII. 1: « Vespere autem Sabbati, quae lucescit in prima sabbati » idest, nocte Sabbati proprie dicti cum inciperet lucescere prima sabbati, seu prima feria hebdomadae sequentis, quae respondebat nostro diei dominico. Notum est enim a Christianis diem quietis eum electum fuisse in quo Christus resurrexit, relicto Hebraeorum Sabbato.

Praeter hebdomadas dierum in V. T. nominatur *hebdomas hebdomadum,* idest, periodus septem hebdomadum, seu 49 dierum

(1) Ita legem explicabant Caraitae doctores. Verum Rabbanitae et Pharisaei primam vesperam inchoari dicebant tempore medio inter meridiem et occasum, secundam vero occidente sole.

Paschate usque ad Pentecosten, quod ideo dicitur *festum hebdomadum* (Deut. XVI. 9 seq.). Item hebdomadae annorum de quibus infra.

Menses, et *anni.* Horum mensuram naturaliter hominibus praebuerunt sol, et luna (Gen. I. 14), ille quidem suo apparenti cursu per zodiacum, quo annus naturalis definitur, haec autem per suam revolutionem circa terram, quo primum menses distincti fuerunt apud omnes gentes: hinc est quod apud Hebraeos eadem vox יָרֵחַ et lunam et mensem significat, idemque plus minus fit in lingua graeca, in linguis familiae germanicae et aliis. Quoniam vero periodus lunaris minus quam triginta diebus absolvitur necesse fuit mensibus lunaribus vel aliquot dies addere, ut Aegyptii, Graeci et Romani fecerunt, vel tertio quoque anno ad annum complendum, alium mensem intercalare, ut apud Hebraeos factum est.

Nomina mensium hebraicorum sunt sequentia.

1. *Nisan* נִיסָן antea dictus Abib אָבִיב qui incipit a novilunio Aprilis Ex. (XII. 2. Neh. II. 1.)

2. *Zio* זִיו dictus etiam Iiar, incipiens a novilunio Maii (Reg. VI. 1.)

3. *Sivan* סִיוָן a novilunio Iunii (Hesth. VIII. 9.)

4. *Tammuz* תַּמּוּז incipiens a neomenia Iulii.

5. *Ab* אָב a novilunio Augusti.

6. *Elul* אֱלוּל a novilunio Septembris.

7. *Tisri* תִּשְׁרִי olim dictus *Ethanim* אֵיתָנִים a novilunio Octobris (3 Reg. VIII. 2.)

8. *Marhescevan* מַרְחֶשְׁוָן, olim dictus *Bul* בּוּל, incipiens a novilunio Novembris (3 Reg. VI. 28.)

9. *Casleu* כִּסְלֵו a novilunio Decembris (Zach. VII. 1, 2 Mach. I. 9.)

10. *Tebeth.* טֵבֵת a novilunio Ianuarii (Esth. II. 16.)

11. *Schebath* שְׁבָט a novilunio Februarii (Zach. I. 7.)

12. *Adar* אֲדָר a neomenia Martii (Esth. III. 7.)

13. *Veadar* וְאֲדָר idest, *Adar bis*, mensis intercalaris, qui tertio quoque anno addebatur. (1).

(1) Aegyptiorum menses hisce nominibus nuncupabantur: *Tot, Tauphi, Athyr, Chojac, Tybi, Mechir, Phamenoth, Pharmuthi, Pachon, Payni*

Hinc apparet quomodo *annus* formaretur apud Hebraeos, scilicet annus communis duodeim mensibus constabat (1 Par. XXVII. 1-15), annus autem intercalaris seu tertius quisque annus tresdecim habebat menses. Initium vero anni diversum erat pro usibus sacris ac pro civilibus. *Annus sacer* incipiebat a mense Nisan, in memoriam exitus Hebraeorum ab Aegypto, et primi Paschatis eo mense celebrati, iuxta illud Ex. XXII. 2. « Mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni ». *Annus* vero *civilis* incipiebat a mense Tisri, seu septimo mense anni sacri post exactam messem et vindemiam et conditas fruges (Ex. XXIII. 16, XXIV. 22).

Ad annorum periodos referendae sunt *hebdomades annorum*, seu periodi annorum septem, et *hebdomades hebdomadum annorum* seu spatium 49 annorum: De his sermo est Lev. XXV. ubi agitur de anno *Sabbatico* (v. 4) ad imitationem septimi diei hebdomadae, et de anno *Iubilaei*, seu quinquagesimo v. 8. seqq. (1). Eodem sensu certissime intelligendae sunt septuaginta hebdomades apud Danielem IX. 24 seqq., pro spatio scilicet annorum 490 ab edicto reaedificationis Ierusalem, usque ad novae legis promulgationem per Christum: quod spatium secundum probabiliorem sententiam incipit ab anno vigesimo Artaxerxis Longimani quum facultas Nehemiae concessa est novae Ierosolymae moenia extruendi.

Epiphi, Mosori. Persarum vero menses sunt *Pharavardim, Adarpabasct, Chardad, Tirmeh, Merdedmeh, Sciaharimeth, Meharmeth, Abnemeh, adameth, Dimeh, Benmeh, Asphandar* qui omnes dierum triginta sunt, et ad implendum numerum dierum ultimo mensi addebantur quinque dies ideo dictas epagomenas.

(1) Lev. XXV. 4: « *Septimo autem anno sabbatum erit terrae, requietionis Domini: agrum non seres, et vineam non putabis.* » et v. 8. seqq.: « *Numerabis quoque tibi septem hebdomadas annorum, id est septies septem, quae simul faciunt annos* XLIX.... *Sanctificabisque annum quinquagesimum, et vocabis remissionem cunctis habitatoribus terrae tuae: ipse est enim Iubilaeus* ».

ARTICULUS II.

De variis chronologiae sacrae aeris atque epochis

Appellatur a chronologis *aera* illustre aliquod exordium, ex quo anni computari solent: *epochae* vero insignes quidam eventus qui varia veluti spatia historiae distinguunt, et memoriae iuvandae factorumque ordini intelligendo apprime inserviunt.

Aeram proprie dictam Hebraei nullam adhibuerunt in annis computandis, nisi in postrema aetate, ubi gesta Machabaeorum secundum aeram Graecorum idest Seleucidarum computantur, licet haec diverso modo in utroque libro Machabaeorum usurpetur. Pro aetatibus antiquioribus Scriptura chronologiam proprie non exprimit, sed tantum materiam quasi praebet praesertim in genealogiis et annis singularum personarum, ex quibus simul compositis summa annorum per varias epochas conficienda est. In quo tamen duae gravissimae occurrunt difficultates, prima ex eo quod in aetate patriarcharum definienda inter se discrepent textus hebraicus, samaritanus et graecus LXX, secunda ex eo quod incertum aliquando sit utrum in genealogiis nomina et aetas quorumdam omissa fuerit, et in quibusdam epochis ipsae genealogiae deficiant, aut annos uniuscuiusque praetermittant, ut praesertim fit pro temporis spatio quod currit a morte Iosephi Patriarchae usque ad Moysem natum. Quapropter biblica chronologia accurata et undequaque certa non habetur nisi pro ultima aetate.(1) De hisce difficultatibus paulo plura inferius dicemus.

Praecipuae epochae historiae biblicae sunt: 1° Creatio Adami, 2° Diluvium, 3° Vocatio Abraham, 4° Exitus ab Aegypto, 5° De-

(1) P. Petavius in *Rationario temporum* Part. II. lib. II. aggressurus disputationem de numero annorum qui a Creatione ad aeram Vulgarem elapsi sunt his verbis exorditur: « Annorum numerus, qui ad hanc aetatem ab Orbe condito fluxerunt *nulla certa ratione, sed verosimili coniectura colligitur*. Hinc illa in mundi annis putandis varietas auctorum, nemo ut fere sit, qui hoc in capite cum alterius opinione conveniat. Huius diversitatis una haec est, praecipuaque causa, quod annorum illorum calculus non aliunde quam ex sacrorum librorum historia deducitur: ea porro minus liquidam et explicatam temporum subductionem continet ».

dicatio templi Salomonici, 6° Finis Captivitatis Babylonicae. 7° Nativitas Christi. Unde tota historia sacra in sex aetates seu periodos usque ad Christum natum dispescitur. Circa tres posteriores aetates maior est chronologorum consensus: magnus autem dissensus circa tres priores, de quo nunc pauca sunt exponenda.

II. Ad discrimen chronologiae priorum aetatum quod attinet recolendum est summam annorum ab Adamo usque ad Moysen colligendam esse ex annis Patriarcharum, qui in Scriptura numerantur, nam dantur primo anni in quibus singuli filios genuerunt, tum etiam anni totius vitae: iamvero in his numerandis maxime differunt varii Scripturae textus. Textus hebraicus cum Vulgata latina numerat a Creatione ad Diluvium annos 1656, ad vocationem Abrahae 2083, ad mortem Iosephi 2369, ad nativitatem Moysi 2433, et ad Exodum 2513 (secundum supputationem Usserii). Textus Samaritanus numerat ab Adamo usque ad diluvium annos 1307 ad vocationem Abrahami 2324. Versio LXX numerat a creatione ad diluvium annos 2242, et usque ad vocationem Abrahami 3389. In reliquis etiam aetatibus quaedam licet levior discrepantia existit, ita ut, omnibus computatis, Christi nativitas incidat in annum plus minus 4000 secundum textum hebraicum, secundum LXX in annum 5493, secundum Samaritanos circa annum 4300. (1).

Ut chronologiae hebraicae ratio, eiusque a Samaritana et Graeca discrimen ex variis annorum Patriarcharum numeris exortam uno ictu oculi percipi possit sequentes tabulas subiicere visum est.

(1) Quamvis certum sit Samaritanam et Graecam chronologiam ab Hebraica discrepare, ipsae tamen satis incertae sunt ob testium et exemplarium discrepantiam. Ita in codice Samaritano citato a Scaligero in notis ad Chronicon Eusebii, et a Seldeno Praef. in Marm. Arundel. legitur Matusalem genuisse Lamech anno aetatis suae 77, sed in editione Parisiensi, et apud Petavium (*De doctrina Temporum* lib. IX. cap. 7) legitur genuisse anno 67, et Hieronymus in libro *Trad. hebraic.* affirmat secundum Samaritanos Matusalem genuisse anno 187. Ita etiam apud LXX. secundum vulgatas editiones legitur Adam genuisse Seth anno aetatis 230: at S. Iohannes Chrysostomus, et Iosephus Flav. in suis exemplaribus legebant 330, hinc ab Adamo ad diluvium non essent anni 2242, sed 2342; rursus autem Clemens Alexand. aliud legens in codicibus conficit summam annorum 2148. Chronologia porro hebraica in variis exemplaribus uniformior est, licet in supputandis annis levior differentia inter chronologos occurrat, quorum alii paulo ante annum 4000, alii ipso anno 4000, alii paucis post annis Christi ortum collocant; Petavius ponit a. 3983. (*Ration. Temp. Part. II. lib. 2 initio*).

TABULA PRIMA

CHRONOLOGIA HEBRAICI TEXTUS.

PATRIARCHARUM NOMINA	Nascitur anno Mundi	Generat sequentem anno aetatis	Moritur anno aetatis	Moritur anno Mundi
1 Adam	1	130 (Gen: V. 3)	930 (Gen: V. 5)	930
2 Seth	130	105 (Gen: V. 6)	912 (ib. 8)	1042
3 Enos	235	90 (Gen: V. 9)	905 (ib. 11)	1140
4 Cainan	325	70 (Gen: V. 12)	910 (ib. 14)	1235
5 Malalel	395	65 (ib. 15)	895 (ib. 17)	1290
6 Iared	460	162 (ib. 18)	962 (ib. 20)	1422
7 Enoch	622	65 (ib. 21)	365 (*raptus* ib. 23)	987
8 Mathusala	687	187 (ib. 25)	969 (ib. 27)	1656 diluvium
9 Lamech	874	182 (ib. 28 seq.)	777 (ib. 31)	1651
10 Noe	1056	500 (ib. 31. XI. 10)	950 (ib. IX. 29)	2006
11 Sem	1558	100 (ib. XI. 10)	600 (ib. XI. 10 seq.)	2158
12 Arphaxad	1658	35 (ib. XI. 12)	438 (ib. 12 et 13)	2096
13 Sale	1693	30 (ib. 14)	433 (ib. 14 seq.)	2126
14 Heber	1723	34 (ib. 16)	464 (ib. 16 seq.)	2187
15 Phaleg	1757	30 (ib. 18)	239 (ib. 18 seq.)	1996
16 Reu	1787	32 (ib. 20)	239 (ib. 20 et 21)	2026
17 Sarug	1819	30 (ib. 22)	230 (ib. 22 23)	2049
18 Nachor	1849	29 (ib. 24)	148 (ib. 24 25)	1997
19 Thare	1878	70 (ib. 26)	205 (ib. 32)	2083
20 Abraham	2008	100 (ib. XXI. 4 seq.)	175 (ib. XXV. 7 seq.)	2183
21 Isaac	2108	60 (ib. XXV. 25 seq.)	180 (ib. XXXV. 28)	2288
22 Iacob	2168	. . . . .	147 (ib. XLIX)	2315
23 Levi	2254	. . . . .	137 (ib.)	2391
24 Amram	incertum	. . . . .	137	. .
25 Moyses	2433	. . . . .	120 (Deut. XXXIV. 7)	2553

Animadversiones in praecedentem tabulam.

1 *Adam.* Cum ponimus Adami creationem anno 1° Mundi praescindimus a quaestione utrum mundus materialis ante Adamum creatus fuerit, de qua alias disseruimus. Hic itaque intelligimus annum 1^{um} generis humani, a cuius initio exorditur biblica chronologia (1).

2. *Mathusala.* Ipso anno mortis Mathusalae secundum eamdem Chronologiam accidit Diluvium universale, nempe anno 1656.

3. *Sem, Arphaxad, Sale.* Sem Arphaxad genuisse *biennio post Diluvium* expresse dicitur Gen. XI. 10, et 1 Paral. I. 17: hinc anno 1658. Inter Arphaxad et Sale in versione Graeca των LXX interseritur nomen *Cainan,* quem etiam Lucas III. 36 in genealogia Christi pertexenda nominat.

4. *Thare, Abraham.* Gen. XI. 26 dicitur Thare cum vixisset 70 annos genuisse Abram, Nachor et Aran. Hinc nonnulli existimarunt Abram natum esse anno 70 Thare, proindeque anno M. 1948 idque acriter defendit Petavius De Doctr. temp. lib. IX. c. 18. Verum probabilius est Abraham natum esse anno 130 Thare, et mundi 208. Siquidem Gen. XI. 32 dicitur Thare mortuum esse in Haram, quo Abram eum secum adduxerat, annos natum 205, porro Abram *septuaginta quinque annorum erat* (Gen. XII. 4) cum, defuncto patre, egressus est ex Haran; si igitur 75 anni subtrahantur ab annis 205 vitae Thare, remanent anni 130 quo tempore Abram natus est. Quod autem dicitur in Gen. XI. 26 Thare genuisse anno 70 non est referendum ad Abram, sed ad unum ex aliis duobus ibi nominatis (non enim potuerunt omnes eodem anno nasci) qui videtur fuisse Aran, quo nato post multos annos alii duo nati sunt. Nominatur autem primo loco Abram non quia primogenitus, sed ratione dignitatis.

1) Hic autem annus iuxta receptam Hebraeorum Chronologiam incidit in annum 710 Periodi Iulianae, qui est ante aeram Christianam 4004, et ante Christi nativitatem circiter 4000.

TABULA SECUNDA

VARIETAS CHRONOLOGIAE HEBRAICAE SAMARITANAE ET GRAECAE (*).

PATRIARCHARUM NOMINA	Genuit anno aetatis			Mortuus anno aetatis			Mortuus anno mundi		
	Juxta Hebraeos	Juxta Samaritanos	Juxta LXX interpretes	Juxta Hebraeos	Juxta Samaritanus	Juxta LXX Interpretes	Juxta Hebraeos	Juxta Samaritanos	Juxta LXX interpretes
1 Adam	130	130	230	930	930	930	930	930	930
2 Seth	105	105	205	912	912	912	1042	1042	1142
3 Enos	90	90	190	905	905	905	1140	1140	1240
4 Cainan	70	70	170	910	910	910	1235	1235	1335
5 Malaleel	65	65	165	895	895	895	1290	1290	1390
6 Iared	162	62	162	962	847	962	1422	1307	1522
7 Henoch	65	65	165	365	365	365	987	887	987
8 Mathusala	187	67	167	969	720	969	1656	1467	2242
9 Lamech	182	53	188	777	623	753	1651	1407	2007
10 Noë	500	500	500	950	950	950	2006	1877	
11 Sem	100	100	100	600	600	600	2158		
12 Arphaxad	35	135	135	438	438	535	2096		
Cainan	—	—	130	—	—	460	—		
13 Sale	30	130	130	438	433	460	2126		
14 Heber	34	134	134	464	404	404	2187		
15 Phaleg	30	130	130	239	239	339	1996		
16 Reu	32	132	132	239	239	339	2026		
17 Sarug	30	130	130	230	230	330	2049		
18 Nachor	29	79	79	148	148	204	1997		
19 Thare	70(130)	70	70	205	145	205	2083		
20 Abram (vocatio)	75	75	75	175	175	175	2183		

(*) Praecipuum discrimen versatur circa annum, quo singuli patriarchae sequentem genuisse dicuntur, qui quidem apud textum Samaritanum nunc minor, nunc maior est, apud LXX plerumque maior hebraico.

Haec quidem de primis tribus mundi aetatibus, in quibus tantum genealogias Scriptura suppeditat, nullam autem certam aeram pro annorum supputatione. Pro aetatibus sequentibus aliquando numerantur anni ab Exodo, ut ex.gr. 3 Reg. VI. 1 ubi dicitur aedificationem templi a Salomone incoeptam fuisse *quadrigentesimo et octogesimo anno egressionis filiorum Israel de terra Aegypti* (V. etiam 2 Paral. III. 27.) Pro epocha Regum iterum genealogiae et anni singulorum Regum traduntur, ex quibus conficitur summa annorum 477 ab initio aedificationis templi usque ad finem captivitatis Babilonicae (ante aeram Christianam 536). In ultima epocha saepe computantur anni secundum Reges Persarum, ut in Libris Esdrae, vel secundum *aeram Seleucidarum* quae in libris Machabaeorum vocatur *regnum Graecorum*. Haec autem aera incipit a regno Seleuci qui post mortem Alexandri Magni Babyloniam, Mediam, Susianam ac finitimas regiones in suam redegit potestatem anno mundi 3692, ante aeram vulgarem 312 : et haec est epocha quam sequuntur auctores Librorum Machabaeorum cum hoc discrimine quod auctor libri 1 eam computat a mense *Nisan* et tempore verno (annus sacer) auctor vero lib. 2 a mense *Tisri* et tempore autumni (annus civilis) unde apparens illa contradictio circa initium regni Demetrii quod 1° Mach. VII. 1 ponitur a. 151 et in 2 Mach. XIV. 4 anno 150. De *aera Romanorum*, seu *ab Urbe Condita*, et de aera communi Graecorum, seu *Olympiadum*, nullum in Scripturis vestigium occurrit (1).

(1) Notum est *aeram Romanam* quae notari solet literis U. C. (*Urbis conditae*) incipere anno ante aeram vulgarem 753 (Mundi 3251, Periodi Iulianae 3961) aeram autem *Olympiadum* incipere ab instauratione ludorum Olympicorum per Iphitum anno ante aeram vulgarem 776, ante Romae aedificationem 23 (Mundi 3228, Periodi Iulianae 3938); quaelibet Olympias quatuor annos complectebatur, quare in annis computandis tum numerus Olympiadis, tum eius annus in Graecorum libris exprimi solet; ita aera vulgaris incipit cum anno 1° Olympiadis 195°. Aliae aerae celebres in profana historia sunt: *Aera Nabonassaris* in historia Chaldaeorum, quae aera secundum probabiliorem sententiam statuenda est anno 747 ante aeram vulgarem. *Aera Monarchiae Persarum*, quae incipit a fundatione imperii Persarum per Cyrum anno 536 ante aeram Vulgarem. Aera Monarchiae seu imperii *Graecorum*, quae vulgo statuitur anno 330 ante aer. vulg. quo anno Alexander M. devicto Dario, toto Oriente potitus est. Habent etiam Mohammedani aeram suam, quam *Hegiram* vocant, et incipit a fuga Mohammedis ex urbe Mecca

In Libris N. T. anni nunquam computantur a Christi Nativitate, sed exiguntur vel ad annos Imperatorum Romanorum (Luc. III. 1) vel ad epocham regum, tetrarcharum, aut praesidum Romanorum, qui tunc potestatem in Iudaeos exercebant.

Aera Vulgaris non coincidit exacte in annum *Natalis Christi*, ut olim credebatur, sed solido quadriennio post Christi ortum. Christus enim, secundum probabiliorem sententiam, natus est anno U. C. 749, 4° Olympiadis 193ae, 40° Caesaris Augusti (1). At aera vulgaris incipit a Kalendis Ianuarii U. C. 754, 1° Olympiadis 195ae, 45° Caes. Augusti: quod quidem a Dionysio exiguo (Saeculo VI.) repeti solet, qui omissa aera Diocletiani seu aera Martyrum, quae diu in usu fuerat, coepit annos computare ab Incarnatione Domini, quam per errorem posuit anno U. C. 754. quare haec aera etiam Dionysiana vocata est: quamvis nonnulli animadvertant eius auctorem Ven. Beda haberi posse (Noris. *Dissert. 3 de Cyclo Pasch.* cap. 2). Christus igitur natus est desinente anno V ante aeram vulgarem, praedicare coepit anno aerae vulgaris XXVI, passus et mortuus est anno XXIX, qui fuit a. 1us Olympiadis 202, Consulibus *duobus Geminis* (scilicet *Rabellio Gemino*, et *C. Fusio Gemino*) secundum antiquiora et graviora monumenta (2).

Anno LXVII aerae vulgaris mors principum Apostolorum Petri et Pauli locum habuit. Anno LXX Hierosolyma a Romanis eversa

in urbem Medinam die 16 Iulii a. 622 aerae Vulgaris, qui fuit annus XIII Heraclii Imperatoris. Sed haec innuisse sufficiat.

(1) Haec est sententia clarissimorum chronologorum Norisii, Capelli, Usserii, Nat. Alexandri, Gravesonii aliorumque.

(2) Huic epochae obstare videtur quod dicitur Luc. III. 1 Christum baptizatum fuisse *anno XV imperii Tiberii Caesaris*. Cum enim Tiberius imperium adeptus sit post mortem Augusti, qui decessit anno U.C. 767, idest, aerae Vulgaris XIV, eius annus decimus quintus incideret in annum aerae Vulgaris XXIX, cui si addantur tres anni et aliquot menses vitae publicae Christi sequeretur Christum mortuum esse anno aerae vulgaris XXXIII.aetatis suae XXXVII (ut revera contendunt Usserius aliique): quod tamen veterum traditioni contradicit, nec convenit cum Luc.III.23.Ad hanc difficultatem solvendam distinguendum duplex initium imperii Tiberii Caesaris, alterum nempe imperii proprie dicti cum Augustus declaratus est, alterum imperii Proconsularis, quod incepit anno U. C. 765, aerae Vulg. XII. Lucas autem ab hoc initio computasse censendus est.

est, incensum templum, et gens Iudaeorum cessavit existere secundum Danielis prophetiam (Dan. IX. 26).

Haec pauca sufficiant de aeris, et epochis historiae biblicae. Opportunum autem duximus hic subiicere prospectum eiusdem historiae secundum communiter receptam chronologiam Usserii.

ARTICULUS III.

PROSPECTUS CRONOLOGICUS PRAECIPUORUM EVENTUUM BIBLICORUM (1)

ANNI A CREATIONE ADAMI	ANNI ANTE AERAM VULG.	EVENTUS PRAECIPUI HISTORIAE BIBLICAE
1	4004	Adam a Deo creatur, Heva formatur, et Adamo in coniugem datur.
		Praevaricatio Adami et Hevae: expulsio ex Eden.
		Abel a fratre occiditur. Maledictio Caini.
		Cain urbem aedificat Henoch dictam.
		Adam generat Seth. Filii Dei, et filii hominum. Filii Dei a Seth orti miscentur cum filiabus hominum. Corruptio universalis humani generis.
1556	2448	Noe iustus generare incipit anno 500. Sem, Cham et Iapheth. Praedictio diluvii.
1656	2348	Diluvium universale incipit die 17 mensis secundi, et perdurat usque ad mensem secundum anni sequentis.
1657	2347	Noe egreditur ab arca, et sacrificium offert. Deus promittit nunquam amplius diluvium se immissurum, pactique signum iridem constituit. Noe et filiis eius benedicit. Noe benedicit Sem, et Iapheth, ac maledicit Cham eiusque filio Canaan.
		Humanum genus iterum multiplicatur ex tribus Noe filiis.
circa 1770		Aedificatio turris Babelicae in campo Sennaar. Confusio linguarum.

(1) Sequemur hic vulgo receptam chronologiam textus hebraici secundum systema Usserii. Si cui id non placeat, dicat, quaeso quodnam chronologiae systema nos sequi mallet: vix enim duo sunt chronologiae innovatores qui in annis numerandis conveniant. Satius erit igitur a vulgata chronologia non recedere, praesertim cum praecipuae difficultates, et graviora discrimina cum aliis chronologiis superius indicata fuerint.

		Gentium dispersio. Fundatio regni Chaldaeorum; item regni Assyriorum.
		Circa idem tempus initia regni Aegyptiorum, et Sinensium collocari possunt.
2083	1921	Vocatio abrahami. Benedictio, et promissio terrae Chanaan, et innumerabilis sobolis.
2133	1871	Sacrificium Abrahami, et promissionum renovatio.
2245	1759	Isaac Iacobo benedicit loco Esau.
2276	1728	Ioseph a fratribus venundatur, et in Aegyptum asportatur, ubi a Pharaone praecipua potestate insignitur.
circa 2298	1706	Iacob senex cum filiis et reliqua familia migrat in Aegyptum.
2315	1689	Mors Iacob in Aegypto.
2369	1635	Mors Iosephi Patriarchae in Aegypto.
		Dura oppressio Hebraeorum sub alio Pharaone.
2433	1571	Moyses nascitur, et ex aquis ereptus in aula Pharaonis educatur.
		Deus Moysi apparet in Horeb, eumque ad Pharaonem mittit. Decem plagae Aegypti.
2513	1491	Exodus Hebraeorum ab Aegypto. Transitus maris rubri. Demersio exercitus Pharaonis.
		Lex Moysi traditur in monte Sinai. Peregrinatio per desertum.
2553	1451	Moyses moritur in vertice montis Phasga.
		Iosue Moysi succedit, et Iordane prodigiose transiecto populum in terram promissam introducit.
2554	1450	Bella cum Chananaeis.
2559	1445	Distributio terrae Chanaan inter duodecim tribus.
2561	1443	Moritur Iosue. Incipit epocha Iudicum.
2562	1442	Bellum civile contra Beniamitas. Frequentes servitutes populi sub regibus finitimis, et liberatio per iudices.
		Othoniel, Aod, Sangaar, Debora et Barach.
2759	1245	Gedeonis electio. Eius triumphus de Madianitis.
		Abimelech, Thola, Iair et Iephte, Abesau, Ahialon, Abdon.
2850	1154	Samson eiusque gesta contra Philistaeos.
2860	1144	Eli summus pontifex et iudex. Samuel propheta.
2909	1095	Saul in regem inungitur a Samuele.
2941	1063	David adolescens in regem eligitur. Eius victoria de gigante Goliath. A Saule ad necem quaeritur.
2949	1055	Moritur Saul in bello. David regno potitur.
		Peccatum et poenitentia Davidis. Promissio de Messia ex eius stirpe nascituro.

2990	1044	Salomon Davidi patri succedit in regno.
3000	1004	Aedificatio templi inchoata anno IV regni Salomonis, absolvitur anno XI.
3001	1003	Templi Salomonici dedicatio.
3029	975	Roboam Salomonis filius inconsulto animos civium a se avertit. Schisma decem tribuum.

		Reges Iuda	Reges Israel
3030	974	1 *Roboam* regnat an. 17.	1 *Ieroboam* regnat annos 22
3046	958	2 *Abias* regnat annos 3.	
3049	955	3 *Aza* regnat annos 41.	
3050	954	. . . . .	2 *Nadab* incipit regnare ante mortem patris, Ieroboam a Deo percussi
3052	952	. . . . .	3 *Baasa* succedit in regnum occiso Ieroboamo, et Nadab cum familia
3063		Hoc anno Aza reformat mores et cultum ex consilio Azariae prophetae.	
3074	930	. . . . .	4 *Ela* regnat annos duos
4076	928	. . . . .	5 *Zamri* septem dies
»	»	. . . . .	6 *Amri* regnat annos 12
3087	917	. . . . .	7 *Achab* regnat ann. 22 Idololatriam fovet, impiam *Iezabelem* uxorem ducit
3090	914	Aza moritur. 4 *Iosaphat* pius rex regnat annos 25. Tempore Iosaphat, Achab, Ochoziae, et Ioram floruerunt *Elias* et *Elisaeus* prophetae in regno Israel.	
3106	898	. . . . .	8 *Ochozias* cum patre regnare incipit: regnat annos 2
3108	896	. . . . .	9 *Ioram* regnat ann. 12
3112	892	5 *Ioram* cum patre regnare incipit et regnat annos 7	
3119	885	6 *Ochozias* regnat annum 1	

3120	884	7 *Athalia* invadit regnum: familiam Iorami destruit. Regnat annos 6	10 *Iehu* a propheta inunctus rex, destruit familiam Achabi, et regnat annos 28
3126	878	8 *Ioas* puer e strage ereptus, rex constituitur, et Athalia occiditur. Regnat ann. 40	
3148	856	*Zacharias* sacerdos et propheta occiditur	11 *Ioachaz* regnat annos 17
3165	839	. . . . .	12 *Ioas* regnat ann. 16
3166	838	9 *Amasias* regnat annos 29	13 *Ieroboam* II regnat annos 41
3195	809	10 *Ozias*, sive *Azarias*, regnat annos 51. In diebus Oziae et sequentium regum Iuda, ac Ieroboami II regis Israel *Oseas* diutissime prophetavit. Item *Ioel*, *Amos*, *Abdias*	..... Interregnum et anarchia annos 11.
3232	772	. . . . .	14 *Zacharias* regnat 6 menses
»	»	. . . . .	15 *Sellum*, Zacharia interfecto, regnat mensem 1
3233	771	. . . . .	16 *Manahem* regnat annos 10, adiuvante Phul rege Assyriorum
3245	759	. . . . .	17 *Phacee* regnare incipit anno 50 *Oziae*, et regnat annos 20
3246		11 Ioatham patri succedit anno secundo Phacee: regnat annos 16. Sub Ioatham, et duobus eius successoribus prophetavit *Michaeas*	
3251	753	*Fundatio urbis Romae* 12 *Achaz* Ioathamo succedit anno 17 Phacee, et regnat annos 16. Epocha *Isaiae* prophetae	
3265	739	. . . . .	19. *Osea* regnum invadit anno 4 Achaz, sed eo potitur sub finem anni 12.

3277	727	13 *Ezechias* ab anno 3° Oseae regnare incipit, et regnat an. 27	
3282	722	. . . . .	Finis regni Israel. Anno 9° Oseae, et 5° Ezechiae rex Assyriorum capta Samaria decem tribus captivas abducit. Prophetia *Nahum*.
3291	713	Destructio exercitus Sennacheribbi per angelum anno 14 Ezechiae	
3306	698	14 *Manasses* puer Ezechiae succedit: regnat annos 55	
3361	643	15 *Ammon* Manassi succedit: regnat annos 2	
3363	641	16 *Iosias* patri succedit: regnat annos 31	
3375	629	*Ieremias* ad munus propheticum vocatur anno 13° Iosiae. Item *Sophonias* et *Baruch*. Eversio Ninive per Nabopalassar et Astyagem.	
3394	610	17. *Ioachas* succedit Iosiae a Nechao rege Aegypti occiso. 18 Post tres menses *Eliacim*, seu *Ioachim*, ab eodem Nechao rex constituitur.	
3397	607	*Primum initium* imperii *Nabucho-donosor* filii Nabopalassaris (Ier. XV. 1) una cum patre.	
3398	606	Initium captivitatis Babylonicae 70 annorum. Anno 4 Ioachim Nabucho-donosor Iudaeam invadit, et regem catenis vincit: turbam Iudaeorum in Babyloniam abducit. Daniel et tres socii Babylonem asportantur.	
3399	605	*Secundum initium* imperii *Nabuchodonosor* post mortem patris (Dan. II. 1).	
3401	603	*Ioachim* Chaldaeorum iugum excutere tentat: capitur et occiditur. 19. *Ioachin*, sive *Iechonias*, patri Ioachimo succedit, et regnat menses tres, et dies 10. Nabucho-donosor aliam turbam Iudaeorum transfert: item Iechoniam cum matre et proceribus Iudaeorum. 20. *Mathanias* patruus Iechoniae in eius locum substituitur, mutato nomine in *Sedeciam*. Regnat annos 11.	

3409	595	Incipit prophetare *Ezechiel* in Chaldaea.
3416	588	Exercitus Nabucho-donosor tertio Iudaeam invadit: evertitur Ierosolyma: succenditur templum Salomonis post annos ab aedificatione 424: Sedecias cum reliquo populo Babylonem transfertur.
		Daniel regis gratiam init: provinciae praefectus constituitur, item tres socii Ananias, Azarias et Misael.
		Finis imperii Chaldaeorum opera Darii Medi, et Cyri regis Persarum.
3468	536	Finis captivitatis Babylonicae anno 1° Cyri. Iudaeorum turba duce Zorobabele in patriam redeunt, altare aedificant, sacrificiorum ritus resumunt.
3469	535	Templi fundamenta iaciunt, sed opus suspendere coguntur.
3485	519	Anno 2° Darii Hystaspis resumitur aedificatio templi. *Aggaeus* et *Zacharias* prophetant, et opus aedificationis urgent.
3537	467	Anno 7° Artaxerxis Longimani *Esdras* sacerdos in Iudaeam venit, cultum religionis ordinat, et rempublicam administrat.
3550	454	*Nehemias* in Iudaeam venit, facultate ab Artaxerxe accepta moenia urbis extruendi. Hoc anno, qui est Artaxersis XX, incipiunt LXX *hebdomades Danielis* (Dan. IX).
		Moenia urbis complentur diebus 52, et dedicantur (2 Esdr. VI et XII).
3579	425	*Xerxes* succedit Artaxerxi. Hic forte est Assuerus, sub quo historia Esther accidit.
3674	330	*Alexander Magnus* devicto Dario Codomanno finem imponit imperio Persarum.
		Initium monarchiae Graecorum.
		Samaritani per Sanaballat venia ab Alexandro impetrata celebre templum aedificant in monte Garizim.
3680	324	*Moritur Alexander.*
3692	312	Dividitur imperium inter duces Macedones. Ptolemaeus Aegypto, Seleucus Babylonia, deinceps Syria potitur.
		Incipit *aera Seleucidarum.*
3829	175	*Antiochus Epiphanes* fideles Iudaeos dire persequitur.
3837	167	*Mathathias* sacerdos cum filiis vexillum erigit contra persequutorem.
		Praelia Machabaeorum contra exercitus, et duces regum Syriae.
3840	164	*Iudas Machabaeus*, devictis hostibus, templum a gentibus violatum post triennium purgat, et solemniter *dedicat.* Statuitur festum *Encaeniorum.*

3843	161	Foedus cum Romanis init.
3860	144	*Ionathas* Iudae succedit. Foedus cum Romanis, et Spartiatis renovat.
3861	143	Occiso Ionathae succedit *Simon* frater.
3869	135	*Iohannes Hircanus* Simoni succedit.
3864	130	Caeso Antiocho Sidete, regiam potestatem ac titulum assumit.
3896	108	Samariam capit, solo aequat, templum Garizim evertit.
3898	106	Hircanus moritur post regni annos 29.
		Succedit Hircano *Alexander Iannaeus*
3938	66	*Hircanus II* Alexandro succedit: discordia cum Aristobulo fratre.
3941	63	Romani interveniunt. *Pompeius*, expugnata Hierosolyma, principatum et pontificatum Hircano confirmat, sed Romanae reipublicae tributarium facit.
		Discordiae inter Pompeium, Iulium Caesarem et Crassum.
3946	58	Caesar, devicto Pompeio, solus imperat.
3960	44	*Caesar* Romae necatur in curia. *Octavianus* nepos, una cum M. Antonio et Lepido rempublicam administrant.
3966	38	*Herodes Idumaeus* gratiam init M. Antonii, et ab eo Romae titulum regis Iudaeorum accipit. Hierosolymam expugnat, proprium filium ex Mariamne susceptum necari iubet, Hircanum morte damnat.
3999 seu 4000	4 vel 5	Nascitur Christus ex Maria Virgine anno 5° ante aeram vulgarem desinente.
		Strages Innocentium. Fuga in Aegyptum
4003		*Mors Herodis.* Succedit Archelaus filius titulo Ethnarchae, duo alii filii Herodes Antipas et Philippus tetrarchias accipiunt.
		Reditus sacrae familiae ex Aegypto.
4004	Aer. Vulg. 1.	Aerae vulgaris initium.
4010		Archelao in exilium pulso, Romani procuratores Iudaeam administrare incipiunt. Pontius Pilatus.
4018	14	*Moritur Augustus.* Succedit *Tiberius* Caesar.
4030	26	Christi Baptismus in Iordane. Initium vitae publicae.
4033	29	*Mors Christi* in Cruce. Resurrectio. Ascensio.
4039	35	Conversio S. Pauli.
4046	42	Adventus Petri Romam. Cathedrae Romanae fundatio.
4065	61	Pauli primus adventus Romam: biennio in custodia manet.
4070	66	Secundus adventus Pauli Romam in vinculis.
4071	67	Martyrium Petri et Pauli Romae iussu Neronis.
4044	70	Ierosolymae eversio per Titum; templi destructio; gentis hebraicae exterminium.

SETCIO II·

DE SCRIPTURAE ANTIQUITATIBUS SACRIS

In hac sectione claram et obviam sequemur divisionem agentes 1° De *locis* sacris, 2° De *temporibus* sacris, 3° De *personis* sacris, 4° De *rebus* sacris. De singulis breviter.

CAPUT I.

De Locis sacris.

Sub lege naturae nullus videtur fuisse locus publico Dei cultui destinatus. Nihilo tamen minus Patriarchae altaria hic illic erigebant ubi sacrificia Deo offerrent: ita Iacob post celebrem visionem lapidem in quo dormierat oleo inungens consecravit et *Bethel* vocavit (seu *Domum Dei*); ante illum Abel, Noe, Abraham, Isaac similes aras Deo sacraverant.

Cum lege scripta coepit etiam cultus publice in loco designato, et ad hunc finem aedificato exerceri. Ex his aedificiis duo variis temporibus extiterunt, nempe *Tabernaculum Foederis* a Moyse usque ad Salomonem, et *Templum* a Salomone usque ad Christum. De quibus seorsim dicendum; et in fine aliquid addemus de *synagogis* in variis locis apud Iudaeos erectis ad communem orationem, et Scripturarum lectionem.

ARTICULUS I.

De Tabernaculo foederis (1)

Postquam populus Hebraeorum ex Aegypto egressus est in desertum Sinai Deus praecepit Moysi *Tabernaculum* exstruere (מִשְׁכָּן, אֹהֶל) quasi templum portatile, in quo sacrificia offerrentur ceteri-

(1) Descriptio Tabernaculi satis prolixa et minuta occurrit Ex. XXV-XXX, ubi Deus Moysi praecipit illius constructionem, cuius etiam formam seu exemplar ad faciliorem et clariorem intelligentiam in monte ei ostendit

que ritus religiosi peragerentur, cuius formam seu exemplar ipse Deus Moysi praebuit. In hoc Tabernaculo divinus cultus celebratus est non solum toto tempore peregrinationis per desertum, sed etiam post occupationem terrae Canaan usque ad annum XI Salomonis, cum templum ab eo exstructum dedicatum est 487 annis post exodum.

I. Erat autem Tabernaculum formae quadrangularis, longitudinem habens cubitorum 30 ab Occidente in Orientem, latitudinis vero 10 ab Aquilone ad Austrum, totumque ex ligno, pellibus, et velis constabat. Ex ligno quidem *setim* (seu acaciae, ut videtur) tabulae sectae erant, quae aeneis basibus innixae veluti parietes tabernaculi efformabant. Ex tabulis extabant circuli, seu annuli aurei, per quos immissi vectes per totum latus Tabernaculi tabulis suo loco continendis, nec non asportandis inserviebant. Tegebatur autem Tabernaculum quatuor diversis operimentis, quorum primum seu intimum erat ex *bysso retorta,* coloribus hyacinthino, purpureo et coccineo variegata (Ex. XXVI. 1), alterum priori superpositum ex pilis caprarum contextum, quod *sagum cilicinum* Vulgata appellat (ibidem 7), tertium ex *pellibus arietum* rubro colore illitis, quartum denique extimum, et ceteris superpositum ex *pellibus ianthinis*, seu violacei coloris, (ib. 14).

II. *Divisio Tabernaculi.* Ipsum Tabernaculum interius in duas partes dividebatur quarum prima, seu anterior vocabatur *Sanctum* seu sanctuarium, vel Tabernaculum primum (Hebr. IX, 2), in quo collocabantur altare thymiamatis, candelabrum aureum, et inter utrumque mensa panum propositionis. Altera pars intimior dicebatur *Sanctum Sanctorum,* seu locus sanctissimus, ubi Arca foederis servabatur. *Sanctum* viginti cubitos longitudinis habebat, et decem latitudinis, *Sanctum Sanctorum* autem decem cubitos longitudinis

(Ex. XXV. 40), iterum vero Ex. XXXVI–XXXVIII, ubi operis exequutio particulatim refertur. Omnes fere Tabernaculi partes affabre elaboratae fuerunt a Beseleleel, et Ooliab artificibus sapientissimis ab ipso Domino electis (Ex. XXXV. 30–35). Brevem Tabernaculi descriptionem praebet etiam Paulus Apostolus Hebr. IX, ubi de mysticis eius significationibus tractat. Denique Iosephus Flavius illud describit in lib. III. Antiquit. c. 6. Quare eius formam, ac partes singulas satis clare percipere possumus. Vide Bern. Lamy: *De Tabernaculo Foederis Libri III.*

totidem latitudinis. Nullae erant Tabernaculi portae, seu fores,sed ingressus ad Orientem patebat per vacuum spatium inter tabulas velamento contectum: velamentum primum aditum praebebat in Sanctum,velamentum secundum in Sanctum Sanctorum.Erant autemhaec velamenta ex bysso purissima confecta, et mira arte elaborata, et pendebant ex trabe aurea quatuor columnis auratis sustentata (Ex. XXVI. 31–33). In primam Tabernaculi partem sacerdotibus tantum ingredi fas erat cum officiis suis fungi debebant, in alteram vero partem nonnisi summus Pontifex ingredi poterat semel in anno in die magna expiationis (Ex. XXX. 10, Lev. XVI. 2, Hebr. IX. 6–8). Extra Tabernaculum proprie dictum per gyrum erat atrium centum cubitis longum et quinquaginta latum velaminibus pro parietibus circumdatum, et inclusum, quae quidem columnis aeneis per circulos et uncinos argenteos affixa erant. Pars anterior primo velamento proxima omnibus israelitis patebat per ostium viginti cubitos latum, reliquae vero partes atrii solis sacerdotibus patebant, et atrium sacerdotum dicebatur.

III. Res in Tabernaculo inclusae erant sequentes, 1° *Arca foederis,* seu *testimonii,* quae in Sancto Sanctorum sola custodiebatur. Erat autem capsa quaedam ex lignis setim aureis laminis intus et foris obducta habens longitudinis cubitos duos cum dimidio, altitudinis cubitum ac semissem (Ex. XV. 10). Supra arcam erat corona aurea per circuitum, et ad duo latera hinc inde quatuor circuli aurei per quos immissi erant duo vectes ex lignis deauratis ad arcam asportandam cum opus esset, qui vectes numquam ex circulis extrahebantur, (Ex. XXV. 15.) eorumque extremitates velum tangebant. Arcae impositum erat operculum ex auro mundissimo, quod dici solet *propitiatorium,* seu oraculum,quia ex eo Deus responsa dare solebat. Ad utramque extremitatem propitiatorii erant duo Cherubim aurei alter contra alterum conversi, qui extensis alis propitiatorium tegebant, et quemdam quasi thronum divinae maiestati efficiebant, unde phrasis illa Scripturarum, qua Deus dicitur *sedere super Cherubim.* Intus vero in arca erant duae tabulae Legis Moysi traditae in monte Sinai, et olim etiam vas continens manna, et virga Aaron quae fronduerat (Hebr.IX. 4. coll. Ex. XVI.34,Num.XVII.25),verum haec duo postea sublata fuerunt: nam 3 Reg. VIII. 9. cum arca in templum Salomonis solemniter

inferretur expresse dicitur: « In arca autem *non erat aliud* nisi duae tabulae lapideae, quas posuerat in ea Moyses in Horeb ».

2° *Altare thymiamatis,* seu *incensi.* Erat ara quaedam quadrangularis unius cubiti longitudinis, unius latitudinis, et duorum altitudinis, ex lignis setim aureis laminis purissimis contectis, unde *altare aureum* dicebatur: summitas altaris corona aureola cingebatur, et quatuor anguli ad instar cornuum prominebant. Sub corona duo annuli aurei per singula latera affixi erant, per quos vectes immittebantur ad altare portandum (Ex. XXX. 1–5). Hoc altare collocatum erat in Sancto ante velum secundum (ib. 6). Super hoc altari sacerdos quotidie thymiama comburebat, et suffitum excitabat mane et vespere, et in die expiationis super cornua huius altaris asperso victimae sanguine pro peccatis populi deprecabatur.

3° *Candelabrum aureum,* in quo lampades diu noctuque ardebant pariter in sancto positum erat. Totum candelabrum ex auro purissimo extructum erat pondere unius talenti. Eius forma describitur Ex. XXV. 31 seqq.,unde apparet partes eius fuisse: stipitem basi innixum, et recta linea assurgentem, sex calamos seu ramos recurvos ad altitudinem stipitis ascendentes, quorum singuli tres scyphos in formam nucis sustentabant, insuper sphaerulis ac liliis aureis ornati erant. Alii etiam scyphi quatuor ipsi stipiti affixi erant cum suis sphaerulis, ac liliis. Septem candelabri extremitates septem lampades gerebant, quas sacerdos mane et vespere forcipibus, seu emunctoriis aureis mundabat, sordesque in vase item aureo deponebat.

4° *Altare holocausti,* seu, *altare aeneum.* Hoc altare ex lignis setim aeneis laminis obductis confectum erat, unde aeneum dicebatur. Formae erat quadratae trium cubitorum per singula latera, desuper vero arena replebatur, super qua focus ignem gerebat. Quatuor anguli sursum eminebant ad instar cornuum. Ad altare ascendebatur non per gradus, sed per clivum ex terra aggestum (Ex. XX. 23, XXVII. 1–8). Erat autem positum in atrio sacerdotum ante ostium tabernaculi sub dio, et in eo sacrificia animalium a sacerdotibus offerebantur. Annulis ad latera infixis vectes aeneis laminis induti inserebantur ad altare portandum. Altari adnexa erant plura vasa aenea, scilicet lebetes ad cineres colligendos, forcipes, fuscinulae, ignium receptacula, et craticula aenea

altari imposita. Praedictum altare non solidum erat sed cavum intrinsecus ita ut ignis ex foco in terram excidere posset.

5° *Labrum aeneum* inter altare, et ostium tabernaculi situm erat ad ablutionem sacerdotum, qui manus, pedesque aqua exinde demissa lavare debebant antequam sacris ministeriis fungerentur. Erat autem ingens vas aeneum basi aeneae innixum quod fusum erat ex speculis aeneis quae matronae obtulerant ad usum Tabernaculi (Ex. XXX. 18.)

6° *Mensa panum propositionis* posita erat in Sancto ad latus septentrionale contra condelabrum. Confecta erat ex lignis setim aureis laminis vestitis: duos cubitos longa erat, unum lata, unum et dimidium alta, duplici limbo seu corona aurea praecincta. Quatuor pedibus innitebatur, quibus affixi erant annuli, iisque vectes aurati immittebantur quibus mensa deferebatur (Ex. XXV. 23–28, XXXVII. 10–16). (1) Huic mensae duodecim panes azymi singulis sabbatis imponebantur calidi, et unus super alterum in duplici ordine disponebantur, qui per totam hebdomadam ibi remanebant coram Domino, ideo לֶחֶם פָּנִים (*panis faciei*) seu *panes propositionis* dicti. Singulis sabbatis sacerdotes panes removebant, qui in eorum tantum cibum adhiberi poterant, et alios calidos sufficiebant pro sequenti hebdomada (Ex. XV. 30, XXXVIII. 10 seqq. (2).

ARTICULUS II.

De Templo eique adnexis

Postquam annis 480 cultus divinus in Tabernaculo celebratus fuisset et Deus secundum phrasim biblicam *in tentorio habitasset* in medio populi sui, David iussus est domum seu templum stabile Deo aedificare, ad quem finem etiam pecuniam et materiam collegit, sed ab operis aedificatione prohibitus est ob nimium sanguinem quem effude-

(1) Isti annuli, tum mensae, tum altaris utriusque, aliorumque vasorum, tabernaculi in templo omissi fuerunt, utpote quae non amplius huc illuc asportanda essent.

(2) Impensae necessariae ad usum Tabernaculi, ut pro victimis, aromatibus, vino et oleo, solvebantur per tributum quod singuli Israelitae inde a 20 anno solvere debebant pro Tabernaculo, dimidium scilicet sicli.

rat (2 Reg. VII. 5-13), eaque Salomoni filio eius regi pacifico reservata est, qui anno XI sui regni opus complevit ac dedicavit. Exinde totus apparatus divini cultus huic templo adnexus fuit, ibique Deus speciali ratione praesentiam suam ac potentiam ostendit usque ad excidium Ierosolymae per Chaldaeos, cum templum vastatum et solo aequatum est. Post reditum a captivitate iterum templum excitatum est sub Zorobabele et Esdra, quod *templum secundum* vocari solet. Demum Herodes magnus templum illud tantopere ornavit, et auxit ut quasi novum efficeret, ideoque a nonnullis tertium templum vocatur. In descriptione itaque templi Ierosolymitani tres istas epochas sive tria templa distinguere oportet.

I. *Templum Salomonis* seu *Templum primum* :

In vertice montis Moria extructum fuit secundum voluntatem David ; narratur enim 2 Reg. XXiV. coll. 1 Par. XXI. angelum Domini evaginato gladio super verticem Moria super aream Ornan, seu Areuna Iebusaei a David conspectum fuisse, cum populus pestilentia affligeretur, eique iussisse ut in eodem loco victimas Deo immolarent: quo audito David aream ab Ornan emit aureis siclis 600, ibique holocausta et pacifica offerre coepit, ac deinceps offerre continuavit eumdemque locum templo aedificando destinavit (2 Par. III. 1). Salomon itaque templi fundamenta iacturus animadvertit aream illam toti aedificio, et adnexis aedibus capiendis satis non esse, cum hinc inde rupes abruptae descenderent, quare spatium ampliare constituit. Itaque primum verticem complanavit, et collem cinxit ad Orientem muro mirae altitudinis (metr. 216) deinceps etiam reliqua montis latera muro triplici altissimo circumdedit ex immensis saxis plumbo inter se vinctis extructo, vacuum spatium macerie atque humo complens, ita ut demum area efformaretur, seu planities quadrata unius stadii (Ios. Fl. Antiq. Lib. XV. cap. 11 n. 3 seqq.). Cum templum ad imitationem Tabernaculi extructum esset, distinguenda in eo sunt 1° ipsa aedes, 2° vestibulum, 3° atria, 4° demum sacra vasa, aliaque in his comprehensa. (1)

(1) Descriptio Templi Salomonici legitur 3 Reg. VI, VII, et 2 Paral. III, IV : verum nimis brevis et concisa est, ac praeterea vocibus technicis referta, quarum significatio accurate difiniri non potest. Iosephus Fl. describit quidem accurate Templum, sed multa quae dicit manifeste referenda sunt ad Templum secundum, et quidem uti erat ab Herode restauratum, et

1° *Aedes sacra* Templi, seu ipsum Templum stricte sumptum, formam Tabernaculi referebat maioribus dimensionibus. Longitudo erat cubitorum 60 ab Oriente ad Occidentem, latitudo a Septentrione ad Meridiem cubitorum 20, altitudo 30 (3 Reg. VI. 2). Parietes lapidibus quadris antea diligenter laevigatis extructi erant (ib. 7). Laquearia ex nobilissimo ligno cedrino, quibus variae figurae palmarum, Cherubim, aliaque insculpta erant. Integri parietes intrinsecus tabulis cedrinis vestiti erant, ita ut lapides non apparerent, tabulae vero aureis laminis tegebantur « *nihilque erat in templo, quod non auro tegeretur* » (ib.22). Templo adiecta erat ad latus orientale *porticus* duplex, quae *porticus Salomonis* dici solebat; deinceps vero etiam in reliquis lateribus porticus extructae fuerunt. Quemadmodum Tabernaculum, ita Templum in duas partes dividebatur, in quarum prima seu Sancto (cubitorum 40) erat altare thymiamatis, decem candelabra aurea, et decem mensae deauratae, in quibus praeter 12 panes apponebantur 100 scutellae aureae vino plenae, caetera etiam vasa aurea multo plura erant quam olim in Tabernaculo (3 Reg. VII. 48 seqq. 2 Par. IV. 19 seqq). Interior vero pars seu Sanctum Sanctorum 20 cubitos habebat longitudinis, totidemque latitudinis et altitudinis; nam supra Sanctissimum erat cubiculum quod reliquos decem cubitos comprehendebat. Lux in aedem admittebatur per fenestras arctas et obliquas. Ingressus in Sanctum admittebatur per ostium, cuius valvae erant ex lignis olivae variis sculpturis ornatae, auroque obtectae, et cardinibus aureis innixae (3 Reg. VI. 38–35); similiter extructa erat, et ornata porta oraculi, seu Sancti Sanctorum: utramque vero tegebat velamen, seu siparium byssinum pretiosum, et mira arte intextum, sive acu pictum (2 Par. III. 14).

2. *Vestibulum* ante ostium Templi ad instar turris attollebatur ad cubitos 120, latitudo autem eius erat eadem ac templi, seu 20

reformatum, quod certum est valde diversum fuisse etiam in forma et architectura a Templo Salomonico. Quare huius notio clara et accurata efformari non potest, et auctores in eo describendo, aut delineando non parum inter se differunt. Inter recentiores qui de hac re scripserunt laudari possunt B. Lamy op. cit. *De Tabernaculo Foederis*; L. Christ. Sturmius: *Sciographia Templi Ierosolymitani*; Fr. Ribera: *De Templo, et his, quae ad Templum pertinent* Libri V. Ex recentissimis autem laudati Robinson, Stanley, Wilson, Pierotti, de Vogüe: *Les Eglises de la terre Sainte* etc.

cubitorum, profunditas autem cubitorum 10. Ante eius ianuam duae immensae columnae aeneae a Salomone positae fuerunt altitudinis 18 cubitorum, praeter capitella 5 cubitorum, et bases 13 cubitorum, peripheria vero uniuscuiusque columnae erat cubitorum 12: Salomon nomen dedit columnae in dextera parte erectae *Iachin*, sinistrae vero *Booz* (3 Reg. VII. 15–21).

3° *Atrium* circa aedem in area marmore strata duplex initio fuit, nimirum interius, et exterius: primum pro *Sacerdotibus*, alterum pro *Israelitis*: in his atriis plura erant cubicula, et aedificia, ubi utensilia, vasa sacra, annona asservabantur, et etiam sacerdotes ac levitae habitabant cum ministerio fungerentur. Ibi etiam ianitores morabantur (1 Par IX. 22–27) et, ut videtur, etiam mulieres servitio templi addictae. Deinceps vero circa atrium Israelitarum adiectum est tertium atrium pro *Gentilibus*.

4. *Sacra vasa* templi praecipua eadem erant ac in Tabernaculo foederis multo tamen maiora. *Altare holocausti*, seu *aeneum*, a Salomone extructum ex lapidibus non sectis, et aeneis laminis obductis 20 cubitos longitudinis habebat, totidemque latitudinis, decem vero altitudinis. Huic altari adnexa erant quamplurima vasa aenea fusa ab Hiram Tyrio sapientissimo artifice, quae enumerantur 3 Reg. VII, sed quorum forma et usus non satis innotescit. *Mare aeneum* יַמְמוּצָק in locum *labri aenei* suffectum, erat immensum vas ex aere fusum, habens diametrum 10 cubitorum, peripheriam 30, capacitatem autem 3000 metretarum aquae (ectolitra 946); innixum autem erat super duodecim boves aeneos, quorum tres ad Orientem conversi erant, tres ad Occasum, totidemque ad Meridiem et Aquilonem (3 Reg. VII. 23–26, 2 Par. IV. 3–5). *Candelabra* uti diximus, decem erant, omnia aurea, item *altare* aureum, et *mensae* aureae decem (2 Paral. IV. 7, 8). *Arca Foederis* in Sancto Sanctorum collocata fuit, ita ut vectes, qui longiores nunc erant, velum attingerent, (2 Par. V. 9); prope arcam vero duo cherubim ex ligno olearum auro obducti assistebant, quorum una ala usque ad parietem extendebatur, altera vero totam arcam cum vectibus tegebat: alarum longitudo ab una extremitate ad aliam erat 10 cubitorum, altitudo vero uniuscuiusque cherubim cubitorum 10 (3 Reg. VI. 23–28). Ad latera Templi, et ad ipsos parietes, excepto latere Orientali, ex trabibus et asseribus extructa

erant conclavia trium contignationum, ad quae ascendebatur ex parte australi per cochleam (3 Reg. VI. 5, 6, 8).

II. *Templum secundum,* seu *Zorobabelicum.*

Postquam Templum Salomonicum annis 423 stetisset a Chaldaeis eversum est, eiusque sacra vasa in Babyloniam asportata fuerunt. Cum igitur Iudaei a captivitate liberati per Cyrum in patriam reversi essent sub Zorobabele duce statim animum applicuerunt aedificando templo in ipso situ templi prioris (ante aer. vulg. 535), deinceps vero invidia finitimarum gentium, et iussu regis Persarum ab opere cessare coacti sunt per annos 15 (1 Esdr. IV. 23. 24), donec anno II Darii regis, urgentibus praesertim Aggaeo et Zacharia prophetis, opus continuari coepit eodem Dario annuente, et ad exitum perductum est (ante aer. vulg. 515) post 20 circiter annos a fundatione (1 Esdr. V. 1 seq. VI. 14–16.) statimque eius dedicatio solemniter celebrata est. Cuiusmodi fuerit hoc templum ex Scripturis colligi non potest, sed multo inferius fuisse templo Salomonico apparet ex eo quod legitur 1 Esdr. III. 12, Aggaei II. 3-4, seniores, qui prioris templi memoriam servabant, conspectis novi templi fundamentis, lacrymas fudisse, quos ideo Aggaeus consolatus est de minori gloria novae domus praedicens maiorem olim futuram eius gloriam quam templi prioris, ob praesentiam scilicet Christi Redemptoris (Agg. II.4–10). In hoc Templo multi deinceps thesauri collecti fuerunt, non modo ex tributo, quod Iudaei ubique terrarum dispersi illi pendebant, sed etiam ex donis tum Iudaeorum, tum etiam advenarum et paganorum (2 Mach. III. 6, Ios. Fl. Antiq. XIV.12,1.).Ceterum deerat secundo Templo praecipuum ornamentum, arca foederis, ideoque Sanctum Sanctorum vacuum erat, deerat etiam ignis sacer, oleum sacrum, Urim et Thummim (2 Par. VII). Candelabrum unum erat, unaque mensa aurea. Duo atria circa templum fuisse, sacerdotum nempe, et Israelitarum,refertur a Iosepho cum narrat Alexandrum Iannaeum primum ab altero per cancellos ligneos separasse (Antiq. XIII. 13, 5). Machabaei ad latus septentrionale templi arcem erexerunt *Baris* dictam, quam postea Herodes Magnus ampliatam et ornatam *Antoniam* vocavit.

Sub Antiocho Epiphane templum hoc profanatum, ac expilatum fuit. Iudas vero Machabaeus, expulsis gentilibus, illud repurgavit, novum altare aedificavit, et cum magna laetitia iterum dedicavit,

cuius rei memoria quotannis a Iudaeis celebrabatur sub nomine festi *Encoeniorum* (2 Mach. X. 1-8, Io. X. 22).

III. *Templum Herodis.* Postquam Herodes regnum super Iudaeos adeptus est templum in praecedente epocha neglectum et labefactatum instaurare et ampliare decrevit; opus incoeptum est anno 19 regni eius, et uno anno cum dimidio, urgentibus sacerdotibus, ac levitis, aedes ipsa templi absoluta fuit, sed atria et aedes adnexae octo insequentibus annis continuarunt aedificari, et ad multos adhuc annos perduravit opus circa vestibula, porticus, earumque ornamenta ita ut Iudaei vere dicere potuerint (Io. II. 20): « *Quadraginta et sex annis aedificatum est templum hoc;* » quinimo nec tunc finitum erat, et nonnisi paucis annis ante finale excidium per Romanos ad exitum perductum fuerat. Quapropter haberi poterat hoc templum tamquam distinctum a templo Zorobabelis, licet ex alia parte ab illo non distingueretur, quia illud nunquam penitus eversum est ut aliud ei substitueretur, sed gradatim instauratnm et ornatum fuit, interim sacrificiorum oblatione et rituum celebratione nunquam intermissa. Huius templi descriptionem tradit Iosephus Flavius Antiq. XV. 11, et de Bel. Iud. V. 5°.

1° *Sanctuarium,* seu templum stricte sumptum, ex marmore candido extructum erat duodecim gradibus altius vestibulo, quod quidem centum cubitos altum portam gerebat altitudine septuaginta et latitudine viginti quinque cubitorum sine valvis. Interior pars templi in altitudinem 60 cubitorum assurgebat, totidemque longitudinis habebat, 20 autem latitudinis : ex tribus lateribus circumdatum erat aedificio trium contignationum. Porta Sanctuarii 55 cubitos alta, et 16 lata viti aurea ornata erat, et aulaeo acu picto obducta (Ios. De Bel. Iud. V. 5-4). Tectum templi planum erat et auratis cuspidibus horrens (ib. n. 5. 6) Sanctum 40 cubitos longitudinis obtinebat, Sanctum Sanctorum vero 20. Ianua quae in Sanctum Sanctorum admittebat velo acu picto item claudebatur. In Sancto erat Candelabrum aureum unum, mensa aurea panum propositionis, et altare thymiamatis. Sanctum Sanctorum, deficiente arca, vacuum mansisse videtur.

2° *Atria* hoc templum tria habuit, alterum altero sublimius. Primum exterius erat *atrium gentium*, alterum, ad quod gradibus 14 adscendebatur erat *atrium Israelitarum* divisum in atrium

virorum, et *atrium mulierum*, tertium vero quadratum circa altare holocausti, et portam Sanctuarii dicebatur *atrium sacerdotum*.

3° *Porticus* in atrio gentium ad partem australem muri qui collem Moria cingebat tres erant, quadruplici columnarum serie conspicuae, ad reliqua vero latera murorum duplex erat porticus triplici serie columnarum. Ex his orientalis *Porticus Salomonis* dicebatur (Io. X. 23. Act. V. 12, Ios. Fl. de Bel. Iud. V. 5. 1.). In porticibus Atrii gentium sedebant nummularii cum suis mensis, et venditores columbarum quos Christus flagello eiecit (Matth. XXI. 12. 13.): ibi etiam gazophylacia extructa erant ad templi suppellectilem et thesauros servandos, quae a Iosepho commemorantur (Bel. Iud. VI.5, 2). Quae tamen distinguenda sunt a *Gazophylacio* commemorato Mar. XII. 41, quod donis excipiendis destinatum erat, quodque in atrio Israelitarum fuisse obvium est. Item aedes, et conclavia ad habitandum. Ibi secundum constantem traditionem B. Maria Virgo pueritiam, et primam adolescentiam transegit Templi servitio addicta, ibi etiam Christus puer triduo mansit inscia matre, ac S. Ioseph, ibi etiam docuit, et cum sacerdotibus ac Pharisaeis saepe disputavit: et generatim de his atriis ac porticibus cogitandum est quoties in Evangelio aliquid *in Templo* gestum fuisse narratur: ipsum enim Templum stricte sumptum sacerdotibus tantum patebat, ut saepe dictum est. In atrio Sacerdotum ingens *altare holocaustorum* erigebatur in altitudinem 15 cubitorum, ad quod ascendebatur per clivum ex parte australi (Ios. Bel. Iud. V. 5, 6).

4° *Portae* Templi exteriores plures erant, per quas in porticus et atria aditus patebat ; totus enim mons, uti vidimus, altissimis muris undique cinctus erat. Porta maxima ac praecipua erat illa in muro orientali exteriori altitudine aequans sanctuarium, et tota aere corinthio fulgens, quae ideo *porta speciosa* dicebatur, ad quam Petrus claudum sanavit (Act. III. 2 seqq.). Ex parte australi murus portam habebat quae ducebat in civitatem inferiorem (Ios. Antiq. XV. 11. 5). Ex parte occidentali erant quatuor portae, quarum duae per multos gradus ducebant in subiectam vallem Tyropoeon, tertia per pontem ducebat ad montem Sion, quarta in inferiorem urbem aditum praebebat (Ios. De Bel. Iud. V. 5. 3). Ad Aquilonem porta nulla erat, sed arx Antonia templum custo-

diebat, aditumque ad illud praebebat: ibi cohors militum Romanorum excubabat (Act. XXI. 31 seqq. Ios. loc. cit.). In muro etiam interiori tres portae erant, una in muro orientali contra portam speciosam, et duae quae ducebant in atrium mulierum. Omnes praefatae portae auro argentoque erant ornatae, et ad instar turrium ad cubitos 40 attollebantur.

Post Ierosolymae ac templi eversionem omnes istae magnificentissimae structurae dirutae ac solo aequatae fuerunt, secundum Christi prophetiam, qui paulo ante suam passionem mirantibus apostolis splendorem et divitias aedificiorum templi respondit: « Videtis haec omnia? Amen dico vobis non relinquetur hic lapis super lapidem qui non destruatur » (Matth.XXIV. 2). Nihilo tamen minus situs templi substructiones, muri exteriores, et alia quaedam ex adiectis aedificiis recenter detecta fuerunt et descripta a Pierotti, Vogüe, Robinson, Warren, Porter aliisque.

ARTICULUS III.

De Synagogis, earumque usu. (1).

I. Sacrificia nonnisi in Templo offerri poterant, quo omnes Hebraei masculini sexus ter in anno ex tota Palaestina convenire debebant. Cetera tamen religionis ac pietatis exercitia, ut Scripturarum lectio, preces, cantus sacri aliaque huiusmodi Templo affixa non erant, et in aliis quoque locis peragi solebant tum in reliquis Palaestinae urbibus et oppidis, tum in ipsa Ierosolyma extra Templi ambitum. Ita in libris Regum narratur fideles Hebraeos in scholis Prophetarum convenire solitos fuisse singulis sabbatis ac neomeniis ad laudes Dei canendas, et ad Scripturarum lectionem audiendam (1 Reg. X. 5-11, XIX. 18-28, 4 Reg. IV. 23),itemque in captivitate Babylonica pios Iudaeos apud Prophetas, sanctosque viros convenisse innuitur Ezech.XIV.1,XX.1,Dan.VI.11,coll. 2 Esdr.VIII.1-18.Serius aedes ad hunc finem extrui coeperunt aetate, uti videtur, Macha-

(1) De his conferri possunt Seldenius: *De Synedriis Vet. Hebraeorum* Lib. III. Camp. Vitringa: *De Synagoga Vetere*, Adr. Relandus: *Antiquitates sacrae Vet. Hebraeorum:* Io. Buxtorfius *Synagoga Iudaica* item opuscula Sauberti, Polemanni et alia collecta in *Thesauro Ugolini* to. XXI.

baeorum saltem in Palaestina, in aliis enim regionibus diu ante in usu fuerunt. Aedes istae a Iudaeis hellenistis Συναγωγαι Synagogae appellatae sunt, vel Προσευχαι, seu *oratoria,* a Iudaeis vero palaestinensibus et orientalibus dicuntur בָּתֵּי כְנֶסֶת sive *Domus congregationis.* Sub finem reipublicae Hebraeorum ita multiplicatae sunt, ut ubique locorum, tum Ierosolymae, tum alibi occurrerent, (Act.XV.21) ubicumque scilicet sufficiens Hebraeorum numerus adesset, plus minus ut apud nos Ecclesiae parochiales. In his *Synagogis* vel *proseuchis* Christus Dominus saepe Scripturas post lectionem explanavit (1) et Apostoli post Christi ascensionem saepe saepius Iudaeos alloquuti sunt et Evangelium praedicarunt (Act.XIII.14 seq. 27.)

Ierosolymis plures nationales, uti dicitur, synagogas extitisse pro variis gentibus innuitur Act. VI. 9, eiusdemque urbis synagogas omnino 480 fuisse referunt Talmudistae, quemadmodum Alexandriae 1000 extitisse synagogas auctor est Philo Iudaeus. (2)

II. *Structura* synagogarum olim Templi Ierosolymitani formam referebat, aedem scilicet complectebatur, cum atriis et porticibus, uti etiamnunc in Oriente synagogae extrui solent. In medio atrii est locus elevatus quasi Sanctum Sanctorum ubi sacra volumina asservantur, et leguntur: inde sedes, vel subsellia in varios ordines distributa sunt pro varia auditorum conditione et dignitate; unde illa Christi reprehensio adversus scribas et Pharisaeos: « Amant autem primos recubitus in coenis, et *primas cathedras in synagogis.* » Mulieres in loco separato sedent unde viros quidem videre possunt, non autem ab iis videri. E regione suggesti, unde lectio fit, extat armarium seu scrinium, in quo religiose asservantur sacra volumina hebraica, diversi scilicet scripturae Libri in sabbatis legendi membranis inscripti (absque punctis), et bacillis circumvoluti (*rotoli*), pretiosoque panno obducti. Hebraei cum ad ostium synagogae pervenerint paulisper consistunt, ibique preces matutinas recitant, amicti pallio quadrato, quo in Synagoga uti debent, mox vero ingressi synagogam accedunt ad scrinium, unde

(1) Ipse Christus respondens Pontifici de eius doctrina interroganti ait: « Ego semper docui in synagoga et in templo, quo omnes Iudaei conveniunt. » Io. XVIII. 20, quod etiam fecisse narratur Luc. IV. 16 seqq.

(2) Vide de his accurate disputantem Bernardum Lamy: *De Tabernaculo Foederis.* Lib. IV. cap. VII. Sect. 2.

extrahunt duo volumina, alterum Legis, alterum Prophetarum pro lectione, eaque solemniter deferunt per gyrum intra synagogam donec ad suggestum perveniant, ubi volumina super appositam mensam deponunt. Deinde fit lectio elata voce primum *Legis* פַּרָשָׁה deinde *Prophetarum* (הַפְטָרָה). Qua finita Legisperitus partem Scripturae perlectam breviter explicat. Deinde preces publicae funduntur praecinente ministro, et in fine Praeses (Rabbinus) populo benedicit volumine Legis, quod explicatum attollit supra frontem tenens illud inter duos bacillos ligneos, circa quos membrana revolvitur.

III. Unicuique Synagogae addicti sunt 1° *Archisynagogi*, seu directores, quibus praeest unus ceteris superior qui dicitur *Hazan*, et est proprie caput synagogae (Lightfoot, Lamy); 2° *Seniores* זְקֵנִים, qui de gravioribus negotiis consuluntur; 3° Qui dicuntur *legati synagogae*, ad quos pertinet preces publicas recitare, et cum aliis synagogis communicare nomine plebis; 4° denique *famuli synagogae*, qui humilioribus ministeriis funguntur. Archisynagogi ab Hebraeis רַבִּים *Rabbim* (*Magistri*,) vel חֲכָמִים *Hacamim* (*sapientes*) etiam vocantur, eo quod Scripturarum scientia pollere supponantur, eamque plebem docere debeant. Haec quidem in recentioribus Hebraeorum synagogis observantur: at etiam apud veteres Hebraeos eamdem disciplinam viguisse suadet huius gentis tenacitas in paternis traditionibus sequendis. Certe de *archisynagogis*, eorumque officio saepe in libris N. T. fit mentio, ut apud Marcum V. 22 seqq. ubi *quidam de archisynagogis* nomine Iairus filiam suam morientem Domino commendasse dicitur, quam paulo post mortuam Dominus ad vitam revocavit, et in Actis Apostolorum XIII. 14 seqq. Paulus et Barnabas Antiochiae Pisidiae « ingressi Synagogam die Sabbatorum sederunt. Post lectionem autem Legis et Prophetarum miserunt *principes Synagogae* (Αρχισυναγωγοι) ad eos dicentes: Viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem, dicite. »

CAPUT II.

De Temporibus sacris (1).

Ut in Ecclesia Christiana, ita et in Synagoga praeter ordinarium cultum quotidie Deo solvendum, certa quaedam tempora specialibus ritibus sanctificanda per anni circulum recurrebant, eaque sive iure divino, sive auctoritate synagogae, vel pia consuetudine inducta ac sancita. De his singillatim pauca dicenda sunt.

ARTICULUS I.

De praecipuis festis Hebraeorum

Festa Hebraeorum triplicis generis erant: nonnulla enim per singulas hebdomadas recurrebant, ut Sabbata; alia per singulos menses, ut Neomeniae; alia demum semel in anno, ut Pascha, Pentecostes, Scenopegia et reliqua, quorum tamen nonnulla pluribus diebus continuabant, et ea quae in mense Adar celebranda erant cum annus intercalaris occurreret in mense embolismico Ve-Adar erant repetenda.

I. *Sabbata.* Observantia diei septimi tamquam Deo sacri a mundi origine repetenda est, scilicet ex eo quod Deus die septimo a rerum creatione cessasset, eumque sanctificasset, ut expresse dicitur Gen. II. 2. 3. Moyses igitur hoc festum non instituit, sed tantum confirmavit eiusque officia distinctius promulgavit Ex. XX. 8 seqq.,Lev. XXIII. 3, Deut. V. 12 seqq. In primo ex citatis locis ita legitur: « Memento ut diem Sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua, septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est: non facies omne opus in eo, tu, et filius tuus, et filia tua, servus tuus et ancilla tua, iumentum tuum, et advena

(1) Cfr de his Io. Meyer: *De temporibus sacris, et festis diebus Iudaeorum;* Io. Spencer: *De legibus ritualibus Iudaeorum* ; Bern. Lamy: *Apparatus biblicus,* et *de Tabernaculo foederis* : item Aug. Calmet: in *Commentario* in S. Script. in *Dissertationibus.*

qui est intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Dominus coelum, et terram, et mare, et omnia quae in eis sunt, et requievit in die septimo. Idcirco benedixit Dominus diei sabbati, et *sanctificavit eum* ». Causae huius institutionis plures fuerunt. Primo scilicet ut religioni atque divino cultui impensius homines vacare possent, tum etiam ad beneficium creationis recolendum, demum ut opportuna requies laborum daretur familiae, servis ac iumentis.

Observantia Sabbati rigidior erat apud Iudaeos quam sit festorum obligatio apud nos. Non modo enim hac lege tenebantur etiam advenae non Iudaei inter Hebraeos degentes, sed insuper opera quaecumque etiam non servilia inhibita erant, ut ex citatis verbis apparet, nec non ex aliis locis ex. gr. Ex. XII. 16 unde colligitur nec cibos coquere ac praeparare licitum esse, qui idcirco die praecedenti parari solebant, atque ideo etiam manna in feria sexta colligendum erat etiam pro sabbato sequente, aiente Moyse: « Requies sabbati sanctificata est Domino cras: quodcumque operandum est facite, et quae coquenda sunt coquite: quidquid autem reliquum fuerit reponite usque in mane. » Hac de causa Iudaei hellenistae diem sextam Παρασκευην seu *praeparationem* vocarunt, ut in Evangelio passim (1). Pharisaei nimis rigide hanc legem explicantes tenebant illicitum esse die sabbati negotia tractare, ultra mille passus deambulare, rem quamcumque, puta lectum, de loco in locum transferre, et Apostolis succensebant quod spicas vellerent ad famem levandam, imo et ipsi Christo quod aegros a variis morbis curaret: quae tamen interpretatio ab aliis doctoribus non admittebatur, et a Christo Domino severe reprehensa est. Sabbati violatores poena lapidationis (Ex. XXXI. 16. Num. XV. 35. 36) puniendi erant. Praeter haec in Sabbato omittenda nullum positi-

(1) Cum Iohannes dicat (Io. XIX). Christum passum esse in *Parasceve Paschae* nonnulli a vocis significatione decepti existimarunt Christi mortem accidisse die praecedente festum Paschae. Quod tamen admitti nequit: Christus enim ipso die solemni Paschatis mortem sustulit, ut figura in figuratum, et umbra in veritatem verteretur. Dicitur autem dies illa *Parasceve Paschae* quia in illo anno solemnitas Paschae in feriam sextam seu Parasceven inciderat, unde parasceve illa dici potuit parasceve Paschae sicut nos ex. gr. vocamus *Dominicam Pentecostes* diem illum dominicam, in quam incidit festum pentecostes, item *feriam secundam Pentecostes* etc.

vum opus praescriptum fuisse videtur: licet enim peculiares ritus in templo perficiendi essent a Sacerdotibus, ut infra videbimus, non tamen adstringebantur fideles iisdem interesse, aut Templum utcumque adire. Dubium tamen non est pios Iudaeos secundum spiritum Legis specialibus religionis actibus sabbatum sanctificasse, et saltem in Synagogis communibus precibus, et Scripturarum lectioni operam dedisse, quibus exemplum se praebebat Christus, ut legitur Luc. IV. 16: « Et venit Nazareth, ubi erat nutritus, et intravit *secundum consuetudinem suam die sabbati* in Synagogam, et surrexit legere. »

II. Ad imitationem Sabbati hebdomadalis institutus est *Annus sabbaticus*, et *Annus Iubilaris*, de quibus hic pauca subiiciemus. *Annus sabbaticus* erat septimus quique annus, qui speciatim quieti et religioni dabatur, ut septimus dies in hebdomada (Ex. XXXIII. 10. 11.) Incipiebat autem annus sabbaticus a prima die mensis Tisri, seu a novilunio Septembris. Anno sabbatico haec praecipiebantur:

1° Terra arari non poterat, nec seri, nec fructus sponte natos fas erat colligere, sed pauperibus erant relinquendi: item nec vineae, nec oliveta excolenda erant (loc. cit.). 2° Omnia debita ex venditione, vel praestatione a Iudaeis contracta, hoc anno exigi non poterant quare dicebatur *annus remissionis*. A peregrinis tamen et advenis debitum repeti poterat (Deut. XV. 1-3.). 3° Servi hebraei (non vero extranei) manumittendi erant (ib. 11-15.). 4° Lex publice populo praelegenda erat a Sacerdotibus in festo Tabernaculorum (Deut. XXXI. 10-13). De huius institutionis salutaribus effectibus dicetur in Sectione sequenti.

Annus Iubilaei celebrabatur post septem annos sabbaticos, seu quinquagesimo quoque anno. Hic annus decima die mensis septimi a Sacerdotibus clangore cornuum indicebatur. In eo autem pariter quies danda erat agris, vineis et olivetis; servi hebraeae originis libertate donabantur, debita remittenda erant, et agri in pignus vel usum creditoribus traditi debitori reddebantur. Itemque debitores qui cum non essent solvendo in servitutem traditi fuerant libertatem recuperabant. Denique omnia bona haereditaria, et quaelibet praedia quae post ultimum annum Iubilarem vendita aut pignorata fuissent ad primos possessores redibant sine ullo pretio, aut compensatione. (Lev. XXV. 8–16, 23 seqq.). Hinc etiam fiebat ut in

anno Iubilari novae tabulae fieri solerent, et etiam quae ad chronologiam hebraeorum et genealogias spectabant concinnarentur. (Ios. Antiq. III. 12. 3).

III. *Neomeniae,* seu festa novilunii.

Neomenia graece significat novilunium, seu mensis lunaris initium, eoque nomine Hebraei hellenistae designarunt festum eo die a Iudaeis celebratum: in Vulgata latina modo eadem vox *neomenia* retinetur, modo vox *kalendae* more Romanorum substituitur ex. g. Num. X. 10. Primus itaque dies uniuscuiusque mensis sacer erat, quamvis abstinentia ab operibus non esset praecepta, nisi in neomenia septimi mensis, quae ceteris solemnior erat (Num. XXIX. 1). In Lege quidem expresse nihil praecipitur, nisi speciale holocaustum a sacerdotibus offerendum Num. XXVIII. 11–15.: ex consuetudine tamen et Legis interpretatione factum est, ut etiam populus hunc diem tamquam sacrum solemnem haberet, cuius etiam initium tubarum clangore promulgabatur, per quamdam extensionem legis Num. X. 10, qua clangor tubarum praecipiebatur in oblatione holocausti eo die offerendi. Hoc etiam partim a Lege partim a Synagoga ad hunc finem institutum videtur ut Iudaeorum animi a paganorum superstitione averterentur, qui solebant lunae sacrificare.

IV. *Pascha,* seu solemnitas Paschalis.

Inter solemnitates quotannis recurrentes tres erant praecipuae, *Pascha, Pentecoste,* et *Scenopegia,* seu festum Tabernaculorum, in quibus solemnitatibus omnes saltem masculi tenebantur se sistere Domino, olim quidem in Tabernaculo foederis, postea vero in Templo, ibique sacrificium offerre, ut expresse legitur Ex. XXIII. 14, et Deut. XVI. 16 seqq. (1). His accedebat solemnitas *Expiationis,* et recentiori aetate solemnitas *Phurim,* et solemnitas *Encaeniorum.* De singulis breviter, et primum de Pascha.

Vox *Pascha* ex hebraica פֶּסַח orta est,quae proprie *transitum,* vel *saltum* significat iuxta illud Ex. XII. 11: « Est enim *phase*

(1) In altero ex citatis locis ita legitur: « Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit: In solemnitate Azymorum (Pascha), in solemnitate hebdomadarum (Pentecoste), et in solemnitate Tabernaculorum. Non apparebit ante Dominum vacuus: sed offeret unusquisque secundum quod habuerit iuxta benedictionem Domini Dei sui, quam dederit ei. »

(פֶּסַח) id est *transitus* Domini ». Institutum est enim hoc festum in memoriam liberationis Hebraeorum a strage primogenitorum Aegypti, cum linitis sanguine Agni postibus Hebraeorum, angelus exterminator eorum domos *transiliit,* et primogenitos eorum non occidit (ib. 23). Dicebatur etiam *festum Azymorum* eo quod per totam hebdomadam Paschae non liceret pane fermentato vesci. Per quamdam vero extensionem, seu metonymiam ipse agnus tunc immolandus dicebatur Pascha, unde frequentes illi loquendi modi: *comedere pascha,* et *immolare pascha.* Solemnitas Paschae incipiebat die decima quarta mensis *Nisan* (seu Abib) cum agnus sub vesperam, seu, ut habet textus hebraicus, *inter duas vesperas* (Ex. XII. 6) immolandus erat, quia hora illa Hebraei ex Aegypto egressi fuerant (Deut. XVI. 6). Agnus ille a patrefamilias seligendus erat die decima eiusdem mensis (Ex. XII. 3.), et erat custodiendus usque ad diem decimam quartam. Agnus autem, vel eius loco hoedus (1) esse debebat « *absque macula* (non quidem in vellere, sed in membris corporis) *masculus, anniculus* ». Immolandus autem erat in loco sancto, scilicet primum in Tabernaculo, deinceps in Templo, ut expresse praecipi videtur Deut. XVI. 5. 6, quamvis nonnulli id negaverint, qui dicunt comedendum quidem fuisse Agnum in urbe Ierusalem, idque tantum in loco citato Deuteronomii praecipi, non tamen necessario in Templo immolandum: sed hoc admittendum non videtur, et contraria sententia communis est inter Patres, et interpretes. Nec obstat quod primus agnus Paschalis ab singulis patribusfamilias immolatus fuerit, tunc enim nondum Sacerdotes electi et consecrati fuerant, nec dum fuerat erectum Sanctuarium, sed Hebraei adhuc sub lege naturae vivebant. (2). At deinceps legitimis sacrificiorum ministris cessit officium mactandi

(1) Ait enim sacer textus loc. cit. post descriptum agnum paschale : « *iuxta quem ritum tolletis et hoedum* » quae verba non significant praeter agnum, etiam hoedum seponendum et immolandum fuisse, sed potius in locum agni, si quando rei necessitas id postulasset.

(2) Primum Pascha celebratum est ab Hebraeis in Aegypto, cum agni sanguine superliminaria et postes domorum linire iussi sunt ut a strage primogenitorum immunes evaderent. Tum vero praeceptum est quotannis eodem die recurrente agnum immolare, et comedere in memoriam illius liberationis, et egressus populi ab Aegypto (Ex. XII. 43 seqq. XIII. 5 seqq.).

agnum Paschalem, ut et ceteras victimas in Sanctuario (Cfr 2 Par. XXX. 1-3, XXXV. 13, seqq., 1. Esdr. V. 19. 20, Ioseph Antiq. X. 5, Bel. Iud. VI. 9. 3.).

Ritus Agni Paschalis accurate describitur Ex. XII, ubi tamen notandum est quaedam praescribi quae in prima tantum Paschatis celebratione ipsa nocte Exodi observanda erant, ut ex. gr. quod sanguine agni liniendi essent domorum postes, et quod comedendus esset festinanter, renibus praecinctis, et baculis manu apprehensis. Cetera vero etiam in annua Paschatis renovatione servanda erant, ut agnum tantum igne assatum comedendum esse, nihil ex eo extra domum efferendum, nec in crastinum servandum, advenas et mercenarios ab eius esu excludendos, cum pane, azymo et lactucis agrestibus edendum esse, nec quidquam ossium agni frangendum. Haec autem mysticas quoque significationes habuisse in ordine ad Christi sacrificium, tum cruentum in cruce, tum incruentum in Sanctissima Eucharistia alibi declaravimus. (1) Si una familia non sufficeret ad consumendum agnum,vicini advocandi erant: utrum viri tantum an etiam mulieres ad esum agni essent admittendae inter ipsos Hebraeorum doctores olim disputabatur.

Ad tempus quod attinet agnus Paschalis die decima quarta mensis Nisan, seu primi mensis anni sacri immolandus erat sub vesperam, et comedendus, atque ita incipiebat solemnitas Paschalis (2).

(1) Quaerunt eruditi an Hebraei pascha comedere debuerint stantes, an mensae accumbere potuerint. At distinguendum est primum illud Pascha in Aegypto celebratum, ab aliis quae quotannis recurrebant: prima illa vice Hebraeos stantes agnum comedisse ex loc. cit. Exodi colligitur, deinceps vero circumstantia ista praescripta fuisse non videtur. Nihilominus tradunt Talmudistae Hebraeos consuevisse Pascha comedere stantes usque ad captivitatem babylonicam, non vero postea. Et sane Christus cum Apostolis ad mensam *discumbentes* agnum paschale comederunt, ut apparet ex Luc. XXII. 14. 15.

(2) Hic gravissima, et celeberrima occurrit quaestio de ultimo paschate a Christo Domino celebrato ante passionem: si enim verum est eum ipso paschatis die mortuum esse, sequi videtur pascha ante tempus praescriptum celebrasse. Haec difficultas pluribus sententiis originem dedit. 1ª *Sententia*, quam Bern. Lamy acriter defendit, et post illum A. Calmet, negat Christum in ultima coena agnum Paschalem comedisse (contra expressa ipsius Christi verba Mat. XXVI. 17-19, Marc. XIV. 14-18). 2ª *Sententia* Graecorum est, qui contendunt Christum agnum Paschalem comedisse, non tamen eadem

Die sequenti offerendus erat primus hordei manipulus cum altero agno in holocaustum (Lev. XXIII. 10 seqq.): quo ritu messis incipiebat. Sequentibus etiam diebus aliae victimae offerendae erant, usque ad diem vigesimam primam in cuius vespere desinebat solemnitas Paschalis (Num. XXIX. 17 seqq.). Interim vero abstinentia ab operibus praecepta non erat. Praecipue vero usus panis fermentati prohibebatur tota hebdomada, et azyma tantum adhibenda erant ut severissime praecipitur Ex. XII. 15: « Septem diebus azyma comedetis: in die primo non erit fermentum in domibus vestris: quicumque comederit fermentatum peribit anima illa de Israel, a primo die usque ad diem septimum. » Huic praecepto Hebraei religiosissime obsequentes solebant matutino tempore diei decimae quartae Nisan domos expurgare ab omni fermentato, sollicite perscrutantes omnes mensas,armaria,et angulos domorum ne quid forte fermentati lateret, ad quem usum alludit Apostolus pulchris illis verbis 1. Cor. V. 7: « Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi ».

Qui non potuissent die praescripto Pascha celebrare, vel ob infirmitatem, vel itineris causa, vel ob aliquam legalem immunditiam, tenebantur agnum immolare et comedere cum omnibus praescriptis ritibus in mense sequente *Jiar* die decima quarta ad vesperam, ut expresse dicitur Num. IX. 10. seqq. Et haec satis sint de Paschate. (1)

nocte cum Iudaeis, seu in secundis vesperis diei XIV, sed nocte praecedente quod dicunt indicari a Iohanne XIII. 1, XVIII. 8, XIX. 14. Hinc vero deducunt Christum panem fermentatum consecrasse. 3ª *Sententia* (Pauli Burgensis, Petavii, Maldonati al.) tenet Christum tempore quidem legali, seu die XIV, Pascha fecisse, non tamen cum Iudaeis, quia isti eo anno distulerant Pascha usque ad feriam sextam sequentem. 4ª Denique est sententia verior S. Thomae, et communis Latinorum, qui dicunt Christum agnum comedisse et die XIV, et simul cum Iudaeis, et Iohannem in locis citatis hoc non excludere. Sed haec innuisse sufficiat.

(1) Ad imitationem Paschatis Hebraeorum institutum est Christianorum Pascha ad commemorandam resurrectionem Christi Domini nostri, qui est *Pascha nostrum* per agnum illum Paschalem mystice praefiguratum, per quem liberati sumus non a temporali morte, et servitute, sed a servitute diaboli et a morte aeterna. De die quo Pascha a Christianis celebrandum esset gravissimae olim extitere controversiae inter Asianos, qui illud celebrare volebant ipsa luna XIV Martii simul cum Iudaeis, et Latinos, qui, ne

V. *Solemnitas Pentecostes.*

A secunda die Paschatis numerandae erant septem hebdomadae, et dies quinquagesimus qui sequebatur solemnis erat et vocabatur *festum hebdomadarum,* a Iudaeis vero hellenistis *Pentecoste.* Institutum autem est hoc festum tum in memoriam Legis in monte Sina promulgatae die quinquagesimo post primum Pascha, tum in gratiarum actionem ob receptam messem. Hinc praeter sacrificia in hoc festo Pentecostes offerenda praecepta erat oblatio duorum panum farinae novae triticeae (Lev. XXIII. 15–20). Abstinentia quoque ab operibus servilibus die Pentecostes praecepta erat (ib. 21). Hoc etiam festum ad Christianos transiit, et instituum est in memoriam adventus Spiritus Sancti die quinquagesimo post Resurrectionem Christi Domini.

VI. *Festum Tabernaculorum,* quod a Iudaeis hellenistis Σκηνοπηγια *Scenopegia* dicitur.

Hoc festum institutum fuit in memoriam peregrinationis Hebraeorum in deserto, quo tempore in tabernaculis, seu sub tentoriis habitarunt, simul etiam in gratiarum actionem pro terrae fructibus, et vindemia Celebrabatur hoc festum octo solidos dies,a die decimaquinta usque ad vigesimam tertiam mensis septimi (Tisri); primus tamen et ultimus dies solemniores erant, in quibus ab operibus abstinere debebant, non autem in reliquis diebus. Durante hac solemnitate Hebraei in tentoriis habitabant, quae plerumque super tecta domorum, vel in locis domui contiguis erigebantur, et extra illa dormire, aut cibum sumere vetitum erat. Primo autem die festi Iudaei in manibus gestare debebant palmarum aut aliarum arborum ramos, et fructus arboris cuiusdam pulcherrimae (Lev.XXIII.40) laetitiae causa, reliquis vero diebus hosce ramos et fructus dumtaxat in templo gerebant dum altare circumeuntes hosanna canebant, clangentibus undique sacerdotum tubis, ad quem ritum respicere videtur visio Iohannis Apoc. VII. 9–12. Septima die Iudaei septies altare circumibant in memoriam expugnationis urbis Iericho. Praeterea holocausta, et oblationes praescriptae erant, et laeta con-

cum Iudaeis in hoc convenirent, celebrabant Pascha die Dominica quae sequitur lunam XIV post aequinoctium vernum. Haec altera praxis post sententiam Victoris Papae, et decretum Concilii Nicaeni universalis, et praeceptiva evasit, et adhuc in Ecclesia viget.

vivia agebantur, multi etiam vota et oblationes spontaneas addere solebant. Haec omnia accurate descripta inveniuntur Lev. XXIII. 34–44, et Num. XXIX, ubi praecipue de sacrificiis et libamentis sermo est. Demum cum festum Tabernaculorum incideret in annum sabbaticum lex Moysi populo praelegenda erat iuxta praeceptum Deut. XXXI. 10 seqq. In die octavo qui magna solemnitate celebrabatur fiebat *coetus,* vel *collecta,* uti legitur in Valgata, quod a multis intelligitur, de pecunia collecta ad templi et cultus divini expensas, ab aliis vero de simplici clausura festivitatis, iuxta vim Hebraicae vocis.

VII. *Festum Expiationis,* seu *Propitiationis.*

Institutum fuit hoc festum in expiationem peccatorum universi populi, sive eorum, quae dolo malo, sive eorum quae inadvertenter, aut per ignorantiam commissa fuissent. Celebrabatur autem die decima Tisri, seu quinque diebus ante festum Tabernaculorum. Omnes Hebraei debebant primum ab operibus abstinere, tum etiam rigidum ieiunium servare, nullum capientes cibum a vespera usque ad vesperam (Lev. XXIII 27–32, Num. XXXI. 7), item plura sacrificia offerre quae descripta habentur Num. XXIX. 8–11. Maximus vero ritus erat qui perficiebatur a Summo Pontifice, cui hac tantum die licebat Sanctum Sanctorum ingredi ut ibi coram arca Domini incensum adoleret,et digito sanguinem victimae aspergeret.Post haec locum habebat caeremonia capri emissarii, in cuius caput imponebantur peccata totius populi, quo facto in desertum ducebatur ibique relinquebatur. Qui ritus describitur Lev. XVI, ut vidimus superius (Hermeneuticae Par. I. Sect. I. Cap. III.) ubi etiam adnotavimus mysticam huius ritus significationem de Christo,eiusque expiatoria morte. (1)

(1) His a Lege praescriptis Iudaei etiam nunc alia poenitentiae et pietatis exercitia addere solent. Multi totos decem dies festum praecedentes in operibus poenitentiae impendunt, pulla veste induti, noctemque praecedentem totam in synagoga transigunt. Solent etiam peccatorum confessionem decies facere, cuius ritus ita describitur a Calmet in Dictionario S. Scripturae pag. 319: « Duobus Iudaeis in angulum synagogae reductis, alter qui reum agit toto corpore ad septemtrionem, humeris ad meridiem versus, pronus, et dorso nudatus crimina sua fatetur, pectus interim tundens, quoties ab altero, qui confitentem auscultat, loro quodam triginta et novem idibus certisque precibus recitatis, percutitur, preces autem ex verbis Psalmi

VIII. *Festum Phurim,* seu *Sortium.*

Hoc festum recentioris institutionis est, et originem habuit a Mardochaeo Estheris patruo qui conspiratione Amani detecta, ope Estheris gentem suam ab excidio liberavit. (Esther IX. 20–32): quare hoc festum vocatum est etiam *dies Mardochaei* (2 Mach. XV. 37.) Celebrabatur hoc festum die decima quarta et decimaquinta mensis Adar, seu ultimi mensis anni sacri. Vocabatur, *Phurim,* quae vox persice *sortes* significat, quia Aman sorte elegerat diem in quo omnes Iudaei in ditione regis Assueri degentes occidendi essent. (Esther III. 7–13, IX. 24 seqq.) In hoc festo totus liber Esther praelegebatur in Synagogis, et ieiunium servabatur in memoriam ieiunii Estheris, et acceptae liberationis.

IX. *Festa Encaeniorum.*

Vox *Encaenia*, Ἐγκαίνια, dedicationem significat. Porro Hebraei quatuor festa dedicationis Templi celebrabant. 1° Dedicatio Templi salomonici celebrabatur mense Tisri; 2° dedicatio secundi Templi, seu Zorobabelici mense Adar; 3° dedicatio, seu renovatio dedicationis Templi, post Antiochi Epiphanis profanationem, per Iudam Machabaeum, celebrabatur die decima quinta mensis Casleu, et septem dies durabat (1 Mach. IV. 52 seqq., 2 Mach. X. 1–8); huic festo Christus interfuisse dicitur Io. IX. 22. Vocabatur haec solemnitas *festum luminarium,* quia Iudaei laetitiam suam ob commemorationem illius eventus accensis facibus, et luminaribus significare solebant; 4° denique dedicatio templi ab Herode instaurati et ornati peculiari festo commemorari solebat.

X. Praeter memoratas solemnitates duae aliae in libris Machabaeorum indicantur, altera scilicet in memoriam detecti sub Nehemia ignis sacri (2 Mach. I. 8. seqq.), altera in memoriam victoriae de Nicanore eiusque exercitu a Machabaeis relatae (1 Mach. VII. 48 seqq., 2 Mach: XV. 87), sed haec festa parum durasse videntur. Praeterea Iosephus Flavius de Bello Iud. lib. II. cap. XVII. 6 mentionem facit de festo Ξυλοφορίας, seu *exportationis lignorum,*

LXXXVIII. 38 desumuntur. De his fusius agit Io. Buxtorfius in sua *Synagoga Iudaica* cap. 20 seqq. ubi etiam alios ritus refert, qui utpote ridiculi et superstitiosi in desuetudinem abierunt. Vide etiam curiosum opusculum Al.Vincenzi: *La confessione vocale dei peccati praticata nella Sinagoga antica* etc. Roma 1850. cap. I.

in quo nimirum Iudaei solemni ritu ligna in Templum asportabant ad usum altaris holocaustorum. Quo die hoc fieret incertum est. Seldenus putat die vigesima prima mensis *Ab;* alii vero existimant die vigesima prima sequentis mensis *Elul.* Item alia sunt festa recentius instituta quae Iudaei nunc observant, et in suo kalendario recensent.

XI. Hebraeorum festi saddi possunt *ieiunia.* Ex his quidem unum tantum a Moyse praescriptum fuit in solemni die expiationis. Verum post captivitatem babylonicam alia ieiunia praescripta fuerunt in memoriam excidii Ierosolymae ac Templi, alia quoque deinceps in singulis fere mensibus inducta fuerunt quae in kalendario hebraico notantur. Praeterea solebant Hebraei sponte sua ieiunium saepe adhibere vel in peccatorum expiationem, vel ad beneficium aliquod a Deo impetrandum,vel devotionis causa: Pharisaeus ille in Evangelio gloriabatur quod ieiunaret bis in sabbato seu in singulis hebdomadis, quae fortasse Pharisaeorum consuetudo fuit.

XII. *Kalendarium Hebraeorum.* Haec omnia quae de festis ac ieiuniis Hebraeorum diximus per ordinem digesta inveniuntur in *kalendario Hebraeorum,* de quo mentio fit in Talmude, et in ipsa Scriptura Zach. VIII. 19, IX. 21 seq. non extat tamen nunc kalendarium nisi posteriori aetate confectum a Rabbinis, praesertim illud quod vocant *Meghillath Thaanith.* Illud vero exscripserunt et adnotarunt plures ex christianis auctoribus imprimis Genebrardus in fronte sui *Comment. in Psalmos,* Bern. Lamy *in Apparatu Biblico,* Bartolocci in *Bibliotheca magna Rabbinica* tom. I, Calmet in fine sui *Dictionarii Biblici;* qui etiam (excepto Calmeto) praeter festa et ieiunia in singulis mensibus celebranda adnotare solent etiam sacras lectiones Legis et Prophetarum, seu *Pharascias* et *Haphtaras* singulis sabbatis legendas. Ad hos auctores lectorem remittimus. Multi etiam doctas observationes in Kalendarium Hebraeorum ediderunt ut Io. Seldenus in opusculo: *De anno civili veteris Ecclesiae seu reipublicae iudaicae,* et Xaverius Mattei in *Kalendario Hebraeorum illustrato,* qui tamen recentiorum Iudaeorum Kalendaria plus aequo parvi pendere videtur.

CAPUT III.

De personis sacris.

Quamvis omnes Hebraei populus electus, hereditas Domini, et gens Deo sacra dicerentur (Ex. XIX. 6, XXII 3, Deut. VII. 6, XIV. 2 etc.), eoque nomine inflati ceteras gentes despicerent aliquando, et odio haberent (Eph. II. 14. 15, Matth. IX. 10. 11, Luc. V. 8, Gal. II. 15–17), quaedam tamen determinatae personae inter illos speciali modo Deo consecratae erant, et sacris ministeriis deputatae, de quibus nunc dicendum. Ac primo quidem de ordinariis ministris dicemus, qui omnes ad tribum Levi pertinebant ac dividebantur in Levitas, Sacerdotes, et summum Pontificem, deinde de aliis ministris superadditis, quemadmodum fuerunt olim servi sacri Nathinaei dicti, et ministri Synagogarum, tum vero de extraordinariis personis sacris seu prophetis; demum coronidis gratia quaedam adiiciemus de religiosis sectis Hebraeorum.

ARTICULUS I.

De ministris ordinariis ex Tribu Levi.

Tota tribus Levi specialiter Deo sacra fuit: Deus enim sibi elegit filios Levi in locum primogenitorum totius Israel (Num. III. 12. 13. 40, VIII. 16) ut eius cultui operam darent, ac plebem in religione instruerent, ideoque iussit nullam eis specialem portionem terrae Canaan adsignari, sed quadraginta octo urbes cum agris et hortis in variis tribubus sparsas, simulque decimas fructuum et animalium eis solvi ad eorum sustentationem, praeter oblationes et victimas, quibus alebantur cum sua ministeria in Tabernaculo, vel Templo obirent. Qui ex familia Aaronis erant *sacerdotali* munere ornabantur, et ex his unus summum *pontificatum* obtinebat, ceteri vero aliarum familiarum Gersonitae, Caathitae, Meraritae inferioribus ministeriis addicti erant, et simpliciter *Levitae* dicebantur. Breviter de singulis.

§. I. *De Levitis, eorumque officiis.*

I. *Levitarum consecratio* peculiari et solemni ritu a Moyse facta est, prout legitur Num. VIII. 5–15; scilicet primum aqua abluti, et rasi duos boves cum farina et oleo ad altare obtulerunt coram Tabernaculo Foederis, ibique manuum impositionem acceperunt a principibus familiarum, et a Moyse aqua lustrali aspersi sunt, et manibus impositis super victimas, ipsae oblatae sunt, alter scilicet bos pro peccato, et alter in holocaustum Domino: atque ita in perpetuum divinis ministeriis mancipati fuerunt.

II. *Levitarum variae classes,* earumque *munia* accurate describuntur Num. III. et IV. Scilicet eorum officium erat sacerdotibus inservire, circa Tabernaculum vel Templum excubias agere, Tabernaculi tabulas, vectes, aulaea, et vasa per desertum asportare: deinceps etiam munus cantandi, et diversa instrumenta pulsandi eis concreditum est, et sub regibus etiam munus plebem instruendi, causasque iudicandi. Initio quidem in tres familias divisi erant iuxta tres Levi filios, a quibus descendebant, Caath, Gerson et Merari: singulis autem diversa onera portanda assignata sunt: Caathitis vasa sanctuarii velamentis obvoluta, Meraritis maiores Tabernaculi partes, ut tabulae, columnae, vectes etc., Gersonitis cortinae, operimenta, velum, funes etc: hinc pro vario laboris genere ad ministerium admittebantur vel ab anno XXX usque ad L. vel a XXV usque ad LX. (Num. III. 1–36, IV. 1–11, VIII. 24 seqq.). Recentiori autem aetate cum necessitas graviorum laborum cessasset ministeria sua iam ab anno vigesimo auspicabantur (1 Par. XXIII. 24–27, 1 Esdr. III. 8). Rex David novam Levitarum divisionem induxit: scilicet Levitarum 38000 quatuor classes fecit, nempe 24000 ministros Sacerdotum, 4000 ianitores et excubitores, 6000 iudices et genealogiarum scriptores, 4000 musicos: musicos autem rursus in classes viginti quatuor distribuit, quae per vices suas munere fungebantur (1 Par. XXIII. 3–5, 24–32, XXIV. 20–31, XXVI. 1–32). Omnes isti ordines et classes suos principes seu praefectos habebant (Num. III. et IV, 1. Par. II.cc.). Ianitores et excubiae modo bini, modo quaterni, aut etiam seni munus obibant, et a sabbato ad sabbatum ministerio fungebantur. In conviviis, quae in templo identidem instituenda erant post sacrificium, itemque in conviviis, quae in aliis urbibus religionis causa parari solebant, Levitae advocandi

erant (Deut XII. 18, 19). Peculiaris vestis Levitis lege quidem praescripta non erat, deinceps tamen eis indumentum seu, quasi superpelliceum byssinum assignatum fuit, quo in ministerio suo obeundo ornabantur (1 Par.XV.27,2 Par.V.12,Ios.Antiq.VIII.3, 8).

§. II. *Sacerdotes, eorumque officia.*

I. Posteri filiorum Aaron (Eleazari et Ithamar) in sacerdotium assumpti fuerunt,ex quibus unus ex familia Eleazari primogeniti olim haereditario iure in summum Pontificatum ipsi Aaroni succedebat (Lev. X. 1–12, 1 Par. XXIV. 1. seqq.). Primum autem dicemus de inferioribus Sacerdotibus, postea de Summo Pontifice.

Sacerdotes utriusque familiae praedictae decursu temporis ita multiplicati fuerunt, ut David eos in 24 classes distribuerit, quarum 16 Eleazari familiae, et 8 Ithamari, singulae autem suos principes habebant, qui in Evangelio *principes sacerdotum* vocantur. (1 Par. XXIV. 3–19, Luc. I. 5, et 9, Matth. II. 4.).

II. *Consecratio Sacerdotum* describitur Ex. XXIX. 5–9, Lev. VIII. 2, quae similis est consecrationi Levitarum, nisi in eo quod sacerdotes suis vestibus sacris induti erant coram altari, et pro iis in sacrificium mactati sunt iuvencus, et duo arietes, quibus antea sacerdotes consecrandi manus imposuerant, mox vero sanguine alterius arietis eorum auris dextera, et manus pedisque dexteri pollex illitus fuit: praecipuum vero discrimen in hoc erat quod sacerdotes oleo sacro sanguine victimae commixto aspersi sunt, et partes determinatas victimarum a Moyse acceptas Deo obtulerunt, atque ita munus suum auspicati sunt. Conditiones in sacerdotibus requisitae erant: 1° ut ex familia Aaronis descenderent, quod si certo ostendere non possent a sacerdotio arcebantur (2 Esdr. VII. 64, XII) 2° immunitas a deformitate vel vitio corporis (Lev. XXI. 16 seqq.), 3° abstinentia a vino et omni liquore inebriante שֵׁכָר *sicera* (Lev. X. 8–11.) 4° aetas triginta annorum, quamvis postea ab anno vigesimo sacerdotio fungebantur (2 Par. XXXI. 17).

III. *Sacerdotum officia* haec erant: 1° praecipuum munus erat sacrificia et oblationes Deo offerre primum in Tabernaculo, postea in Templo, hoc enim proprie in idea sacerdotii continetur (Exod. XXIV. 5–6). 2° Incensum adolere in Sancto super altare Thymiamatis (Ex. XXX. 7. 8, Num. XVI. 40): quod ita sacerdotum proprium erat, ut si quis alius id facere tentasset severissime a Deo

puniretur, ut accidit Core eiusque asseclis (Num. XVI. 31 seqq.) et Azariae regi (2 Par. XXVI.16–21). 3° Panes propositionis mutare, candelabri lucernas concinnare, et alia ad Sanctum pertinentia obire (Lev.XXIV.5 seqq.). 4° Denique Legem custodire,ac populo legere, plebem instruere, consultationibus respondere, et in religionis legisque causis iudicium ferre. (Lev. X. II. XIII, Num. V. 12 seqq. Deut. XVII. 9, seqq. etc). Alia quoque minoris momenti officia sacerdotum propria in Levitico et Deuteronomio memorantur. His positivis officiis sacerdotes per singulas classes alternis per hebdomadam fungebantur, et sorte singulis, ut videtur, assignabant quid muneris quisque obire deberet, ut innuitur Luc. I. 9. His accedebant negativa officia. Nam Sacerdotibus vetitum erat. 1° uxorem ducere mulierem impudicam, vel a marito repudiatam (Lev. XXI. 7), 2° contaminari *super mortuo,* idest funeribus interesse, aut luctum agere ob mortem cuiuscumque, exceptis parentibus, filiis, fratre et sorore virgine, 3° vinum, aut siceram bibere, et matrimonio uti durante sacerdotali ministerio.

IV. *Vestes sacerdotum* quibus in sacris tantum functionibus induebantur descriptae habentur Ex. XXVIII. et Ios. Antiq. III. 7. n° 1–3, licet descriptio haud ita plena, et clara sit, ut omnia accurate definiri possint. Hae vestes erant: 1° femoralia byssina, seu linea, 2° tunica linea manicata et inconsutilis, 3° cingulum, seu balteus latitudine unius palmi, et acu pictus coloribus hyacinthino purpureo et coccineo, qui bis corpus ambiebat supra lumbos, et sub pectore nectebatur ita ut extremitates usque ad talos descenderet (Ex. XXXIX. 27–29). 4° Mitra seu cidaris (hebr. טְבָעָה) quae formam variasse videtur decursu temporis, si conferantur Ex. XXVIII. 9 et 40, XXIX. 9, Lev. VIII. 13, 17 cum Ios. Ant. III. 7, 3. Tibialia et calcei vetiti erant, nam sacerdotes discalceati suis ministeriis fungi debebant, ut colligitur ex variis Scripturae locis (Ex. XXVIII, coll. Ex. III. 5, 2 Reg. XV. 30, Ezech.XXIV. 17).

§ III. *De Summo Pontifice.*

I. Summus Pontifex seu כֹּהֵן הַגָּדוֹל *Sacerdos magnus* apud Hebraeos praecipuus religionis administer erat, et ceteris sacerdotibus dignitate et auctoritate praeerat. Quare eius persona in maxima veneratione semper fuit (1). Primus summus Pontifex electus

(1) In N. T. distinguitur Summus Pontifex nomine *Pontificis* vel *Pon-*

et consecratus fuit Aaron frater Moysis, eoque mortuo Eleazar natu maior ex duobus filiis qui supererant, atque ita in familia Eleazari mansit summus pontificatus usque ad Heli, qui ex familia Ithamar Pontifex creatus est. Sub Saule et Davide in eadem familia pontifices sibi successerunt donec Salomon reiecto Abiathar pontificatum transtulit in Sadoc ex familia Eleazari, quae ita summam hanc dignitatem recuperavit, ac retinuit usque ad captivitatem Babylonicam. Post captivitatem vero de una in aliam familiam pontificatus transiit, nec amplius haereditario iure, sed electione, vel populi, vel principum, vel Synedrii, quandoque etiam malis artibus aut arbitrio, ut aliquando sub Herode factum est. (1) Consecratio Summi Pontificis describitur Ex. XXIX. et non differt a consecratione aliorum sacerdotum nisi in eo quod Aaron suis pretiosis vestibus pontificalibus indutus erat, et in eius caput sacrum oleum largiter effusum est (Ex. XXIX. 5–9, Lev. VIII. 2); qui ritus videtur repetendus fuisse in singulorum Pontificum inauguratione.

II. *Summi Pontificis officia,* praeter illa quae cum aliis Sacerdotibus communia habebat, haec erant specialia. 1° Huic uni licebat semel in anno ultra velamentum secundum penetrare in Sanctum Sanctorum, ibique incensum adolere, et sanguinem victimae spargere in die magno Expiationis, ut supra dictum est (Ex. XXX. 10, Lev. XVI. 2 seqq., Hebr. XI. 7 seq.) Quod quidem ex citatis locis Scripturae, et communi Hebraeorum traditione deducitur quamvis pauci aliter senserint (2). 2° Ad eum pertinebat Deum consulere

tificis magni, Ἀρχιερεὺς μεγας, a *principibus sacerdotum*, Ἀρχιερεις, qui singulis sacerdotum classibus praeerant. Paulus in Epist. ad Hebraeos Cap. V et seqq. ut Christi sacerdotii excellentiam extollat eum summo Pontifice excellentiorem esse ostendit quemadmodum in praecedentibus eum et Moyse et Angelis superiorem esse dixerat.

(1) Calmet in Diction. Bibl. sub voce *Sacerdotium* exhibet *Latercu-lum chronologicum Summorum Sacerdotum Hebraeorum* ab Aaron usque ad Phanniam sub quo Ierusalem a Romanis eversa est: numerantur omnino pontifices 81.

(2) S. Epiphanius putavit summum Sacerdotem ter in anno in majoribus solemnitatibus Sanctum Sanctorum penetrasse, S. Augustinum autem (Quaest. 183 in Exodum) opinatus est quotidie pontificem id fecisse ad adolendum thymiama, idemque Theophylattus sensit (Comm. in Luc. I): sed horum sententia defendi nequit. Hi quidem decepti fuerant ex eo quod puta-

per Urim et Thummim aliis pontificalibus ornamentis adiectis, et accepta a Deo responsa reddere (Ex. XXXVIII. 30, 1 Reg. XXIII. 9. seqq., XXX. 7, Eccli XLV. 12). Praeter haec duo praecipua, 3° Summi Pontificis munus erat super inferiores sacerdotes ac levitas vigilantiam et auctoritatem exercere. Nonnulli etiam addunt: 4° Ad eum spectasse proprio iure praesidere synedrio magno; quod tamen a multis negatur, quamvis reipsa plerumque idem esset Synedrii praeses ac Summus Pontifex. (Vid. Seldenum: *De Synedriis et Praefecturis Hebraeorum* lib. II. cap. 15 seq.) Huic tantae dignitati singularis sanctitas respondere debebat; quare praeter leges aliis Sacerdotibus impositas summo Pontifici non licebat ducere uxorem nisi virginem (Lev. XXI. 14), quare a Lege Leviratus exemptus erat (Lev. XXV. 5 seqq.) (1): item luctum agere ei non licebat neque in morte parentum, aut filiorum (Lev. XXI. 11.).

III. *Vestes sacrae* summi Sacerdotis in duas classes dividi possunt, quas Hebraei vocare solent *vestes albas,* et *vestes aureas:* hisce insignioribus utebatur in ordinariis ministeriis per annum, illis autem planioribus semel tantum in die magno expiationis. (Lev.XVI.4).Erant autem omnino sequentes. 1° *Femoralia linea,* ut in aliis sacerdotibus. 2° *Tunica linea,* seu byssina (hebr. כְּתֹנֶת שֵׁשׁ) quae secundum Iosephum talaris erat, et angusta ita ut presse corpori adhaereret. 3° *Balteus* hebr. אַבְנֵט, seu zona ex lino,cui multa ornamenta acu intexta erant ex lana hyacinthina, purpurea, et coccinea; huic zonae Rabbini tribuunt 32 cubitos longitudinis, tres autem digitos latitudinis (2).

verint altare thymiamatis intra Sanctum Sanctorum situm fuisse, quod verum non est; hinc communis caeterorum Patrum, et interpretum sententia est ea quam hic proposuimus.

(1) Utrum Summus Pontifex uxorem ducere debuerit de *genere suo,* seu sacerdotali, ut affirmat Philo (Lib. II. de Monarchia) pendet ex sensu Lev. XX. 13. 14, quem locum aliter legunt LXX interpretes, aliter textus Masoreticus, et versiones Orientales cum Vulgata Latina (V. Calmet ad h. l.). Iosephus Flavius (Antiqq. III. 10.) addit eum non potuisse uxorem repudiare, et Talmudistae (*Massecheth Ioma*) non potuisse alteram uxorem ducere. Sed haec ex Lege Moysi non constant.

(2) Vide Calmet Comm. in Ex. XXVIII. In citato capite Exodi, et in capite XXXIX minuta descriptio vestium Pontificalium habetur, quae qui-

4. *Tunica* hebr. מְעִיל) quae licet in versione LXX. vocetur ποδηρη , idest *vestis talaris,* verosimilius tamen ad talos usque non descendebat, et tota hyacinthini sive cerulei coloris erat (Ex. XXVIII. 31): huius tunicae inferiori limbo appensa erant alternatim tintinnabula aurea, et *mala punica ex hyacintho, et purpura et cocco bis tincto* (ib. 33. 34), quae quidem Hieronymus, Talmudistas sequutus, numerat 72, totidemque tintinnabula.

5° *Ephod* hebr. אֵפוֹד quod LXX. verterunt per Επωμιδα, idest, *superhumerale,* qua voce utitur Vulgata latina, licet saepe hebraicam vocem *Ephod* retineat. Erat autem amiculum ex bysso retorta , et filis aureis, laneisque purpurei, hyacinthini, et coccinei coloris contextum, manicis, ut multis videtur,instructum, quod super tunicam hyacinthinam imponebatur, nec ultra dimidiam corporis partem pertingebat. In utroque humero astringebatur fibula aurea lapide onychino ornata (hebr. שֹׁהַם) in quibus lapidibus insculpta erant nomina duodecim tribuum, sex scilicet in unoquoque lapide (Ex. XXVIII. 6–12). Ad pectus autem secundum Rabbinorum sententiam cingulo astringebatur ita ut duae eius partes simul ante pectus coniungerentur, quod dicunt significari Ex. XXVIII. 8 per vocem חֵשֶׁב, quam tamen Vulgatus interpres reddit *texturam.*

6° *Rationale* hebr: חֹשֶׁן הַמִּשְׁפָּט seu *pectorale Iudicii,* de quo Hieronymus in citata Epistola ad Fabiolam scribit: « Hebraice vocatur (חֹשֶׁן) *Hhoscen*, graece autem λογιον, nos Rationale possumus appellare, ut ex ipso statim nomine scias mysterium esse quod dicitur ». LXX Interpretes vocant λογιον τῶν κρισεων, et vulgata latina similiter *rationale iudicii.* Erat autem potius ornamentum quam vestis eiusdem materiae ac Ephod, formae quadratae semicubitalis, seu potius cubitalis, nam duplicatum erat (Ex. XXVIII.15-30, XXXIX. 8-19). Ante pectus suspensum gerebatur et catenulis, annulisque aureis superhumerali affigebatur vitta hyacinthina. In parte exteriori rationalis affixae erant quadruplici serie duodecim gemmae quarum nomina recensentur ib. 17–20, de quorum tamen praecisa significatione innumerae fere sunt inter-

dem in priori capite faciendae praescribuntur, in altero factae referuntur. De his quoque literaliter et mystice pertractat S. Hieronymus in Ep. 64 (alias 128) ad Fabiolam, et in Ep. 29 (alias 130) ad Marcellam.

pretum sententiae: his gemmis, quae auro inclusae erant, insculpta erant nomina duodecim tribuum (ib. 21).

7° *Urim* et *Thummim* aliud ornamentum erat rationali adnexum, quo assumpto sacerdos divina responsa petebat (Ex. XXVIII.30 Lev. VIII.8, XXVII. 12 Deut. XXXIII. 8). Hebraicae voces אוּרִים וְתֻמִּים in Vulgata redduntur: *doctrinam et veritatem,* quemadmodum etiam LXX verterunt: την δήλωσιν και την αληθειαν.Quid autem proprie fuerint impossibile est definire: alii dicunt fuisse ipsas gemmas Rationalis et Ephod per quas Pontifex futura portendebat; alii potius gemmas distinctas, vel aliud ornamentum. Spencerus putat fuisse imagunculas quasdam aureas similes Teraphim Chaldaeorum, quod tamen admitti nequit; alii gemmarum torquem ex collo pendentem; alii, imo plerique, credunt fuisse ipsa haec verba: *Urim* et *Thummim* (quae doctrinam et perfectionem significant) rationali inscripta vel intexta, seu potius in separata lamina quae rationali inserenda erat (1). His itaque adhibitis Summus Pontifex Deum consulebat, et responsa ab eo accipiebat, ut in citatis Scripturae locis dicitur (2).

8° *Tiara,* seu cidaris hebr. מִצְנֶפֶת *Mitznepheth* capitis tegumentum erat tum Pontificis summi, tum omnium sacerdotum (Ex. XXVIII. 4-40, XXIX. 6), sed differentia quaedam exigua in eo videtur fuisse quod tiara summi pontificis paulo altior esset, et quod super eam ornamentum ex velo cerulei, et albi coloris superpositum esset, ut innuit Iosephus Antiq. lib. III. 7.§ 6 seq. (3).

(1) V. Cornelium a Lapide Commentar. in Exod. XXVIII ubi pluribus hanc sententiam defendit. Ceterum de *Urim* et *Thummim* plura specialia opera scripta extant: praecipua sunt Buxtorfii, Polemanni, Spenceri, Riboudealdi (contra Spencerum) quae habentur collecta in *Thesauro* Ugolini to. XII. quibus addi potest I. B. Carpzovii opus: Christiana de *Urim* et *Thummim* conjectura. Lipsiae 1732.

(2) Multorum sententia est, hoc privilegium in Summo Pontifice non perseverasse nisi usque ad aedificationem primi Templi: deinceps enim nusquam mentio occurrit de responsis hac ratione impetratis, sed Prophetae tamquam extraordinarii Divinae voluntatis interpretes semper occurrunt. Hebraei autem hoc saltem pro certo tenent post captivitatem Babylonicam stante secundo Templo, oracula per Urim et Thummim non amplius reddita fuisse, quod etiam colligi posse videtur ex 1 Esdr. II. 62 et 1 Mach. IV. 45 seq.

(3) Ex verba Iosephi: « Accessit demum ei (Summo Pontifici) convolutae byssi pileus, qualis fuit ceterorum sacerdotum antea memoratus: super ipsum

Rabbini opinantur tiaram sive Pontificis sive sacerdotum formatam fuisse ex vitta byssina sexdecim ulnarum pluries circa caput obvoluta ad instar cassidis. Sed eius formam accurate determinare impossibile est. Praecipuum vero ornamentum Tiarae summi pontificis adnexum erat

9° *Lamina aurea* (hebr. צִיץ הַזָּהָב) vitta hyacinthina tiarae alligata et super frontem Pontificis descendens cui insculpta erant verba קָדוֹשׁ לַיהוָה *Sanctum Domino* (Ex. XXVIII. 36 seqq). Haec quidem inservire debebat tum ad reverentiam Pontifici conciliandam, tum ad ipsum commonendum de sacris officiis quibus mancipatus erat.

His omnibus vestibus et ornamentis, quae *aurea* dicebantur, indutus apparebat summus sacerdos cum munera sua obiret in Tabernaculo vel in Templo, excepto die solemni expiationis, in quo solas *vestes albas* induere debebat, scilicet 1° femoralia linea, 2° tunicam lineam, 3° balteum totum lineum, 4° cidarim, seu tiaram lineam. (Lev. XVI. 4).

IV. Quamvis unus tantum esset Summus Pontifex, hic tamen plerumque suum habebat *vicarium,* quem Rabbini *Sagan* appellant, qui eius vices gereret si forte contigisset summum Pontificem in aliqua solemnitate aut impeditum, aut aliqua legali immunditia alligatum inveniri. Hoc officium Sagani nonnulli putant perpetuum fuisse, et adnexum habuisse ius succedendi in pontificatum, alii vero ad tempus, aut etiam pro singulis casibus alicui sacerdotum tributum fuisse. Fortasse utrumque factum est in diversis temporibus, ac personis. Quod enim vicarius perpetuus, et permanens summo Pontifici semper adesset nullo argumento probari potest, quod vero aliquando id factum fuerit, apparet ex iis Scripturae locis ubi duo summi sacerdotes nominantur, ut ex. gr. sub Davide

vero et alius erat consutilis et hyacintho variatus. Cingit autem (frontem) et aurea corona triplici ordine fabrefacta, e qua exurgunt calyculi aurei, similitudine illos referentes, quos videmus in herba nobis saccaro dicta, sed quam graeci rei herbariae periti hyoscyamum appellant. . . atque huic quidem similis facta est corona ab occipitio ad utraque tempora, frontem autem non ambiebat ephiclis (ita enim vocatur) sed lamina aurea, quae sacris caracteribus Dei nomen incisum habet.» Praedicta corona aurea addita fuisse creditur in postrema aetate a Simone Machabaeo ejusque successoribus, qui simul sacerdotes summi, et principes et reges fuerunt.

Sacerdotes *Sadoc* et *Abiathar* (2 Reg. XV. 35, 1 Par. XV. 11, 3 Reg. I. 7–8), sub postremis regibus Saraias dicitur *Sacerdos primus* et Sophonias *sacerdos secundus* (4 Reg. XXV. 18, Ier. LII. 24), et Iohannes Baptista praedicationem auspicatus fuisse dicitur *sub principibus Sacerdotum Anna et Caipha* Luc. III. 2, scilicet sub Caipha qui erat *pontifex anni illius*, et Anna eius socero, qui eius *Sagan*, seu vicarium agebat. Cum his vero non sunt confundendi *principes sacerdotum* ἀρχιερεῖς vel *Summi sacerdotes* in libris Esdrae, in Evangeliis et in Actis Apostolorum frequenter nominati, qui, ut supra innuimus, nihil aliud erant nisi principes, seu capita viginti quatuor familiarum sacerdotalium. Praeter istos nominatur etiam in Scripturis *Sacerdos castrensis*, cuius officium erat exercitum ante praelium exhortari, ut legitur Deut. XX. 2–4, qui speciali consecratione ad hoc officium eligebatur, ut Talmudistae referunt: de quo vide dissertationes duas in *Thesauro Ugolini* Tom. XII.

ARTICULUS II.

De reliquis ministris

Praeter ministros a Lege designatos de Tribu Levi, alii deinceps additi sunt, nempe servi sanctuarii, Nathinaei, et ministri synagogarum. De his postremis nonnulla diximus in capite praecedente: nunc pauca de reliquis.

I. Servi Sanctuarii initio hi erant qui voto se addixerant Sanctuario, vel a parentibus, aut a dominis huic ministerio mancipati fuerant: de his sermo est Lev. XXVII. 1–8, qui etiam pretio redimi poterant, ut ibidem dicitur. Iosue horum classi adiecit Gabaonitas ob fraudem qua stragem evaserunt, Ios. IX 23–29. Porro horum officium erat ligna caedere, aquam comportare, aliaque humiliora officia peragere ad usum Sanctuarii.

II. *Nathinaei*, hebr. נְתִינִים seu *donati*, initio quidem appellati fuerunt ipsi Levitae (Num. III. 9, VIII. 17 et 19, Deut. XXV. 52.), deinceps vero homines servitio templi addicti, qui post captivitatem spectabilem classem inter Iudaeos constituebant, et caeteris de populo praeferri solebant (1 Esdr. II. 54. 58, VIII. 20, 2 Esdr. X. 29, XI. 3). Quaenam vero eorum officia fuerint certo

non constat: certum tamen est eos ad officia sacerdotum et Levitarum admissos non fuisse, ideoque humilioribus tantum ministeriis functos fuisse, aut iis quae ad externum templi decorem et munditiem aut rerum materialium administrationem pertinebant: ita nonnulli existimant Salomonem eorum opera usum fuisse in templi aedificatione, ut innui videtur 1 Par. II. 17 seqq., XXII. 2. (De his vide dissertationem Dan. Pfeffingerii in Tomo XIII. *Thesauri* Ugolini).

III. *Stationarii* hebr. אַנְשֵׁי מַעֲמָד, seu *viri stationis* in Scripturis quidem non nominantur, sed consuetudine inducti sunt, ut practice impleri posset Lex, quae praecipiebat ut sacrificia offerentes propria manu victimam adducerent, et mactationi adstarent. Cum igitur publicum aliquod sacrificium pro populo offerretur, cum non posset totus populus adstare eligebantur quidam qui populum repraesentarent in eo ritu, et hi *Stationarii* dicti sunt. Talmudistae referunt hosce viros ex qualibet classe Israelitarum electos fuisse, et in varias sectiones distributos, quarum singulis *principes stationum* praeerant.

ARTICULUS III.

De Prophetis aliisque personis Deo sacratis

I. *Prophetae* apud Hebraeos imprimis aetate Regum specialem classem personarum sacrarum efficiebant, et peculiaribus officiis fungebantur praesertim in negotiis ad religionem spectantibus ex extraordinaria inspiratione a Deo accepta. Prophetae a Deo ipso eligebantur ex omnibus hominum classibus, et speciali etiam ritu plerumque consecrabantur, genus quoque vitae austerum sectabantur a tumultu civico, et frequenti hominum consortio separati. Discipulos quandoque habebant, saltem antiquiores et celebriores prophetae, ut Elias et Elisaeus, quibuscum communem vitam degebant coenobitarum more. Sed quoniam de his quantum satis est diximus in Introd. Critica Par. I. Sect. II. Cap. II. sufficiat haec innuisse.

Inter alias sacras personas extra tribum Levi speciatim nominandi sunt *Assidaei, Nazaraei, Rechabitae,* quibus etiam addi possent *Essenii,* et *Therapeutae.*

II. *Assidaei* nominantur saepe in libris Machabaeorum, scilicet 1 Mach. II. 42, VII. 13, 2 Mach. XIV. 6, ubi tamen non dicitur quinam fuerint, aut unde originem habuerint. Quoniam autem vox ista *Assidaei* hebr. חֲסִידִים *pios,* vel *Sanctos* significat, communiter creditur eos fuisse congregationem quamdam hominum religionem ac pietatem specialiter profitentium, quod quidem ea quae in citatis locis de iis referuntur profecto confirmant. Nonnulli (ut Serarius, Tirinus, Lamy) putant eos diversos non fuisse ab Esseniis de quibus inferius dicetur, Drusius autem (in opusculo *de Hasidaeis*) ostendere conatur Assidaeos olim appellatos fuisse, qui postea *Pharisaei* dicti sunt.

III. *Nazaraei* hebr. נְזִירִים ita vocati sunt a verbo נָזַר quod est *separari,* vel *consecrari,* quia voto se Deo consecrabant, alii quidem in perpetuum, ut Samson, et Iohannes Baptista speciali Dei iussu ad id vocati antequam in lucem ederentur, alii vero ad tempus, quo elapso peculiari ritu ad portam Tabernaculi, vel Templi a voti vinculo solvebantur. Nazaraei ob votum debebant: 1° a vino et sicera (idest quolibet potu inebriante) se abstinere, 2° barbam et comam non radere. Paulus ad declinandam invidiam Hebraeorum qui eum de contemptu Legis accusabant votum Nazaraeatus emisit, et cum aliis quinque Nazaraeis se in templo praesentavit (Act. XXI. 26 seqq).

IV. *Rechabitae* (a Rechab eorum patre ita dicti) in Scripturis ut pii et sancti viri celebrantur, quamvis de eorum origine et institutis pauca referantur. A vino et sicera abstinebant ut Nazaraei: possessionibus, ac praediis carebant, et procul ab urbibus in campis sub tentoriis quasi monasticam vitam agebant. Quando exercitus Nabuchodonosor Ierusalem obsidione cinxit, Rechabitae, relictis campis, in urbem se receperunt, ubi a Ieremia oblatum vini poculum recusarunt, atque ita rigidae observantiae exemplum praebue runt, ut narratur Ier. XXXV. 1 seqq.

ARTICULUS IV.

De religiosis iudaeorum Sectis

Coronidis loco quaedam hic innuenda sunt de variis sectis quae in postrema aetate apud Iudaeos ortae sunt, et tempore Christi et Apostolorum maxime vigebant, sunt autem sectae *Pharisaeorum, Sadducaeorum, Esseniorum, Therapeutarum, Herodianorum, Hemerobabtistarum.*

I. *Pharisaei,* quos nonnulli putant ab antiquis Hasidaeis originem traxisse, ut supra vidimus, praecipuam Iudaeorum sectam constituebant aetate Christi, sed et antea in epocha Machabaica celebres fuisse apparet ex Iosepho Flavio Antiq. XIII. 10. 5 seq. ubi narrat Iohannem Hircanum cum in sua iuventute Pharisaeorum sectae addictum fuisset ad castra Sadducaeorum transiisse, atque inde molestias, et incommoda familiae suae creasse, et ibidem cap. V. n. 9 affirmat sub Ionatha Machabaeo floruisse tres praecipuas sectas Pharisaeorum, Sadducaeorum et Essenorum.

Pharisaeorum secta ceteris potentior erat cum ad eam multi viri nobiles,ac docti, plures quoque illustres foeminae pertinerent,et affectata morum severitate apud populum in magna veneratione essent; quo favore elati saepe tumultus excitarunt, et ipsis principibus ac regibus formidabiles evaserunt. Ad theoreticam doctrinam quod attinet Pharisaei Providentiam Dei admittebant (quamvis Iosephus dicat eos *fatum* admisisse, sed benigne explicandum est), animae humanae immortalitatem, et corporum resurrectionem, item *metempsychosim* (Ioseph. Antiq. XVIII.. 1. 3, Matth. XIV.2, XVI. 14, Io. IX. 2. 24),spirituum tum bonorum, tum malorum existentiam, denique Legis Mosaicae ritus vim iustificandi habere, et neminem Iudaeorum damnari posse (Ioseph Bel. Iud. II. 814, Iustinus Dial. cum Tryph.) Ad moralem vero doctrinam et praxim quod attinet, Pharisaei in multis peccabant, de quibus severe a Christo reprehensi sunt, scilicet Legi admiscebant traditiones humanas, easque plus aequo extollebant, et tamquam peccati reos traducebant qui eas negligerent (1), vel etiam per eas legis spiritum deprava-

(1) Ex. gr. non lotis manibus cibum sumere (Mat. XV.) 2, 3, item alia enumerata Mar. VII. 3-7.

bant (1): morum sanctitatem affectabant,et exterioribus actibus aestimationem plebis sibi conciliare studebant Matth. VI. XXIII.5. 14.29; in Legis observantia multa rigide praecipiebant *alligantes onera importabilia,* et ipsi plura observabant, ut bis in hebdomada ieiunare (feria II et feria V.), a peccatorum consortio et convivio abstinere, opera quaedam vitare die sabbati quae lege non vetabantur etc. Simul tamen negligebant spiritum legis, et internam cordis munditiem, ac superbe ceteros despiciebant. (Mat. XV. 6, XXIII. 13–28).

II. *Sadducaei* altera erant Iudaeorum secta, a Pharisaeis in multis discrepans, iisque saepe infensa. Apud populum non bene audiebant ob erroneas doctrinas, et laxiora morum principia. Negabant scilicet existentiam angelorum, et omnium spirituum praeter Deum (Act. XXIII. 8); immortalitatem animorum (Ioseph. Bel. Iud. 11. 12); corporum resurrectionem (Mat. XXII. 23, Act. XXIII. 8); repudiabant omnes Doctorum, et Rabbinorum traditiones, et (iuxta Hieronymum comment. in Matth. XXII. 32) etiam Libros Prophetarum, quod tamen alii negant. Hinc Iosephus Flavius Antiq. Lib. XV. c. 10 n. 4 comparans Iudaeorum sectas cum Graecorum scholis non immerito confert Sadducaeos cum Epicuraeis, Pharisaeos autem Stoicis, cum Pithagoricis demum Essenios.

III. *Essenii* (vel *Essaei*) et *Therapeutae* vix aliter ab invicem distinguebantur quam gente, ac patria: Therapeutae enim in Aegypto degebant, et graece loquebantur, Esseni vero in Palaestina, et dialectum Syro–Chaldaicam retinebant: ceterum in doctrina et in vitae ratione vix, aut ne vix quidem discrepabant. De his agit Philo in Lib. de *Vita Contemplativa,* et in Lib. *Quod omnis probus liber.*

Doctrina Esseniorum et Therapeutarum cum puriore doctrina Pharisaeorum speculativa conveniebat in admittenda scilicet Providentia Dei, immortalitate animarum, et corporum resurrectione: attamen visi sunt iuramentum reprobasse, et sacrificia cruenta.

(1) Ita praeceptum de honorandis parentibus depravabant subtrahentes illis auxilium, et opes quibus eos sustentare debuissent, sub specie pietatis, scilicet consecrando seu vovendo illas Deo. (Mat. XV. 3. seqq.) Item docebant non esse verum iuramentum iurare per templum, aut altare, sed iurare in auro templi, vel in dono altaris obligationem inducere. (Mat. XXIII. 26-22.)

Vitae autem genus ducebant contemplativum et monasticum; urbium rumores fugiebant vel in pagis habitantes, ut Essenii, vel omnino in sylvis, aut agris, ut Therapeutae; in precibus et piis lectionibus assidui erant, Scripturas mystice et allegorice passim exponebant, statis horis parcum in communi mensa cibum sumebant, coelibatum servabant, et licet Therapeutae puellas etiam in suam professionem reciperent, hae tamen virgines manebant, et separatae a viris degebant; bona etiam communia habebant; demum ad professionem sectae non admittebantur nisi post longam probationem. Haec ex Philone, et Iosepho (Antiq. XV. XVII. XVIII).

IV. *Herodiani* una cum Pharisaeis nominantur aliquando in Evangeliis Mat. XXII. 16, Mar. III. 6, XII. 13: de iis loquitur etiam Epiphanius in *Panario* Haeres. XX. quae est VII Iudaismi. Quinam fuerint, et cuius professionis homines non una est eruditorum sententia. Alii cum laudato s. Epiphanio putant eos ita dictos fuisse quia crederent Herodem Magnum esse Messiam promissum; alii quod crederent Messiam esse Herodem tetrarcham, (ita Euthymius, Philastrius, Theophylactus). Verum probabilior est Hieronymi sententia, quam etiam recentiores plerique sequuntur, eos Herodianos appellatos eo quod contenderent Iudaeos Romanorum imperio subiectos esse oportere, et tributum Caesari solvendum esse, quod multi praesertim Pharisaeorum vel negabant, vel in dubium vocabant. (Hieron.in Mat. XXII): hoc enim ab Herode M, qui regnum a Romanis acceperat inductum fuerat. Ad hanc controversiam respicit locus Evangelii Mat. XXII. 17 seqq.

V. *Hemerobabtistae* ab Epiphanio nominantur op. cit. Lib. 1. haer. 17. Ita a Graecis nominati sunt, quod quotidianis corporis ablutionibus uterentur, fortasse ob exaggeratum munditiae legalis studium, vel quod mysterium in hoc latere existimarent.

De *Hellenistis* et de *Proselythis* non est hic dicendi locus cum hi proprie sectas religiosas non constituerent.

CAPUT IV.

De Rebus sacris.

De sacris vasis ac utensilibus in capite I diximus, de sacris vestibus in capite praecedente. Nunc breviter dicendum de sacrificiiis de primitiis, et decimis, ac de ritibus.

ARTICULUS I.

De sacrificiis veteris Legis.

Cum res aliqua in obsequium Dei offertur simpliciter *oblatio* dicitur, cum vero etiam destruitur aut quomodocumque immutatur ad testandum supremum Dei super nos resque nostras dominium proprie *sacrificium* vocatur, quod proinde soli Deo offerri potest, et est supremus actus illius cultus qui latriae dicitur: huic offerendo speciales ministri destinantur, qui *sacerdotes* dicuntur, ita ut ideae sacerdotii et sacrificii correlativae sint. Hinc est quod Divina religio nunquam sine sacrificiis ac sacerdotibus extiterit. Et quidem sub lege naturae memorantur Sacrificia Abelis, Caini, Henoch, Noe,Melchisedech, Abraham et reliquorum Patriarcharum. In lege vero scripta seu Mosaica plura sacrificia in specie praecepta fuerunt, quorum pleraque describuntur in libro Levitici a cap.I. usque ad VI.Huiusmodi sacrificia alia erant cruenta,alia vero incruenta, rursus cruenta alia erant expiatoria, quae in Scripturis vocantur sacrificia *pro peccato* alia vero Eucharistica quae *pacifica* dicebantur, rursus alia ex parte tantum igne comburebantur, ceterum in cibum tum offerentium, tum Sacerdotum cedebant, alia vero integra comburebantur, et ideo *holocausta* vocata sunt. Incruenta vero sacrificia in rebus inanimatis offerebantur, quorum etiam variae erant species. De his breviter dicendum, et primum quidem in genere, tum vero in specie,et postremo nonnulla de oblationibus ac votis.

§ I. *De Sacrificiis mosaicis generatim inspectis.*

I. *Materia sacrificiorum* in lege praescripta erat, et pro cruentis quidem non quaelibet animalia, sed sequentes tantum species:

bos, ovis, capra, columba et turtur. Oportebat autem ut haec animalia integra essent et sine vitio, item nec octo diebus iuniora, nec triennio maiora, demum masculini sexus, exceptis volucribus, in quibus aetas et sexus non attendebatur. Generatim boves trimi immolabantur, oves vero et caprae anniculae. Pro sacrificiis vero incruentis materia praescripta erat farina triticea, quae *simila* in Vulgata dicitur, panis triticeus, spicae hordeaceae, et vinum, praeter oleum, sal, et thus, quae in oblationibus saepe admiscenda erant. Mel et fermentum generatim a sacrificiis excludebantur, nec unquam altari imponenda erant (Lev. II. 10, 12).

II. *Locus* sacrificiis offerendis destinatus erat Tabernaculum, et deinde Templum, quod severe praecipitur Lev. XVII. 1-10, et Deut. XII. 13 seqq. sub mortis poena: ad hoc autem altare extructum erat in atrio ante ostium sanctuarii, quod quidem stabilitum est tum ad Hebraeos ab idololatria facilius arcendos, tum ad unitatem religionis et cultus significandam, et fovendam. Non desunt tamen exempla Prophetarum, qui extraordinaria quadam oeconomia sacrificia in aliis locis obtulerunt, ut ex. gr. Samuel in campo Bethlehem 1. Reg. XVI. 1–5, et Elias in monte Carmelo 3 Reg. XVII. 32 seqq.

III. *Ritus sacrificiorum* aliquando speciales erant pro variis victimis ac solemnitatibus. Generatim tamen in sacrificiis cruentis haec servanda erant. 1° Offerens victimam in atrio ante altare Domini praesentare debebat Lev. I. 3, III. 1. XVII. 4. 9. 2° Manum capiti victimae imponebat, vel si victima pro populo offerebatur, manus a senioribus nomine multitudinis imponebantur (Lev. 4, IV 13-15), quo significabatur victimas in locum offerentium substitui, qui etiam si pro peccato vel delicto victimam offerebant illud coram Sacerdote confiteri debebant. 3° Victima a Sacerdote regulariter offerenda erat, aut saltem Sacerdos sanguinem animalis cratere exceptum circa altare fundebat, et in die expiationis etiam in Sanctum Sanctorum inferebat, et aspergebat (Lev. I. 5. III. 3) 4° Levitae et Sacerdotes, detracta pelle victimae, eam dissecabant in partes, ex quibus in ordinariis sacrificiis renes tantum, et adeps intestinorum igne cremabantur, reliqua vero partim offerenti reddebantur, partim sacerdotibus cedebant, eaque in atrio vel in templo comedenda erant, in holocaustis vero integra victima igne con-

sumebatur (Ex. XXIX. 13, 22,Lev. III. 4, 1 Reg. 3–7). 5° Victimis animalium generatim addenda erant farina triticea oleo,ac thure commixta, vel simpliciter coniuncta pro variis sacrificiis, ut legitur Num. XV. 3–12, XVIII. 7 seqq.

§ II. *De Sacrificiis et oblationibus in specie.*

I. *Holocausta.* Haec vox graeca significat ea sacrificia in quibus victima tota comburebatur, quae in textu hebraico dicuntur עוֹלוֹת Erant autem apud Hebraeos, quemadmodum et apud paganos, praecipua et maxima inter sacrificia.(Lev.I.3 seqq.).Horum multa praescripta erant in Lege Moysi, alia quidem quotidiana, alia statis temporibus offerenda, alia pro universo populo, alia pro privatis personis, quibus etiam integrum erat holocausta voluntaria offerre sive sponte, sive ex voto. 1° Holocaustum quotidianum erant duo agni quotidie offerendi pro universo populo, alter mane ante quaelibet alia sacrificia, alter vespere post reliquorum oblationem. Ideo hoc holocaustum dicebatur *juge sacrificium,* vel *holocaustum perpetuum.* Cetera offerebantur variis temporibus,ut 2° a Nazaraeis vel inopinato immunditiam contrahentibus, vel absoluto Nazaraeatus tempore (Num.VI. 11-16) 3° Ab iis qui a lepra mundati fuerant (Lev. XIV. 20, XV. 15); 4° A mulieribus in die purificationis (Lev.XII. 6 et 8); 5° Pro peccato vel Summi Sacerdotis, vel populi, ut infra videbimus. Victima ad septentrionem altaris mactabatur, et sanguis circa basim altaris fundebatur, tum vero integra cum farina, et oleo altari superpositis cremabatur, quod tamen aliquando fiebat extra castra, vel urbem,ut in holocausto pro peccato Pontificis et pro peccato populi in die magno expiationis (Lev. XVI).

II. *Sacrificia pro peccato et pro delicto.* Haec duo distinguuntur in Scripturis, quamvis non clare pateat in quo haec distinctio collocanda sit. Victimae pro peccato, quae et ipsae peccatum חַטָּאוֹת חַטָּאת vocabantur diversae erant pro personarum et peccatorum diversitate. Summus Sacerdos et populus immolabant iuvencum Lev. IV. 3 seqq. 13 seqq. Magistratus hircum ib IV. 23; privati arietem, vel ovem ib. 27 seqq. Peccata vero seu delicta pro quibus haec sacrificia erant offerenda enumerantur Num. IV. 1–26, Lev. III. 1–16 V. 20–26 XIX. 20–22. Saepe tamen pro peccato intelligenda est tantum legalis immunditia: ita sacrificium pro peccato praescriptum erat puerperis, completis diebus 40 post nati-

vitatem filii, et 80 post filiae ortum, quae offerre debebant unum turturem aut pullum columbae, et in holocaustum arietem, si vero pauperes essent alium turturem, aut columbam Lev. XII. 6 seqq. Luc. II. 24. Leprosis sanatis offerendus erat hircus, aut ob paupertatem turtures, sive columbae Lev. XIV. 10–14; Nazaraeis inopinate contaminatis turtur aut pullus columbarum Num. VI. 10 seqq. Hisce, ut diximus, alia addi poterant ob devotionem, aut poenitentiam praeter Legis praescriptum.

III. *Sacrificia Eucharistica, seu pacifica.* Haec quidem offerebantur in gratiarum actionem ob accepta a Deo beneficia sive publica sive privata, vel ad nova beneficia a Deo impetranda. Victimae pacificae erant iuvenci, vaccae, oves, agni, caprae et hirci. Horum pars cremabatur in altari, cetera ab offerentibus, et a Sacerdotibus comedebantur. Horum sacrificiorum descriptio habetur Lev. III. Sacrificiis pacificis accenseri quodammodo possunt sacrificia *foederum,* scilicet ad pacta firmanda oblata. Qui mos etiam paganis communis erat, unde ipsum nomen *foedus* deductum dicitur a foedis vulneribus victimarum, ut putat Servius ad Aeneidos lib. VIII. v. 641, hinc etiam latinorum dictio *foedus ferire, icere, percutere,* et similis graecorum ορκια τεμνειν. Quare etiam *Antiquum foedus* inter Deum et populum hebraeorum initum sanguine victimarum confirmatum est per Moysen Ex. XXIV. 3–8 et *Novum foedus* ipsius Christi morte ac sanguine sancitum est. Huiusmodi sacrificia occurrunt in historia Abrahami Gen. XV. 8–9 17. 18, Gen. XXI. 24, et serius in historia Sedeciae regis Ier. XXXIV. 18 seqq. et alibi.

IV. *Sacrificia incruenta.* Praeter farinam, oleum, et thus, quae solebant cum victimis offerri, speciatim ad sacrificia incruenta pertinebant. 1° Duodecim panes propositionis singulis sabbatis oblati Lev. XXIV. 5–9, qui a solis sacerdotibus comedi poterant in sanctuario. 2° Manipulus hordei qui in secundo die Paschatis offerebatur Lev. XXIII. 10. 3° Primitiae panum in die Pentecostes ib. 17–20. 4° Farina a pauperibus in sacrificium pro delicto offerenda Lev. V. 11–13, 5° Libamen, seu oblatio et effusio vini circa basim altaris (Num. XV. 28 Ios. Antiq. III. cap. 9. seqq.)

ARTICULUS. II.

De Primitiis Decimis ac Votis.

Primitiarum ac decimarum oblatio in honorem Dei, ipsa natura dictante, apud veteres populos in usu erat. Apud Hebraeos autem haec lege determinata ac praescripta fuerunt, et sub generico nomine *oblationum* designari possunt.

I. *Primitiae* dicuntur primi fructus vel prima oblatio novorum fructuum Deo facta. Porro Hebraei Deo offerre debebant 1° Primogenita animalium, imo et hominum primogenitos (Num XVIII.15-18, Lev. XXVII. 26–29). Ad homines quod attinet primogeniti masculini sexus Deo offerendi erant, quod plerumque in purificatione matris,exacto die quadragesino, fiebat: qui tamen statim redimebantur oblato sacerdotibus pretio, quod quinque siclos, excedere non poterat (Ex. XIII. 2, 13). Primogenita boum, caprarum et ovium in sacrificium offerenda erant ab octavo die usque ad annum aetatis, et ex eis praefinitae partes cremabantur, reliquae vero sacerdotibus cedebant. Aliorum vero animalium primogenita vel pretio redimenda erant, vel agno aut ove permutanda, vel occidenda. 2° Primus hordei manipulus altero die paschatis, et primi panes die Pentecoste offerendi nomine populi, ut supra vidimus. 3° Primitiae uvae, fructuum arborum, cerealium, mellis et vellerum a singulis Iudaeis offerendae erant. Omnes hae primitiae in manibus Sacerdotum solvebantur, sive in Templo, ut plerique existimant, sive, ut multi volunt, ubicumque sacerdotes occurrerent, cum rationem sacrificii non haberent.

II. *Decimae,* seu decima pars fructuum ab Hebraeis solvendae erant ad ministrorum sustentationem, et divini cultus conservationem (Lev. XXVII. 30 seqq. Num. XVIII. 28–30): simul tamen ut oblationes sacrae habendae sunt, quia in Dei honorem offerebantur, ut expresse dicitur loc. cit. Decimae Levitis tradendae erant, quibus ipse Deus decimas assignaverat loco possessionum quae aliis tribubus fuerant concessae (Num. XIV. 29). Ex his vero Levitae rursus decimam partem Sacerdotibus tradere debebant. Res autem decimandae erant tum fructus arborum,ac terrae fruges,

tum domestica animalia, scilicet boves, et caprae. Porro haec ita decimari debebant: singula ante pastorem transire per ordinem cogebantur, qui decimum quodque caput virga tangebat, quod illico in decimam Domino separandum erat, sive bonum sive malum esset, nec cum alio commutari poterat, secus utrumque Levitis cedebat (Num. XXVII. 32–33). Decimae fructuum ac frugum redimi poterant, soluto nempe pretio et quinta pretii parte addita (ib. 31) (1).

III. *Vota* נֶדֶר, נְדָרִים dicebantur ea quae praeter legis praescriptum Deo promittebantur. Poterant autem voveri vel personae, vel animalia, aut res inanimae, aut actiones quaedam sive ponendae, sive omittendae. Generatim vero res ita consecratae pretio redimi poterant, exceptis tamen animalibus sacrificio idoneis, quae omnino mactanda erant, et iis rebus quae devotae fuerant per *Hherem* seu *anathema*. Si quis se ipsum, vel alium voto vovisset Tabernaculi aut templi servitio mancipatus erat donec redimeretur. De voto Nazaraeorum superius diximus.

His addi possent preces publicae, et generatim alii *sacri ritus* legis Mosaicae. Sed quoniam haec maxima ex parte indicata fuerint, ubi de sacrificiis, vel de locis sacris tractavimus, alia vero, ut ex. gr. circumcisio, omnibus nota sint, de his speciatim agere praetermittimus.

SECTIO III.

DE ANTIQUITATIBUS POLITICIS (2).

Breviter dicemus 1° de republica hebraeorum eiusque indole generatim ubi de regibus, eorum ministris, et de aliis magistratibus, 2° de iudiciis ac de iure poenali, 3° de re militari hebraeorum. 4° De monetis, ponderibus ac mensuris, quae cum sociali populorum vita intime connectuntur.

(1) Decimarum solutio haud primo per legem Moysi inducta est: antea enim sub lege naturae videmus Abraham decimam de praeda Melchisedecho sacerdoti obtulisse (Gen. XIV. 20,) et Iacob Decimas omnium proventuum suorum Deo vovisse, Gen. XXVIII. 22, idque eius quoque posteros servasse Gen. XXXV. 1-15. Quin imo et apud ethnicos hoc in more positum fuisse tradunt Herodotus hist. lib. I. cap. 5 et 77 et Diodorus Sic. lib. XX. cap. 14.

(2) Cf. imprimis Io. Menochium: *De republica Hebraeorum.*

CAPUT I.

De Hebraeorum republica

Hebraeorum reipublicae hoc proprium et peculiare fuit, quod ab ipso Deo immediate regeretur, quod vulgo *Theocratia*, seu regimen theocraticum vocari solet. Scilicet Deus ipse gentem Hebraeorum sibi elegerat in haereditatem, portionem ac peculium, ipse tamquam rex Hebraeorum sese exhibuit cuius veluti regia domus fuit primum Tabernaculum, deinceps Templum, cuius ministri essent sacerdotes ac levitae qui eius nomine decimas a subditis perciperent, ac denique leges tradidit per Moysem, non modo sacras ac religiosas, sed etiam politicas ac iudiciales quibus tota hebraeorum agendi ratio etiam in civilibus ac temporalibus negotiis regebatur, ita ut magistratus Hebraeorum potius quam legislatores dicendi essent executores ac custodes seu vindices legislationis divinae. Haec porro theocratica regiminis forma solemni pacto proposita et acceptata fuit in promulgatione legis quando per Moysen totus populus solemni iuramento Deo regi obedientiam promisit (Ex. XXI. 24 Deut. XXVII. 30).

Hinc etiam fiebat ut populus Hebraeorum a ceteris gentibus plus minus seiunctus ac separatus viveret ad quam separationem tendebant ipsa Legis mosaicae instituta ac ritus quinimo expresso Dei iussu vetitum erat cum plerisque finitimus gentibus vel foedus inire, ut cum Chananaeis, Philistaeis Amalecitis, Moabitis et Ammonitis) Ex. XXIII. 32 seqq. Deut. VII. 1–11. XX.1–18, XXV. 17. Iud. VI. 3–5 etc.). Cum aliis vero populis foedus inire non vetabatur: quare videmus David et Salomonem cum regibus Phoeniciis foedus iniisse, et Machabaeos cum Romanis et Spartanis: si quando autem Prophetae reprehenderunt foedera cum Assyriis vel Aegytiis (Is. VII. XXVI. 37 Os. V. 8 VII. 11 XII. 1 seqq.) hoc non fecerunt quasi ea foedera lege prohiberentur, sed quia in illis adiunctis argumentum erant diffidentiae erga Deum sui populi custodem ac vindicem.

ARTICULUS I.

De varia regiminis forma apud Hebraeos.

I. *Regimen patriarchale.* Postquam Abraham primus Hebraeorum pater ex Chaldaea egressus in terram sibi a Deo promissam migrasset ibidem sedem fixit, et numerosa familia auctus est. Quamvis autem inter Chananaeos tamquam vir potens, et princeps nobilissimus haberetur (Gen. XXIII. 6.), pastoralem tamen vitam nunquam reliquit, quod etiam eius posteri usque ad Moysen servarunt. Patriarchae itaque supremum quidem regimen in totam familiam, quae decursu temporis in tribum excreverat, gerebant, sed illud paternum potius quam politicum erat in posterorum reverentia, virtutis amore, et summa morum simplicitate fundatum. Hoc est quod dici solet *regimen patriarchale*. Multiplicatis familiis, singulae quidem suum caput habebant, qui *seniores,* vel *principes populi* dicebantur, simul tamen communem quemdam rectorem agnoscebant, cui omnes suberant, uti innuitur Num. I. 16, III. 24, XXX. 35. Hanc regiminis formam Hebraei retinuerunt etiam in Aegypto, ubi licet in ingentem populum excrevissent, et Pharaoni subiecti essent, ab Aegyptiis tamen separati in terra Gessen suis moribus vivere permittebantur Ex. III. 16, V. 1, 14, XV. 19. (1)

II. *Regiminis forma sub Moyse ac Iudicibus.*

Moyses a Deo electus ut populum ex Aegypto ereptum in terram promissam induceret supremum regimen assumpsit, quod quidem a patriarchali diversum erat: Moyses enim tamquam Dei legatus potestatem etiam legislativam, et omnino absolutam accepit, iudex supremus populi, et belli quoque dux factus est. Cum autem non posset ipse unus totius multitudinis causas cognoscere, lites dirimere, et sontibus poenas irrogare, socer eius Iethro sacerdos Madian sapiens ei consilium dedit, ut, gravioribus causis sibi reservatis, ceteris iudices de populo electos praeficeret: quod et fecit, electis de cuncto Israel viris probis ac prudentibus, quos « con-

(1) Patriarchale vitae genus in quibusdam Orientis partibus, imprimis Syriae, Palestinae et Arabiae adhuc viget: eiusque consideratio biblicas narrationes apprime illustrat et confirmat.

stituit *principes populi, tribunos et centuriones, et quinquagenarios,* et *decanos,* qui iudicabant plebem omni tempore: quidquid autem gravius erat referebant ad eum, faciliora tantummodo iudicantes » (Ex. XVIII. 13–26). Ex his porro Deus postea elegit septuaginta viros, quos Moysis spiritu donatos illi adiutores dedit in generali reipublicae administratione (Num. XI.–26). Hoc igitur sub Moyse regimen Hebraeorum fuit. Sub Iosue fere eadem regiminis forma mansit: occupata tamen ac distributa terra Chanaan, Iosue per singulas civitates magistratus ac iudices constituit Ios. XX. 4–6, idque secundum Moysi iussum Deut. XVI. 18 seqq. Idem plus minus regimen mansit in epocha Iudicum, qui populi duces ac defensores fuerunt, legisque Moysi custodes, sub quibus minores iudices, principes populi, ac magistratus multitudinem regebant. (Vide dicta in Introd. crit. Par. I. Sec. II. Cap. II. Art. I.) Quod quidem regimen nec Patriarchale tantum erat, nec monarchicum, sed ex utroque quasi temperatum (Iud. XXI. 24). Iudicia prope portam civitatis agebantur, ut passim Scriptura testatur (Ios. XX. 4, Ruth. IV. 1 seqq. etc.).

III. *Forma gubernii sub Regibus.*

Notum est sub Iudicatura Samuelis Iudaeos regem sibi postulasse ad modum aliarum gentium (1 Reg. VIII. 5 seqq.), quod olim Moyses praeviderat, ac praedixerat (Deut. XVII. 14). Cum autem Samuel frustra tentasset ab huiusmodi consilio eos avertere, iis non audientibus, consulto Domino, eis Saulem regem constituit, et sacro oleo inunxit. Exinde usque ad captivitatem babylonicam Hebraeorum regimen monarchicum fuit, quin tamen desineret esse Theocraticum. Ius enim regium a lege Moysi pendebat, nec quidquam ex divino codice immutare etiam in rebus politicis licebat. Praeterea nulla in res sacras potestas regibus inerat, et ubi ipsi suo officio deerant a Prophetis severe reprehendi solebant, ut legimus in Saule, Davide, Achaz, Manasse et aliis, saepe etiam divinitus immissis flagellis puniebantur, ut modo memoratis regibus, itemque Oziae et aliis accidit. Reges ad reipublicae administrationem iudicibus ac magistratibus utebantur per varias urbes constitutis, plus minus ut in epocha praecedente. Regia tamen dignitas secumferebat plura alia officia, aliosque plures regios ministros vel aulicos, quorum praecipui erant sequentes. 1° *Magister* vel *prae-*

fectus palatii regis (2 Paral. XIX. 11, Is. XXII. 15, 21, 22). 2°) *Mazchir* מַזְכִּיר cuius officium erat vel gesta regum in annales referre, ut nomen significare videtur, vel consilia praebere, uputat Calmet, vel utrumque simul: forte idem erat ac officium *magni Cancellarii* in aulis regum occidentalium. 3°) *Secretarii* seu *notarii* סֹפְרִים ad quos pertinebat regum edicta vel epistolas scribere, reddituum, ac expensarum rationem habere, imo etiam militum, ducum exercitus etc. Horum officium latius patebat, et saltem primus inter eos nobilitate et potestate maxima pollebat (4 Reg. XXV. 19, Is. XXXIII. 18, Ier. XXXVI. 12). Distinguendi apprime sunt isti sopherim regii, a Sopherim seu *scribis* qui Legis studium et scientiam profitebantur tamquam gentis doctores et iurisperiti; de quibus frequentior est mentio in posterioribus V. T. Libris, et in Evangeliis. 4°) *Scioterim* שׁוֹטְרִים, qui in Vulgata *magistri* vocantur (Deut. XVI. 18, XVII. 8–12) qui olim officium habebant scribendi et servandi genealogias, deinceps vero sub Regibus etiam praeconum, apparitorum, aut ministrorum iustitiae officio fungebantur. 5°) *Consiliarius regis* (יוֹעֵץ): Reges Persarum septem consiliarios habuisse legimus (1 Esdr. VII. 14, Esth. I. 14, 19, Dan. VI. 8, 13). 6°) *Praefecti* super redditus, et tributa. 7°) *Praefecti curruum* et *equorum* (3 Reg. IX. 22). 8°) *Eunuchi,* qui plerumque extranei erant, sed saepe magnam potestatem in aula regum adipiscebantur (4 Reg. XXV. 19, Is. XXXIX. 7). Praeterea exercitus duces, excubiae militares et alii de quibus in cap. III. dicemus.

IV. *Forma regiminis post regni Iuda eversionem.*

Iudaei in Babyloniam asportati ibi regibus Babyloniae servire coacti sunt, quod tamen non ita intelligendum est quasi mancipia Chaldaeorum evaserint: contrarium enim ex Scriptura apparet, ubi videmus Danielem in aula Regum potentem fuisse, et tres eius socios provinciis a Rege praefectos (Dan. II. 48, 49): constat etiam Iudaeos plus minus suis moribus vixisse, et iudices etiam causarum habuisse, ut apparet ex historia Susannae. Nihilominus tamen dura fuit eorum conditio, quatenus autonomia carebant, et a patria abesse cogebantur, quod etiam regularem Legis Moysi observantiam, utpote quae Ierosolymae et templo adnexa erat, impediebat.

Iudaeis in patriam reversis concessum non est suos reges habere;

nihilominus tamen quaedam eis autonomia a regibus Persarum relicta fuit, ita ut sub alta eorumdem regum dominatione permitterentur legem Moysi observare, et summis Sacerdotibus parere, non in sacris modo, sed etiam in rebus civilibus, ut ex libris Esdrae, Nehemiae, Paralipomenon ac Iudith luculenter apparet. Quare hoc regimen a multis vocatur regimen *Pontificum*. Post Persarum dominationem Iudaei inciderunt in dominationem Graecorum, a quibus aliquando fere in servitutem redacti sunt. Post Machabaeorum praelia tandem plenam autonomiam recuperarunt, et suos reges iterum habuerunt Iohannem Hircanum, et eius posteros, qui simul etiam summi Sacerdotes erant. Attamen post breve tempus Romani potestatem in Iudaeos adepti sunt, qui quidem aliquando regem illis dabant, aut principes, non tamen omnino a Caesare independentes, aliquando Iudaeam in provinciam redactam per suos praesides vel procuratores administrabant. In hac postrema politica conditione Evangelium praedicatum, et Christi Ecclesia fundata est. Tunc temporis non omnis potestas a Iudaeis sublata erat, habebant enim summos Pontifices, et tribunalia, imprimis Synedrium supremum tribunal, ubi causae secundum Legem Moysi cognosci ac dirimi poterant, poenales etiam sententiae non modo ferri, sed etiam executioni mandari, exceptis tamen capitalibus (Matth. XXVI. 59, Mar. XIV. 64 seqq., Act. IV. 5 seqq., V. 17–18, 40 seqq., IX. 2, Io. XVIII. 34). Ad quem finem militum custodia illis concedebatur (Matth. XXXVII. 65), et tributum a populo exigere poterant ad templi usum. Ceterum tum reges a Romanis electi, tum procuratores Romani Legis Moysi observantiam non solum non impedire, sed potius fovere, saepe etiam affectare satagebant.

CAPUT II.

De Potestate iudiciaria et coactiva.

Breviter dicemus primo de ipsis iudicibus et variis Tribunalibus Hebraeorum, tum vero de iudiciis eorumque forma, demum de delictis ac poenis.

ARTICULUS I.

De Iudicibus ac tribunalibus Hebraeorum.

I. Magistratus ac iudices ex populo eligendi erant, qui morum probitate, amore iustitiae, atque animi integritate absque partium studio, aut personarum acceptione causas dirimere possent (Ex. XVIII. 21–25, Lev. XIX. 15, Deut. XVI. 18, 19, XVII. 19, 25). Illud autem iudicibus persuasum esse debebat se nihil contra vel praeter Legem definire posse, omnia enim quae ad iudicia et poenas pertinent per legem statuta erant. Quare eorum iudicium *Dei iudicium* vocabatur Deut. I. 17, 2 Par. XIX. 6.

II. Porro iudices inferiores a superioribus distinguendi sunt. Initio quidem iudices a Moyse constituti minores causas dirimebant, maiores vero ad ipsum Moysen deferre debebant, cui quidem septuaginta consultores seu assessores dati sunt, ut supra vidimus. Hoc itaque tunc temporis supremum tribunal constituebat. Deinceps, vero cessante illorum seniorum extraordinaria potestate, suprema potestas ordinaria quidem penes caput reipublicae, vel eius loco apud summum Pontificem residebat, extraordinaria vero in comitiis generalibus, quae in gravissimis quibusdam circumstantiis tubarum clangore convocabantur durante peregrinatione per desertum, deinceps vero per nuncios indicebantur (Num. X. 24, Ios. XXIV. 1., Iud. XX. 1, XXVII. 28, 1 Reg. X. 17, XI. 14 seqq.). Demum regia potestate instituta, ad ipsum regem suprema potestas devoluta est, qui tamen in nonnullis maioribus causis ex summi Pontificis consulto sententiam ferre debebat.

III. Tribunalia recentiori aetate post reditum ex captivitate Babylonica triplicis ordinis fuerunt, secundum Iudaeorum traditionem, scilicet infimum, medium et supremum. Infimum tribus iudicibus constabat, et in pagis exiguisque Hebraeorum communitatibus iudicia agebat; medium erat consessus viginti trium iudicum pro maioribus civitatibus, qui a nonnullis synedrium parvum vocatur. Primum ex hisce tribunalibus nonnisi leviores causas cognoscere poterat, nec poenas irrogare ultra flagellationem, et mulctas leviores: alterum vero causas etiam graviores dirimere, et poenam capitalem infligere. Supremum vero tribunal Ierosolymae

institutum erat *magnum Synedrium,* hebr. סַנְהֶדְרִין *Sanhedrin*, quod quidem nonnisi in extrema aetate Machabaeorum institutum fuisse alias vidimus, quidquid dicant Rabbini qui eius antiquitatem exaggerantes originem habuisse putant ab illo seniorum consessu quem Moyses Dei iussu constituisse dicitur (Ex. XVIII, 13-26.) Synedrium hoc magnum iudicibus 71 constabat ut docent Talmudistae in Tract. *Sanhedrin,* quorum unus praeses erat et vocabatur הַנָּשִׂיא *Hannasi*: qua dignitate plerumque ipse summus Pontifex fungi solebat: huic assidebant ad dexteram et ad sinistram alii duo, quorum alter dicebatur אַבִי בֵית דִּין seu *pater domus iudicii,* alter vero הַחָכָם *Hahhacham* seu *sapiens*. Alii iudices synedrii ordines complectebantur, nempe 1° *Principes Sacerdotum,* ἀρχιερεῖς, quibus, uti videtur, de iure hoc officium competebat: 2° *Seniores,* πρεσβυτεροι, seu capita tribuum et familiarum; 3° *Scribae* γραμματεῖς seu legis periti, qui tamen, quemadmodum et seniores, non omnes, neque ipso iure, sed per electionem in synedrium admittebantur. Sedebant autem ordine ad dexteram et ad sinistram sedis *Hannasi* per semicirculum, ut refert Maimonides, et tempore Herodis magni in magnifica aula *Gazith* dicta conventus suos tenebant prope Templum. De hoc Synedrio pluries in N. T. sermo fit sub nomine *Concilii,* in quo et Christus Dominus iudicatus ac damnatus fuit, et Apostoli reprehensi ac flagellis caesi sunt (Matth. XXVII. 1, Mar. XV. 1, Act. IV. 5 seqq. 15 seqq. V. 21, 41, VI. 12 seqq.) Ad hoc etiam supremum tribunal, et ad illud inferius 23 iudicum respiciebat Christus notis illis verbis Matth. V. 22: « Ego autem dico vobis: quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit *iudicio* (tribun. infer.): qui autem dixerit fratri suo raca, reus erit *concilio* (synedrio): qui autem dixerit; fatue, reus erit gehennae ignis ». Potestas Synedrii initio quidem absoluta erat ac independens, causasque omnes etiam capitales dirimere poterat, imo nonnullae ipsi reservatae erant, ut de crimine apostasiae totius urbis vel tribus, de simulata prophetia, de bello voluntarie indicendo, et aliae a Rabbinis enumeratae: ad illud etiam pertinebat secundum Talmudistas approbare missionem Prophetarum, demum etiam capitalem poenam decernere et executioni mandare. Verum Romani in nonnullis limitarunt synedrii iura, imprimis circa causas capitales, in quibus cognitio quidem causae

et sententiae prolatio in criminibus contra legem Moysi ad illud tribunal spectabat, executio vero romanis procuratoribus reservata fuerat, ut ipsi Hebraei fassi sunt Io. XVIII. 31, et Talmudistae Tract. Sanhedrin fol. 24. Si quae exempla contrarium innuere videntur, aliter tamen explicari debent: ita lapidatio Stephani Act. VII. 57–59 non per regularem synedrii sententiam, sed tumultuarie peracta est, item Iacobus frater Iohannis sententia Herodis Agrippae morti damnatus est, et alter Iacobus ex templi pinnaculo praecipitatus et lapidibus obrutus fuit arbitrio summi Pontificis, absente Romano Praeside, et contra populi votum, ut narrat Iosephus Antiq. XX. cap. 8.

Concilia seu tribunalia synagogarum memorata Io. XVI. 2, 2 Cor. X. 24, aliud fuisse non videntur quam superius indicata tribunalia 23 iudicum, quae poenam infligere poterant flagellationis, non tamen ultra 39 ictus, ut in altero ex citatis locis legitur.

ARTICULUS II.

De iudiciis eorumque forma.

I. Prisca iudiciorum forma apud Hebraeos non minus ac apud alias gentes summaria fuisse videtur, excepta Aegypto, ubi scripto res agebatur inter actorem et reum antequam iudex sententiam ferret, ut narrat Diodorus Siculus Bibliot. Lib. I. Deinceps Moyses formam quidem summariam non abstulit, simul tamen legibus, et cautionibus quibusdam iudiciorum aequitati consuluit. Et primo quidem iudicibus vehementer inculcavit ne partium studio, aut munerum acceptatione corrumpi se permitterent (Ex. XIII. 2-9, Lev. XIX. 15, Deut. XVI. 18–20); item cavit ne poenae, saltem graviores et capitales, cuipiam debitae ad parentes aut filios innoxios extenderentur, secus ac apud ethnicos passim in usu erat (Ex. XXIII. 7, Deut. XXIV. 16). Processus autem iudiciorum erat sequens. 1° Actor et reus coram iudice, vel iudicibus apparebant, qui stragulo super pavimentum expanso insidebant, seu accubabant: iudici adstabat notarius, qui tum sententiam, tum acta forte cum causa connexa, puta formulas promissorias, vel instrumenta contractuum, scripto mandabat (Is. X. 1–2, Ier. XXXII. 1–14, Ps.

CXLIX. 8, 9). In Synedrio, si fides est Talmudistis, duo notari assidebant praesidi, alter ad dexteram, qui sententiam absolutoriam, alter ad sinistram qui sententiam damnationis scriberet. 2° Reus ad sinistram actoris vel accusatoris stabat, ad quod alludere videtur Psalmista in Ps. CVIII. 6–7. 3° Ad testes quod attinet, duo saltem, vel tres, et quidem iurati a lege requiruntur iuxta notum illud Deut. XIX. 15: « Non stabit testis unus contra aliquem, quidquid illud peccati et facinoris fuerit: sed in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum: » quod si testis de falso testimonio convinceretur, poenam talionis irremissibiliter incurrebat (ib. 16–21). Ad testimonium autem dandum in delictis capitalibus non admittebantur mulieres, aut servi, nec etiam propinqui. 4° In quibusdam casibus secundum Talmudistas sententia et exequutio summaria locum habere poterat absque testibus et iudice, ut cum quis deprehensus fuisset in flagranti furto sacrilego, blasphemia idololatrica, et in aliis quibusdam casibus: vocabantur haec *iudicia zeli,* quorum exempla etiam in Scripturis inveniuntur Num. XXV. 18, 1 Mach. II. 23 seqq. 5° Demum in difficilioribus quibusdam casibus per sortem iudicium agebatur, ut innui videtur Prov. XVIII. 18: sine dubio autem saepe causa dirimebatur a summo Sacerdote per *Urim* et *Tummim* quasi per sortes sacras. 6° Postremo notandum est sententiam post causae cognitionem prolatam, sine mora executioni mandatam fuisse etiam cum de capite ageretur (Ios. VII. 22 seqq., 1. Reg. XXII. 18, 3 Reg. II. 23). Unde etiam fiebat ut carcerum rarus esset usus, et rara quoque in Scripturis mentio, saltem antiquioribus aetatibus: nam post epocham captivitatis Iudaei Persarum, Graecorum, et Romanorum moribus in hac re non parum accesserunt.

II. Ad *locum* et *tempus* iudiciorum quod attinet haec notanda sunt. Iudicia generatim iuxta portam urbis agebantur, ut in Scripturis passim indicatur, Gen. XXIII. 10 seqq. (Deut XXI. 19, Ios. XX.4, Ruth. IV. 1 seqq., Ps. CXXVI.5, Prov. XXII.22 etc.) idque etiam post captivitatem in usu fuisse innuitur Zach. VIII. 16. Huius rei ratio fuisse videtur ut publicitate loci iudiciorum aequitati consuleretur; ad portas enim urbium nundinae fieri, ibique etiam populi conventus haberi, et turba hominum passim congregari solebant. Tempus autem iudiciis habendis destinatum mane

fuisse colligitur ex Ps. C. 8, Eccle. X. 16, Ier.XXI. 12. Secundum Talmudistas in Tract. *Sanhedrin* iudicia vetita erant Sabbatis, ceterisque diebus festis: quod tamen in Lege non innuitur, et vix probabile videtur. Iidem dicunt in minoribus quidem causis sententiam ferri et exequutioni mandari debuisse uno eodemque die, in causa vero capitali noctu iudicium suspendendum fuisse, et sententiae exequutionem in diem sequentem differendam: hoc tamen in causa Iesu Christi servatum non fuisse ex Evangelio apparet (Matth. XXVI. 57 Io. XVIII. 13–18.)

ARTICULUS III.

De delictis ac poenis.

Summatim dicemus primum de delictis, poenisque capitalibus, deinde de poenis corporalibus minoribus, postremo de aliis diversi generis poenis pro variis criminibus assignatis.

§. I. *De criminibus, poenisque capitalibus.*

Apud Hebraeos non solum ea delicta quae suapte natura et communi populorum consensu fere capitalia habentur, ut homicidium, seditio, adulterium etc. morte plectebantur, sed etiam delicta contra religionem, ut dolosa violatio sabbati, blasphemia, idololatria et ad eam incitatio (Ex. XXXV. 2, Lev. XX. 2, XXIV. 14–16, Num. XV. 32–36, Deut. XIII. 6–10 etc.) quae quidem iuxta reipublicae theocraticam constitutionem superius explicatam erant vera delicta perduellionis, ac laesae, ut dicitur, maiestatis. Capitale autem supplicium inferebatur sequentibus modis: per lapidationem, per ignem, per gladium, per suspensionem seu strangulationem, vel per crucifixionem: praeterea alia quoque supplicii genera aliquando in Scripturis occurrunt vel ab extraneis inducta, vel praeter morem et legis praescriptum inflicta, ut nihil dicamus de iis quae aliquando a Deo immediate immittebantur.

1° *Lapidatio.* Lex poenam lapidationis irrogabat pro gravioribus contra religionem criminibus, ut in locis paulo ante citatis: praeterea hoc supplicio puniebatur adulterium, saltem in casu viri abutentis puella alteri desponsata, quae intra portas civitatis corrumpi se permisisset, quo in casu tum vir tum mulier lapidandi

erant Deut. XXII. 23, 24 quod tamen decursu temporis ad omnes adulteros extensum fuisse apparet ex Io. VIII. 2–5. pro quibus tamen in Lege (Deut. XXII. 22, Lev.XX. 10) genus mortis non determinatur, sed tantum dicitur: *morte moriantur.* Modus exequendi lapidationem a Moyse praescriptus non est: tantum praecipitur ut testes primi lapides iniiciant, deinde vero reliqui de populo (Deut. XIII. 9, XVII. 7). Rabbini vero modum subtilius describunt in Talmude tract. *Sanhedrin* cap. VI. Probabilius videtur ubicumque genus mortis in Lege non definitur intelligendam esse lapidationem, ut in citato loco Iohannis innuitur, cui consonat testimonium Ezech. XXXI. 14, XXXV. 2 coll. cum Num. XV. 35. seqq.

2° *Poena ignis* numeratur inter supplicia in Mosaica legislatione Lev. XX. 14 ubi praecipitur contra eos qui matrem uxoris suae sibi matrimonio copularent. Eidem poenae addicebatur filia sacerdotis in fornicationem lapsa ib. XXI. 9.

3° *Gladius.* Gentes Chananaeorum Dei iussu delendae fuerunt *in ore gladii:* praeterea ob quaedam crimina, et in summariis iudiciis aliquando reus gladio perimebatur, sive id per decollationem fieret, ut in casu Iohannis Baptistae Matth. XXIV. 8–12, et Iacobi Maioris Act. XII. 2, sive per transfixionem, aut qualibet alia ratione, ut in antiquioribus exemplis Iud. VIII. 21, 1 Reg. XXII. 18, 2 Reg. I. 15, IV. 8, XX. 14 etc.

4° *Strangulatio* secundum Rabbinos Talmudistas intelligenda est ubicumque lex speciem supplicii non determinat (Tract. Sanhedrin X. 3): attamen de ea in Scriptura nunquam fit mentio nisi fortasse 3 Reg. XX. 31. Coeterum probabilius est, ut modo vidimus, in casibus supradictis poenam lapidationis intelligendam esse.

5° *Crucifixio.* Supplicium crucis commune fuit omnibus populis Iudaeis finitimis, et etiam Romanis, qui eam poenam servis facinorosis, latronibus et seditiosis decernebant, idemque supplicium seditionis nomine Christo irrogarunt Luc. XXIII. 1–5, 13-15: utrum vero in lege Moysi crucifixio aliquando praecipiatur certo non liquet. Iubetur quidem Deut. XXI. 22 seqq. reos quosdam *appendi in patibulo,* et ut eorum cadavera deponantur ac sepeliantur eadem die: « *quia maledictus a Deo est qui pendet in ligno;* » attamen disputari solet an hic agatur de crucifixis, an vero de suspensis per laqueum, an etiam de cadaveribus post mortem lapidatione infli-

ctam in arbore suspensis. Quae afferri solent pro vera crucifixione ex Ps. XXI. 17, Zach. XII. 10, cum prophetica sint, et ad Christi mortem referantur, minime probant crucifixionem tunc Iudaeis usitatam fuisse. Quidquid sit de hac quaestione, certum est posteriori aetate Iudaeos sive a Persis, sive a Romanis morem crucifigendi reos recepisse: Iosephus Flavius Antiq. XIII. 22 narrat Alexandrum regem Iudaeorum octingentos perduelles in crucem egisse; et ipsae metaphoricae loquutiones in N. T. frequentes, quibus tribulationes vitae *crux* vocantur, et mortificatio carnis *crucifixio* dicitur (Matth. X. 38, XVI. 24, Gal. V. 24, VI. 14) ostendunt huius supplicii imaginem Hebraeis familiarem fuisse. Ad modum quod attinet sufficiat hic pauca exponere, de crucifixione apud Romanos usitata, quam Iudaei imitati sunt.

Crux duplici stipite constabat, altero perpendiculari, altero transverso, in formam literae T, ita tamen ut stipes perpendicularis aliquantum sursus emineret, ubi titulus gerens scriptam supplicii causam affigebatur. Existimant nonnulli in inferiori parte suppedaneum trunco affixum fuisse, cui pedes crucifixi inniterentur: attamen de hoc silent antiqui scriptores, qui potius memorant clavum ex medio fere stipite eminentem, cui cruciarius insidebat, seu veluti aequitabat ne corporis pondus manus discinderet. Damnatus cruci antea flagris caedebatur, saepe immaniter, et cum multa sanguinis effusione, alligatis manibus humili stipiti, vel cippo, ut dorsum ad vulnera pateret, tum vero crucem ad locum supplicii ferre cogebatur (1). Ibi erecta cruce, et terrae firmiter infixa, reus vestibus omnino exutus (quae carnificibus, vel militibus cedere solebant) attollebatur in crucem usque ad locum praedicti clavi, cui inniti debebat, mox vero expansis brachiis utraque manus clavis configebatur, deinde pedes, duplici, an uno clavo ambigitur, sed probabilius videtur singulos pedes distinctis clavis transfixos fuisse. (2) Ita in cruce suspensus vitam inter atrocia tormen-

(1) Coronam spineam imponere ante crucifixionem consuetudo Romanorum nunquam fuit; quod si in passione Christi locum habuit id unice repetendum est ex petulantia militum Christo Domino illudere volentium, quem sciebant morti damnatum esse quasi regnum in Iudaeos affectasset.

(2) Solebant autem vinum mirrhatum cruciariis ante supplicium praebere ut inebriati dolores minus sentirent: hoc etiam Christo Domino oblatum

ta (1) trahebat saepe in tertium diem et ultra, vigilantibus interim militibus, qui post eius mortem demum recedebant, relicto in cruce cadavere donec putresceret, vel a feris voraretur. Iudaeis tamen, ob legem Deut. XXI. 22 Romani indulgebant, ut eadem die crucifixorum corpora deponerent, atque ideo ad accelerandam mortem vel eis crura suffringebant, vel excitato fumo suffocabant, vel lancea confodiebant, quorum primum duobus latronibus cum Christo Domino crucifixis factum est (Io. XIX. 32), postremum ipsi Christo, quia, licet mortuus videretur, certiores tamen de eius morte fieri voluerunt (ib. 34) praesertim cum ea celerius ac praeter expectationem evenisset, ut innuitur in admiratione praesidis (Mar. XV. 44).

6° *Homicidii poena.* Si quis hominem occidisset morte mulctandus erat, et quidem ius dabatur proximiori cognato occidendi, seu iugulandi occisorem « *statim ut invenerit eum* ». Num. XXXV. 19, 20, 21, idque non modo ius, sed officium eiusdem cognati reputabatur, qui idcirco *ultor sanguinis* vocari solebat (Ios. XX. 3, 5). Ad abusus vero praecavendos, et tutandos eos qui absque dolo forte aliquem occidissent, Moyses praeceperat adsignari sex civitates refugii tres cis, et tres trans Iordanem, ad quas occisor confugere poterat, et si ibi iudicibus se ostendisset, et innocens iudicatus fuisset (ib. 12, 24,) interfici non poterat dummodo ex urbe refugii non egrederetur usque ad mortem summi Pontificis (ib. 26-28, 32); hoc enim mortuo cessabat omne ius vindictae in cognatis, et profugus in urbem suam reverti poterat (ib. 28). Si vero homicida dolosus in praedictas urbes perfugium quaesivisset, re comperta, expellendus erat, et in manus cognatorum defuncti tradendus (Deut. XIX. 11-13). Ita simul consultum erat et veri criminis punitioni,

fuisse legimus Matt. XXVII. 24, Mar. XV. 23, nec est confundendum cum alio potu aceti qui postea ei a milite oblatus est in Cruce (Mat. XXVII. 48, Mar. XV. 36).

(1) Tullius in Act. VI. contra Verrem lib. V. c. 64 loquens de quodam Gavio a Verre in crucem acto, quamvis Civem Romanum se esse diceret, crucem appellat *crudelissimum teterrimumque* supplicium; in c. 66 addit : « Facinus est vincire civem Romanum, scelus verberare, prope parricidium necare : quid dicam in crucem tollere? verbo satis digno tam nefaria res appellari nullo modo potest. »

et innocentium incolumitati, qui tamen hoc voluntarium exilium subire debebant, quo magis magisque homines cauti reddebantur ne alterius vitam laederent. Huc etiam pertinebat lex lata pro homicidio occulto: scilicet invento in agro cadavere hominis occisi, si homicida reperiri non posset, seniores urbis proximioris egredi debebant adducentes vitulam, eaque mactata, manus lavare coram sacerdotibus dicentes: « *Manus nostrae non effuderunt sanguinem hunc, nec oculi viderunt* (fundi): *propitius esto populo tuo Israel, quem redemisti, Domine, et ne reputes sanguinem innocentem in medio populi tui Israel. Et auferetur ab eis reatus sanguinis.* » (Deut. XXI. 1–9).

§. II. *De poenis corporalibus minoribus.*

Praecipuae erant: Fustigatio, et flagellatio, carcer cum catenis, mulcta, sacrificium pro peccato, demum poena talionis.

1° *Fustigatio* pro levioribus criminibus praescribitur in Lege. Reus in terram prosternebatur, et virga vel baculo vapulabat, non tamen ultra 40 ictus (Lev. XIX.20, Deut. XXII. 18, XXV. 2 seq.), quare Iudaei ob scrupulum, ne forte numerum excederent solebant 39 ictus infligere: alias vero flagellis loco virgarum in reum animadvertebant praecipue in Synagogis, servato item ictuum numero 39: quinimo ut mitius agerent solebant flagello uti tribus loris constante, ita ut singuli ictus pro tribus valerent, et tresdecim ictibus poena absolveretur, ut referunt Talmudistae in Misna Tract. *Maccoth* cap. III. Paulus utrumque supplicium virgarum et flagellorum distinguit, postquam utrumque expertus fuisset, in celebri loco 2 Cor. XI. 24, 25 scribens: « a Iudaeis quinquies quadragenas una minus accepi; ter virgis caesus sum ». Flagellatio haec a Iudaeis usitata, confundenda non est cum flagellatione Romanorum propria, multo immaniore, et nullo ictuum numero adstricta, qua Christus Dominus iussu Pilati animadversus fuit: ab hac cives Romani ipso iure aut consuetudine immunes erant (Cicero in Verrem act. VI. lib. V. §§. 53, 54), quo nomine Paulus et Silas cum Philippis in Macedonia, populo adversus eos tumultuante, caesi fuissent, proclamantes se cives Romanos, magistratus coegerunt ut veniam ab eis peterent, et cum honore eos dimitterent. (Act. XVI. 27-37.)

Cum fustigatione coniungi potest aliud simile supplicium quod Graeci *tympanum* vel *tympanismum* vocabant, de quo mentio fit

Hebr. XI. 35 inter veterum iustorum passiones: « Alii autem *distenti sunt* » graece « ἄλλοι δὲ ἐτυμπανισθησαν » et 2 Mach. VI. 19 in supplicio senis Eleazari. Erat autem tympanum species quaedam equulei, cui reus imponebatur, et alligabatur ut fustibus caederetur: plus minus ut nunc fit apud Turcas.

2° *Carceris poena* quamvis olim non ita frequens apud Hebraeos (1) posteriori tamen aetate passim infligebatur. Plerumque qui carceri damnabatur catenis vinciri solebat saepe ferreis, plerumque vero aeneis נְחֻשְׁתַּיִם. Ieremias cum proximum Chaldaeorum adventum praediceret in carcerem coniectus est a principibus Iuda sub custodia Ionathan Scribae, qui vocatur *Praepositus super carcerem*. Deinceps vero iussu Sedeciae regis permissus est in vestibulo carceris manere Ier. XXXVII. 14-15, 20. Carcerum autem variae erant species, aliae pro levioribus criminibus, aliae pro gravioribus, ubi delinquentes sub arcta custodia et in tenebris detinebantur (Is. XXIV. 22, XLII. 7.).

Debitores morosi in postrema epocha, ex more potius Romano quam Iudaico, carceribus includi poterant, donec debitum solverent, unde illud Matth. V. 25-26: « Esto consentiens adversario tuo cito dum es in via cum eo, ne forte tradat te adversarius iudici, et iudex tradat te ministro, et *in carcerem mittaris*. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem: » et etiam in Parabola debitorum Matth. XVIII. 23 seqq. servus ille conservum debitorem non solventem « *misit in carcerem donec redderet debitum* ». Ceterum in Lege adversus creditorum saevitiem quaedam decernuntur, nempe, 1° ne creditor debitoris domum ingrediatur ad debitum repetendum, vel pignus vi extorquendum, sed ante ostium expectet (Deut. XXIV. 10, 11, 6); 2° ne mola, aut pallium, aut alia ad vitam necessaria in pignus tradita per noctem retineantur (Ex. XXII. 25-26, Deut. XXIV. 6, 12); 3° denique toto anno sabbatico debita exigi non poterant (Deut. XV. 1. seqq). His vero exceptis, debitoris non solventis ager vel domus vendi

(1) In antiquioribus Libris saepe quidem de carcere fit mentio, sed plerumque cum de aliis gentibus agitur: ita Ioseph in Aegypto carcere inclusus fuit (Gen. XXXIX. 20), et reges captivi in carcerem detrusi dicuntur ut Osaea a Rege Assyriorum (4 Rege XVII. 4.), Ioachaz a Nechao rege Aegypti (ib. XXIII. 33) et Sedecias a Nabuchodonosor (Ier. XXXIX.7 seqq.).

poterat, et ipse quoque cum uxore et liberis in servitutem vendi (Prov. XXII. 27. XXXI. 16, Mich. II. 9.). Si sponsor intercessisset, is ad solutionem iisdem modis cogebatur.

3° *Mulctae* aliae ipsa lege determinatae erant, aliae ad aestimationem arbitri imponebantur, aliae demum ad arbitrium laesi: omnes tamen in favorem laesi solvebantur. Exemplum mulctae primi generis habetur Ex. XXI. 32, Deut XXII. 19 pro casu quo bos cornupeta servum interemisset: dominus bovis qui damnum non impedivit solvere debebat domino servi 30 siclos. Exemplum alterius ordinis habetur Ex. XXI. 28-31, ubi ex iudicio arbitri, et mariti mulieris percussae mulcta solvenda erat. Exemplum tertii ordinis mulctae occurrit ib. 30 in casu quo bos cornupeta hominem liberum occidisset ex domini negligentia. Huc etiam referri potest poena furti aut alterius damni bonis proximi illati, quo in casu generatim res duplo resarcienda erat Ex. XXII. 3, 6, 8 in quibusdam vero casibus etiam quadruplo, vel quintuplo resarciendum erat, nempe cum ovis vel bos furto sublati iam venditi vel mactati fuissent Ex. XXII. 17. Si fur impar solvendo esset in servitutem vendebatur etiam cum uxore et liberis, si opus esset. ib. 3, 4 Reg. IV. 1. Erant etiam furta qualificata quae morte puniebantur, ut in solo casu furti circa rem Deo sacratam per anathema חֵרֶם (Ios. VII. 25): praeterea fur qui noctu parietem domus vel portam suffodiens inveniretur poterat impune occidi a domino (Ex. XXII. 2): secus autem si post ortum solis hoc fecisset (ib. 3).

4° *Poena talionis.* Hic modus puniendi reos, qui *ius talionis* dicitur, omnibus fere antiquis gentibus communis fuit, utpote qui hominibus deterrendis, et criminibus impediendis efficacissimus videretur. Licet autem a morum lenitate aliquantum abhorreat, de iniustitia tamen accusari non potest; quamvis decursu temporis, mitioribus effectis gentium moribus, sensim sine sensu transactionibus inter laedentem et laesum locus datus sit, ac demum omnia iudicis arbitrio relicta. Quod etiam apud Hebraeos factum est. Initio quidem lex talionis in sua cruditate proposita est Ex. XXI. 23-25: « Reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore » cfr etiam Lev. XXIV. 19-20.

Praeterea testis mendax talionis poenae subiacebat, eidem scilicet poenae quae debita fuisset crimini, de quo mendaciter deposuerat Deut. XIX. 16–19. Erga servos poena talionis dominos non afficiebat, sed tantum servum vel ancillam laesos dimittere tenebantur Ex. XXI. 26–27. Haec tamen decurrentibus aetatibus ita mitigata fuerunt ut in postrema saltem aetate transactio admitteretur, et reus praesertim data pecunia a poena talionis subeunda sese eximere posset.

§. III. *De aliis diversi generis poenis.*

1°. *Sacrificium pro peccato* imponebatur pro violatione legum praesertim coeremonialium non plene deliberata et quidem alia sacrificia exigebantur pro his transgressionibus quae in Lege vocantur חַטָּאוֹת *peccata,* alia vero pro iis quae appellantur אֲשָׁמוֹת *delicta,* quamvis huius distinctionis ratio non satis clara sit (Lev. IV et V, Num. XV. 27 seqq.). In casu delicti etiam confessio eiusdem coram sacerdotibus exigebatur, et praeterea in quibusdam casibus ad indemnitatem praeter victimam quinta pars pretii addenda erat (Lev. VI. 1–5, Num. V. 5–10.). De his sacrificiis satis dictum est in sectione I. cap. IV.

2° *Excommunicatio.* Saepe in Scripturis de peccatoribus quibusdam pronunciatur comminatio, vel sententia ut *excindantur de populo.* Quamvis autem non semper hoc intelligendum sit de excommunicationis poena, sed aliquando de poena mortis infligenda imprimis lapidatione (Lev. XVII. 4, XX. 10–18 etc.), dubium tamen non est aliquando veram excommunicationem seu privationem bonorum aut iurium spiritualium, et separationem a fidelium communione inflictam sontibus fuisse; cuius rei exemplum occurrit 1 Esdr. X. 8, ubi Esdras ad coetum venire recusantes damnat bonorum spoliatione, et excommunicatione, « auferetur universa substantia eius, et ipse abiicietur de coetu transmigrationis: » et in Evangelio Christus praedicit apostolos suos hac poena mulctandos fore a Iudaeis Luc. VI. 22: « Beati eritis..... cum separaverint vos » et Io. XVI. 2: « *Absque synagogis* facient vos. » Praeterea Io. IX. 22 legitur: « Iam enim conspiraverant Iudaei, ut si quis eum confiteretur esse Christum *extra synagogam fieret.* » Cfr. etiam XII. 42. Recentiores Iudaei tres species excommunica-

tionis distinguunt, quarum prima est levis, et vocatur נִדּוּי *Niddui,* idest, separatio simplex a synagoga et consortio piorum, secunda gravior quae vocatur חֵרֶם *Herem,* seu *anathema,* quae cum imprecationibus solemniter irrogatur, et secumfert plenam separationem a communione Iudaeorum, exceptis iis quae ad victum necessaria sunt, tertia gravissima quae vocatur שַׁמַּתָּא *Sciammata,* qua omnis prorsus communio cum Iudaeis interdicitur ac reus iudicio Dei relinquitur: vox ista formulam imprecationis solemnem continere videtur, et duabus vocibus constare שֵׁם אֲתָא *Deus venit* (nam Rabbini שֵׁם ponunt pro nomine *Dei*) atque ita conveniret cum *Maranata* מָרָן אֲתָא *Dominus noster venit,* qua formula utitur Paulus in anathemate pronunciando 1 Cor. XVI. 22. Idem Paulus hoc diro anathemate perculit incaestuosum Corinthium, illum *tollens de medio* fidelium, et *tradens Satanae in interitum carnis* (1 Cor. V. 2-5.); quod etiam praestitit cum praevaricatoribus in fidem Hymenaeo, et Alexandro 1 Tim. I. 19–20.

3° *Infamia.* Poena infamiae contra vivos in Lege Moysi non irrogatur, post mortem vero triplici modo infertur; 1° lapidatorum cadavera in odium criminis comburenda erant, saltem ex consuetudine (Lev. XX. 14, XXI. 9.) 2° Cadaver rei in arbore, vel stipite, seu cruce suspensum relinquebatur usque ad vesperam, et hoc in signum divinae maledictionis (Num. XXV. 4-5, Deut. XXI. 22-23.). 3° Lapidum coacervatio in detestationis signum supra cadaver vel tumulum ubi supplicio affectus iacebat (Ios. VII. 25 seqq. 2 Reg. XVIII. 17).

CAPUT III.

De re militari Hebraeorum

In re amplissima ut ordini simul et brevitati consulamus, ceteris omissis, dicemus primo de ipsis militibus ac exercitu Hebraeorum, deinde de armis tum offensivis tum defensivis, ac de bellico apparatu, postremo de bello aliisque militaribus operationibus: simul vero obiter dicemus de re militari aliarum gentium cuius mentio in Scripturis occurrit.

ARTICULUS I.

De militibus, eorumque ordinibus.

Donec Patriarchale vitae genus apud Hebraeos mansit milites proprie dicti nulli erant, sed cum adversus hostes pugnandum esset, itemque ad sui defensionem servis, seu vernis utebantur, quorum magnus numerus Patriarchis praesto erat, ut apparet ex. gr. ex historia Abraham, et Lot (Gen. XIII. XIV). Ex eo autem tempore quo Hebraei ex Aegypto egressi in distinctum populum evaserunt militiam proprie dictam habere, et militarem artem excolere coeperunt, et in omnibus sequentibus aetatibus, continuis fere bellis exercitati, bellicae virtutis famam non exiguam sibi comparārunt: nec defuerunt illis nobilissimi duces, ut imprimis Iosue, David, et Iudas Machabaeus, nec singularis fortitudinis exempla, ut ea quae narrantur 2 Reg. XXIII. 8–24 de fortibus David, item plura facta in Libris Machabaeorum narrata.

§ 1. *De militum delectu, ac conditione.*

Usque ad tempora Regum non videntur fuisse apud Hebraeos milites delecti, qui vitam militarem degerent, sed omnes cives, qui pacis tempore suam quisque artem exercebat, parati esse debebant ad arma sumenda quoties belli periculum instaret, ut ex Libris Moysi, Iosue et Iudicum apparet. Aetate Davidis copiae militum regulariter conscriptorum occurrunt (2 Reg. XXIII, 1 Paral. XI et XXVII), imo et centum millia militum Israelitarum mercede conductorum ab Amasia rege Iuda, quos tamen iussu Prophetae dimisit (2 Paral. XXV. 6–10). In censum vero militum videntur relati fuisse omnes Hebraei inde ab anno XX, exceptis iis qui certa quadam de causa a militia eximebantur (Deut. XX. 5 seqq.) scilicet 1° qui domum aedificabant,nec dum ad exitum perduxerant, 2° qui vineam aut olivetum plantaverant, et nondum inceperant percipere fructus, 3° qui mulierem sibi desponsaverant, et nondum acceperant, aut qui uxorem iam duxerant, intra annum a celebrato matrimonio, 4° formidolosi et pavidi, ne scilicet reliquis timorem iniicerent. His itaque exemptis, ceteri in censum referebantur a scribis

seu *scioterim* שׁוֹטְרִים (Deut.XX.Num.XXV. 2 Reg.VIII.17 XX. 25) non tamen omnes in bellum prodibant, sed certus tantum numerus ex singulis tribubus, quamvis aliquando omnes indiscriminatim ad arma vocarentur (Iud. XX. 1, Reg. II. 17). Milites stipendia non accipiebant, sed suis facultatibus et victum, et arma sibi comparabant, idque non modo in antiquiori aetate, sed etiam sub regibus, exceptis regiis copiis, quae sub Davide et Salomone regis palatium custodiebant, et ad regis nutum paratae semper aderant: pro stipendio militibus erat praeda, quae ad eos iure pertinebat post partam victoriam. In postrema tamen aetate sub Simone Machabaeo, exemplo Graecorum, stipendia militibus solvi coeperunt, eademque disciplina sub Romanorum dominatione servata est, ita ut Apostolis familiaris esset, ut apparet ex Luc. III. 14, et ex illo Pauli 1 Cor. IX. 7: « Quis militat suis stipendiis unquam? ».

§ II. *De militum divisione, ordinibus ac ducibus.*

Exercitus Hebraeorum, ut apud alias gentes, dividebatur in pedites, equitatum ac currus bellicos; rursum pedestris exercitus pro vario armorum genere dividebatur in *velites* qui funda, iaculis, et sagittis eminus pugnabant, et *hastatos,* qui hastis, gladiis, ac scuto armati cominus dimicabant (1 Reg. XXX. 8, 2 Reg. III. 22; IV. 2; XXII. 30; Psalm. XVII. 30; 1 Paral. XII. 24, 34; 2 Par. XIV. 7, XVII. 17); velites potissimum ex tribu Beniamin et Ephraim deligebantur (Gen. XLIX. 27, Ios. XX. 16, Psalm. LXXVII. 9, 2 Par. XIV. 7, XVII. 7).

Rursum vero totus exercitus in varios ordines, seu agmina divisus erat. Saepe quidem in Scripturis innuitur divisio totius exercitus in tres partes (Iob. I. 17, Iud. VII. 16, 1 Reg. XI. 11, 2 Reg. XVIII. 2) sed haec non stabilis divisio videtur fuisse, sed in ipso tantum praelio, ita ut tria illa agmina nihil aliud essent quam quae nunc dicuntur ala dextera, ala sinistra et centrum exercitus bellantis, ut ex citatis locis apparet. Cum Hebraei egressi sunt de Aegypto sub Moysi imperio militari more processisse dicunt *per turmas suas* (Ex. XII. 51); quinam autem ordo exercitus fuerit non satis clare innotescit: legimus quidem Ex. XIII. 18 eos incessisse חֲמֻשִׁים quod iuxta vocis etymologiam significaret eos in turmas quinquagiuta virorum distributos fuisse, sed posset accipi etiam de ordinibus seu lineis, quae quinquaginta viris sin-

gulae constarent; quinimo Vulgata latina vocem illam reddit: *armati,* nulla habita ratione numeri (Ex. XIII. 18, Ios. I. 14). Certiores itaque sunt divisiones sequentes: minores nempe in turmas 50, et 100 militum, illis praeerant *principes quinquagenarii* (4 Reg. I. 9–14, Is. III. 3).,his vero *centuriones* (1 Reg. VIII. 12, 1 Paral. XIII. 1, 2 Paral. XXV. 5); maiores autem divisiones erant in 1000, et 10,000, quibus praeerant *tribuni* et *Chiliarchae* (1 Reg. XVIII. 13, 1 Paral. XIII. 1). Sub rege David exercitus (virorum 298,000) dividebatur in duodecim legiones, quarum singulae 24,000 virorum complectebantur, et suis ducibus parebant (1 Paral. XXVII.). Sub Iosaphat exercitus in quinque inaequales partes distributus erat, quibus quinque duces praeerant (2 Paral. XVII. 14 seqq.). Sub rege Ozia exercitus pertingebat ad 307,500 viros, duces autem maiores et minores ad 2700 (2 Paral. XXVI. 11–14). Ceterum universo exercitui praeerat *supremus dux* seu imperator, qui sub Saul fuit Abner, sub David autem Ioab filius Sarviae sororis David. Qui conscriptionem curabat et magnam in aula regis et in exercitu potestatem habebat dicebatur הַסֹּפֵר *Scriba.* Praeter supremum hunc scribam alii quoque aderant scribae, seu *Sopherim* rei militaris administrationi addicti, de quibus saepe fit mentio in libris Regum et Prophetarum (4 Reg. XXV. 19, Is. XXXIII. 18, Ier. XXXVI. 12). Etiam alii ministri *scioterim* dicti saepe militaribus officiis fungebantur, ut alibi dictum est. Erant quoque milites qui Regis personam, et palatium specialiter tuebantur: aetate Davidis, et deinceps nominantur duae cohortes fortium virorum extraneorum regis custodiae addictae, quae vocabantur *Cerethi* et *Phelethi* (2 Reg. XV. 18, XX. 7; 3 Reg. I. 38, 4 Reg. XI. 19): praeterea triginta septem viri fortes Davidi aderant, qui recensentur 2 Reg. XXIII, inter eos autem praecipui erant sex in duo ternaria divisi secundum gradum fortitudinis, et bellicae virtutis, quorum heroica gesta narrantur ibidem v. 5–24. In regno Salomonis nominantur « *sexaginta fortes ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladium, et ad bella doctissimi* ». (Cant. III. 7, 8.) Sub Roboam fit mentio de *scutariis,* et ducibus scutariorum, nec non de cursoribus, qui scuta primum aurea, tum vero aerea ante regem praeferebant cum Templum adiret (3 Reg. XIV. 27 seqq.).

Apud Persas exercitus dividebatur in agmina 1000, 10,000, 100,

et 10, quibus praeerant duces decem millium, chiliarchae, centuriones et decuriones (Herodotus histor. lib. VII. c. 81).

Apud Romanos, de quorum re militari non semel fit mentio in Sacris Literis, exercitus dividebatur primo in *legiones,* legio autem in 10 *cohortes,* cohors in tres *manipulos,* manipulus denique in duos ordines, seu *centurias,* ita ut regulariter cohors 600 militibus constaret, legio autem 6,000: verum hic numerus non semper servatus est. Legio autem quatuor militum genera complectebatur 1° *velites,* 2° *hastatos,* 3° *principes,* seu milites selectos et robustiores, 4° *triarios,* seu *pilanos,* qui pilo, seu gravi et longiore hasta pugnabant. Toti exercitui praeerat Dux seu *Imperator,* cui aderant duo vel plures *Legati.* Huic suberant *Tribuni* olim tres, deinceps sex pro qualibet legione; deinde *Centuriones* qui singulis manipulis imperabant. Accedebant *Quaestor militaris* (pro expensis), *Praefectus evocatorum* (militum emeritorum), *Praefectus castrorum,* et *Praefectus fabrum,* Equitatus legioni adiectus vocabatur *ala,* et dividebatur in 10 *turmas,* hae autem in tres *decurias:* dux equitatus *Praefectus equitum* dicebatur. Cohortes Romanae in Palaestina erant aliae 1000 peditum, aliae 600 peditum, et 120 equitum (Ioseph Fl. Bel. Iud. III. 4, 2; Mat. XXVII. 27 seq. Mar. XV. 16, Act. X. 1, XXI. 31, XXVII. 1.). *Centuriones* Romani saepe nominantur in Evangelio, et in Actis.

ARTICULUS II.

De armis militum Hebraeorum, et de bellico apparatu.

Arma alia erant defensiva, alia offensiva; his addendi sunt currus bellici, item machinae, et signa seu vexilla.

I. *Arma defensiva* erant 1° *clypei,* quorum variae species in Scripturis memorantur variis nominibus designatae, alius dicebatur *maghen* מָגֵן, et erat clypeus minor; alius *tsinnah* צִנָּה clypeus maior totum corpus tegens, denique *sohherah* סוֹחֵרָה clypeus rotundus, seu *parma* (3 Reg. X, 16, 17 coll. 2 Paral. IX, 16); quibus addendi videntur *scelatim* שְׁלָטִים incertae formae (4 Reg. XI. 10 coll. 2 Par. XXIII. 9, 2 Reg. VIII. 7, 1 Par. XVIII. 7 seq.). Clypei plerumque erant ex ligno pellibus taurinis contecto, vel

etiam omnino ex corio, raro aerei, aut lamina aerea, sive argentea, aut etiam aurea cooperti. Amittere clypeum in praelio ignominiosum erat, hostium clypeos arripere et colligere gloriosum (3 Reg. XIV. 26, 2 Par. XII. 29, 2 Reg. I. 21). 2° *Galea* כּוֹבַע vel קוֹבַע olim hastatis tantum concessa fuisse videtur, deinceps vero reliquis militibus, fortasse exemplo Chaldaeorum, qui omnes galeati pugnabant (Ezech. XXII. 24, Ier. XLVI. 4) Galea ex corio confecta, aliquando etiam aeneis laminis obducta totum caput, frontem ac verticem muniebat, desuper crista ornata: in Scripturis saepe metaphorice accipitur pro munimine, vel praesidio imprimis morali (Ephes. VI. 17, 1. Thess. V. 18) 3° *Lorica,* seu *thorax,* שִׁרְיוֹן, סִרְיוֹן plerumque duabus partibus constabat, quarum altera pectus et ventrem, altera tergum muniebat, et squamis aereis contexta erat; inde ab aetate Davidis invaluisse videtur (1 Reg. XVII. 5, 38, 2 Par. XXVI. 14). 4° *Ocreae* aeneae memorantur in descriptione armaturae Goliath gigantis (1 Reg. XVII. 6): sed Hebraeis nunquam communes fuisse videntur: Isaias IX. 4 mentionem facit de ocrea מאֵן.

II. *Arma offensiva* erant potissimum sequentia. 1° *Gladius* חֶרֶב qui cingulo אֵזוֹר suspendebatur; aliquando metaphorice accipitur pro bello (Ier. XIV, 12 seqq. Matt. X. 34) in N. T. aliquando vocatur *machaera,* μαχαιρα, 2° *hasta,* רֹמַח seu lignea sudes cuspide ferrea munita, et modo longior modo brevior. His accedebant arma missilia, nempe 3° *iacula,* חֲנִיתִים seu breviores lanceae in hostem iaculandae quibus velites utebantur: horum singularis species erat כִּידוֹן quod a חֲנִית distinguitur Iob. XXXIX, 23, eoque maior fuisse videtur. 4° *Arcus,* קֶשֶׁת et sagittae inde חִצִּים a tempore Patriarcharum usitata (Gen. XXI. 17, XLIX. 22). Sagittarii permulti erant inter velites, et celebriores erant ex tribu Ephraim et Beniamin (1 Par. VIII. 18, 39, XXI. 2. Psalm. LXXVII. 13). Sagittarii Persarum in Scripturis laudantur (Is. XIII. 18, Ier. XLIX. 35, L. 14). Arcus erant lignei, aliquando aerei (Ps. XVIII. 35, Iob. XX. 24). Ad tendendum arcum unam eius extremitatem contra humum pede premebant, sinistra manu alteram extremitatem flectebant, dextera vero nervum stringebant et sagittam dirigebant; hinc phrasis *calcare* דָּרַךְ *arcum* in Scri-

pturis est arcum tendere (Is. V. 28, XXV. 15, 1 Paral. V. 18, VIII. 40). *Sagittae* ex levioribus lignis confectae erant, et cuspide ferreo munitae. *Pharetra* תְּלִי formae pyramidalis ad tergum gestabatur, arcus vero in humero sinistro. 5° *Funda* קֶלַע inde a remotissima antiquitate usitata (Iob. XIV. 19 seq.) in bellis quoque magno usui erat, et funditores קַלָּעִים inter velites numerari solebant: Beniamitae laudantur eo quod sinistra aeque ac dextra uti scirent in torquenda funda, et « *sic fundis lapides ad certum iacientes ut capillum quoque possent percutere* » (Iudic. XX. 16. Cfr. etiam 1 Reg. XVII. 49).

III. Ad *machinas,* quae serius inductae fuerunt sub Regibus, referendae sunt 1° חִשְׁבֹּנוֹת *hiscbenoth* de quibus legitur 2 Paral. XXVI. 15: Et fecit (rex Ozias) in Ierusalem *diversi generis machinas,* quas in turribus collocavit, et in angulis murorum, *ut mitterent sagittas et saxa grandia* (1) quare nihil aliud videntur fuisse quam *balistae,* et *catapultae;* illae ad lapides iaciendos, hae vero ad maiora iacula, aut etiam trabes mittendas accommodatae, ut apud Graecos et Romanos. 2° *Arietes* bellici, seu ingentes trabes ferreo, vel aeneo capite instructae, quae iteratis ictibus muros perfodiebant, vel quassabant; de his primum mentio fieri videtur Ezech. IV. 1 seq. XXI. 22, XXVI. 9 sub nomine כָּרִים ubi de apparatu bellico Chaldaeorum sermo est, sed eos ab Hebraeis quoque receptos fuisse vix dubitari potest. 3° His addi possent *barqanim* בַּרְקָנִים quibus Gedeon dicitur occidisse principes Soccoth (Iud. VIII. 7) et *haritsim* חֲרִיצִים quorum ope David contrivit et trucidavit viros Ammonitas (2 Reg. XII. 32): quamvis hae non videntur proprie fuisse machinae bellicae, sed instrumenta ab agricolis usitata ad spicas contundendas; quae solum pro data occasione ad hostium stragem edendam convertebantur.

IV. *Currus bellici* ut praecipua pars bellici apparatus haberi coeperunt aetate Salomonis. Duae vero curruum species in Scripturis distinguuntur; alii enim regibus et ducibus vehendis tantum inserviebant, alii vero ad pugnam destinati erant, et ad hostes profligandos; hi quidem bellatores armatos gerebant, ac praeterea longis falcibus armati erant ita ut quando in hostes concitato cursu

(1) Hic locus 2. Par. XXVI. 14-16 notatu dignus est, utpote qui paucis verbis totum bellicum apparatum Hebraeorum describat, et propriis vocabulis singula arma designet.

immittebantur magnam stragem ederent (3 Reg. X. 26, XXII. 32-35. 4 Reg. II. 12, 2 Paral. I. 14). Horum forma varia admodum fuit apud veteres, quibus usus horum curruum communis erat (V. Diod. sicul. l. XVII. Quint. Curt. Lib. IV. Xenophon Cyropaed. L. VI. et Anabas. lib. 1.). Ingens numerus curruum bellicorum tribuitur in Scripturis exercitibus Aegyptiorum, Philistinorum, Cananaeorum, Chaldaeorum, Syrorum; sed apud Hebraeos non videtur eos ad bellum adhibitos fuisse ante tempora Salomonis, qui magnam curruum copiam sibi extruxisse dicitur (3 Reg. IV. 26).

V. *Vexilla* exercitus et *signa* saepe in Scripturis nominantur cum historice tum metaphorice. Sunt autem tria vocabula quibus ea designantur: דֶּגֶל *deghel,* נֵס *nes,* et אוֹת *oth:* quorum postremum generice *signum* denotat, alia duo fortasse diversa vexillorum genera, quorum tamen discrimen impossibile est nunc dignoscere. Verosimile est singulas tribus diversa vexilla gestasse, idque etiam expresse narrant Rabbini describentes formam uniuscuiusque, et figuras animalium iis intextas una cum sententiis S. Scripturae. Vexillis Machabaeorum intexta fuisse verba Ex. III. 12. multi existimant, et inde nomen Machabaeorum derivatum fuisse autumant, ut alias declaravimus.

ARTICULUS III.

De bello, aliisque militaribus gestis.

I. *Ius belli,* ut exponitur in Lege Deut. XX. 10-20, paulo durius ac crudelius prima fronte videtur: praecipitur enim ut expugnata aliqua civitate omnes viri gladio interimantur, et reliqua in praedam militibus cedant, imo in civitatibus Chananaeorum omnes omnino iubentur necari, etiam mulieres, et infantes. Verum recolendum est non solum tunc apud alias gentes non minus crudelem fuisse bellorum rationem, sed etiam, et praecipue, Chananaeos iusto Dei iudicio ab ipso Deo exterminio devotos fuisse, ut in loco citato, et alibi passim legitur, cuius sententiae executionem Deus Hebraeorum genti commiserat, ut magis magisque ab idololatricis eorum abominationibus deterrerentur, simulque periculum corruptionis removerent quod ex commercio cum illis, ac ex coniu-

gio cum eorum mulieribus inito facile ortum fuisset (ib. 18). Ceterum erga alias gentes rigor belli sapientibus legibus temperabatur. Praeceptum enim erat hostium civitatibus primum offerre pacem, quam si acceptassent nefas erat eos laedere, sed imposito tantum tributo dimittendi erant (ib. 10 seq.): insuper cautum erat ne in oppugnanda civitate succiderentur arbores pomiferae, aut agri vastarentur (ib. 19 seq.). Denique posterioribus aetatibus Iudaeos mitiori modo in bellis se gessisse plura sunt quae suadent.

II. *Praeliminaria belli* erant 1° Deum consulere per Urim ac Thummim, aut per ministerium alicuius Prophetae, si praesto esset, oblato etiam plerumque Sacrificio. 2° *Bellum indicere* missis hinc inde epistolis, vel legatis et oratoribus (Iudic. XI. 12-27, 2 Par. XXV. 17, 4 Reg. XIV. 8) excepto casu belli repente irruentis, quo in casu signis in vertice montium erectis, clamoribus, clangore cornuum, et celeribus nunciis huc illuc discurrentibus exercitus cogebatur, et bellum incipiebat. 3° Sacerdos ante praelium exercitui benedicebat, et ad fortiter pugnandum hortabatur (Deut. XX. 2 seq.). 4° Demum Sacerdotes classicum canebant (Num. X. 9 2 Par. XIII. 12-14), et mox praelium committebatur.

III. *Ipsum praelium* nullibi in SS. Literis describitur, nec facile esset eius modum, et ordinem definire. Suspicantur nonnulli absque certa disciplina praelia peracta fuisse, sed pleraque relicta fuisse militibus, qui plerumque singuli singulos hostes impetebant. Aliquis tamen ordo proculdubio teneri debuit; probabilius, ut apud alias gentes, velites praelium inchoabant, mox vero hastiarii instructa phalange praecipiti cursu in hostem irruebant, postremo equitatus et currus bellici immittebantur. Solebant autem milites hostem aggredientes clamores attollere, et ululare (Ios. V. 20, Iud. VII. 20, 1 Reg. XVIII. 52, Is. V. 29 seq. VI. 5, 16): stratagemate saepe utebantur, et insidiis ad faciliorem et pleniorem de hostibus victoriam (Ios. VIII. 12, Iud. XX. 39). Demum buccinae clangore finis praelii indicebatur (2 Reg. XVIII. 16). Victoribus omnia in praedam cedebant non spolia tantum et arma, ac divitiae, sed homines quoque qui in servitutem vendebantur; hoc tamen iure non semper utebantur Hebraei, sed plerumque spoliis contenti hominibus libertatem cum vita relinquebant. De strage

hostium post victoriam supra dictum est, quibus addi possent atrocia multa in victos patrata (2 Reg. XII. 31, 1 Par. XX. 3, Iud. VIII. 5, 4 Reg. VIII. 12, Is. XIII. 17–18, Osee X. 14, Am. I. 13), quae tamen praeter legem fiebant sive ob abusum ab exasperatis militibus, sive ad terrorem hostibus incutiendum. Victoria magnis clamoribus ex collibus undique proclamabatur, et magna laetitia celebrari solebat, mulieribus quoque obviam victoribus procedentibus cum citharis et tympanis, choreasque ducentibus.

IV. *Obsidiones* urbium defectu machinarum diuturniores erant. Hinc saepe circumvallatio extruebatur qua saepe fiebat ut obsessi fame, siti, morbis confecti ad deditionem adigerentur (2 Reg. XX. 15 4 Reg. XXV. 1, Ier. LII. 4, Exech. IV. 2, XVII. 17, XXI. 17). Alioquin urbem vel stratagemate, et insidiis, vel repentino et violento assultu occupabant. Interim obsessi missilibus armis hostes laedebant, et accedentes a moenibus propulsabant; interim vigiliae et excubiae in vertice turrium et in vicinis montibus omnia observabant, et per signa vel nuncios quae ad hostes pertinerent illico significabant. Obsessis pax primo offerenda erat, ut supra vidimus, quam si acceptassent seniores vel magistratus extra moenia egredientes hostium castra adibant ut de pace cum exercitus duce tractarent: sin autem oblatam pacem recusassent, hostes omni commercio inter urbem et circumstantem regionem interrupto, et extructo, si opus esset, vallo, urbem adoriebantur, aut moras nectebant, donec occasio sese offerret, aut obsessi fame ad deditionem adigerentur.

V. Milites hebraei tempore pacis ad bellum exercebantur, ut in Scripturis saepe innuitur phrasibus: *ad bellum instruere, docere manus ad bellum,* et aliis similibus: quibus autem modis id fieret incertum est. Ludi athletici, gymnastici, et gladiatorii, procul dubio ad hoc conferebant; horum tamen usus apud Hebraeos non videtur antiquior epocha Machabaeorum, cum exemplo Graecorum, gymnasium hierosolymae extructum est (1 Mach. I. 14 et 15, 2 Mach. IV. 12–14.) exinde vero praesertim sub Herode rege satis comunes effecti sunt, contradicentibus licet optimis Iudaeorum; hinc frequens in N. T. ad hosce occurrit allusio, ut ex. gr. Paulus, ex iis qui in stadio currebant ad merendam coronam (Βραβειον *Bravium*), imaginem ducit I Cor. IX. 24-27, 2 Tim. IV 7 et 8.

Phil. III. 11–14. et ad caestum, et pugiles alludit 1 Cor. IX, 26.; alias quoque mentionem ingerit de legibus, quibus ad vires augendas illi se subiiciebant (1 Cor. IX. 25.). Antiquius, ludi genus apud Hebraeos, quod aetate Hieronymi adhuc in usu erat, occurrit Zach. XII. 3. quo scilicet iuvenes grandioribus saxis levandis vires exercebant, ut qui lapidem altius attolleret victor haberetur. Romanorum ludi gladiatorii notiores sunt, quam ut hic describendi sint; ad eos etiam nonnunquam alludunt Agiographi N. T. in primis Paulus 1 Cor. IV. 9, Hebr. X. 33.

CAPUT IV.

De Ponderibus, Monetis, ac Mensuris.

Ultimo loco de ponderibus, monetis ac mensuris hic pauca addere visum est, cum haec ad politicam et socialem populorum vitam magis proprie pertineant.

ARTICULUS I.

De Ponderibus ac Moneta cusa.

Commercium inter homines primitus agebatur simplici rerum permutatione, ut scilicet quisque res quibus abundabat cum rebus quibus indigebat permutaret. Verum ad expeditiorem usum mature admodum pecunia inducta est, quae res omnes quodammodo repraesentaret. Haec quidem initio nihil aliud fuit quam pondus aliquod metalli nulla certa forma, nulloque signo munitum: serius autem publicae auctoritatis iussu atque opera certa forma adhiberi coepit, una cum determinata effigie, atque ita originem habuit pecunia signata, quae proprie *moneta* dici solet. Apud Hebraeos ante captivitatem Babylonicam nullum vestigium monetae signatae occurrit, sed pondera tantum: scilicet aurum et argentum in parvas massas divisa in bilance appendebantur, ac ope lapillorum in altera lance eorum pondus definiebatur. Hinc emptores ac venditores lapillos istos in marsupio gestare solebant, ad quem usum alludens Moyses dum iniusta pondera prohibet ait: « Non habebis

in sacculo *lapidem et lapidem,* magnum et parvum,sed habebis aequalem et iustum » (Deut. XXV. 13-15). Praeterea ad fraudes cavendas praecepit modulos uniuscuiusque ponderis in Tabernaculo adservari, et Sacerdotibus commisit ut ad eos alia pondera ac mensuras exigerent (Exod. XIII. 13, Lev. XXVII. 25, 1 Par. XXIII. 29). Huiusmodi normae deinceps in Templum transierunt,ibique usque ad Hierosolymae excidium manserunt, et vocari solebant *pondera Sanctuarii;* sacerdos etiam ibi constitutus fuisse legitur *super omne pondus atque mensuram* (1. Par. XXIII. 29). Post reditum ab exilio Hebraei, praeter pondera ac nummos sibi proprios, aliarum quoque gentium, Persarum scilicet, Graecorum, ac Romanorum nummos usu receperunt, qui proinde in Scripturis passim commemorantur, et ab Hebraicis sedulo distinguendi sunt. De singulis breviter dicendum.

I. *Pondera et Nummi Hebraeorum.*

1. Praecipuus Hebraeorum nummus erat שֶׁקֶל *Scekel,* quae vox a radice שָׁקַל ducta nihil aliud quam *pondus* significat, sed a Graeco et Latino interprete simili voce redditur σικλος, *siclus.*Erat autem siclus sive *aureus,* sive *argenteus,* qui alter in Scripturis brevitatis causa simpliciter *argenteus* dicitur, ut Matth. XXVII. 3, ubi sermo est de pretio Iudae proditori a Sacerdotibus tradito. Ad praecisum valorem quod attinet Iosephus Antiquitatum Lib. III. Cap. 8 affirmat siclum quatuor drachmas Atticas valuisse, quae respondent semi-unciae romanae: cum autem idem pondus esset tum aurei sicli tum argentei, colligi potest siclum argenteum plus minus 3 libellas gallicas, seu francos valuisse, aureum vero circiter 23 $^1/_2$.

2. Siclus dividebatur in duas *Bekas,* בֶּקַע, rursum vero in 22 *Gheras* גֵּרָה quae in Vulgata vocantur *oboli* (Num. XVIII. 16.)

3. *Mina* מָנֶה valebat 100 siclos argenteos (3 Reg. X. 17, 2 Par. IX. 16. in textu Hebr.).

4. *Talentum,* Hebr. כִּכָּר *chicar,* valebat *3000* siclos, seu *9000* libellas Gall. (Exod. XVIII. 24-26.)

5. Nominatur etiam alius nummus hebraice dictus *Kesitàh* קְשִׂיטָה quem vulgata *Agnum* vocat Gen. XIII. 19, ubi de agro ab Abraham empto sermo est: sed eius valor incertus.

6. Sub Machabaeis coeperunt Hebraei nummos cudere, quorum nonnulli adhuc supersunt: ex his alii nomen Simonis Ponti-

ficis gerunt, alii tantum inscriptionem: *siclus Israel* vetustis Hebraorum litteris expressam. Primus enim Machabaeorum seu Asmonaeorum Princeps qui monetam cudere permissus est fuit Simon, cui Antiochus Sidetes Rex Syriae anno 130 ante Christum hanc facultatem dedisse legitur 1 Mach. XV. 6.

II. *Nummi aliarum gentium in Scripturis memorati.*

1. *Darkemon*, seu *Daricus,* qui Hebraice vocatur דַּרְכְּמוֹן vel אַדַּרְכֹן et in Vulgata modo per *drachmam,* modo per *solidum* vertitur, erat nummus aureus Persarum aequivalens plus minus lib. 18 ½. (1 Esdr. II. 69, VIII. 27, II. Esdr. VII. 70–72, 1. Par. XXX. 7).

2. *Stater* Στατηρ in N. T. passim recurrens est nummus Graecus eiusdem valoris ac siclus argenteus, pro quo indiscriminatim ponitur.

3. *Drachma* Δραχμα, item moneta Graeca, est quarta pars stateris seu sicli lib. 0, 75.

4. *Minutum,* λεπτον, erat minimus nummus Graecorum aereus aequivalens ½ centesimo.

Hae quidem Graecae: Romanae autem monetae erant sequentes,

5. *As*, seu *libra* aeris erat pondus Romanorum (olim quidem rude, deinde vero *signatum* effigie pecudis unde *pecuniae* nomen). Dividebatur in duodecim *uncias.* Dimidium assis vocabatur *semis,* et notabatur litera S, serius pro semisse dicebant *assarium,* quod tamen in N. T. aliquando accipitur pro toto asse, ut infra dicetur. Valor assis erat circiter fr. 0,50 mostrae monetae. Assaria in una parte effigiem Caesaris (olim Iani) gerebant, in altera vero puppim.

6. *Denarius,* nummus argenteus Romanorum aequivalens ¼ sicli seu stateris, et 10 *assibus* unde nomen *denarius.*

7. *Assarium* ασσαριον, seu dimidium assis, nummus aeneus Romanorum, quem tamen Vulgata aliquando *assem* vertit (Matth. X. 29): idem ac *semis.*

8. *Dipondium* accipitur pro duobus assariis, seu integro asse Luc. XII. 6 secundum Vulgatam.

9. *Quadrans,* Κοδραντης, nummus aeneus dimidium assarii valebat, seu quartam partem assis (Matth. V. 26).

Plurimi Romanorum nummi adhuc extant, unde eorum forma

ac valor optime dignosci potest. Antiqui *denarii* olim exhibebant ex una parte caput muliebre Romae, vel Victoriae, in adversa parte currum cum duplici equorum iugo: deinceps vero effigiem Caesaris, ut in denario qui Christo oblatus fuit Matth. XXII. 19-21. Denarius erat quotidianum militum Romanorum stipendium, quemadmodum drachma militum Atheniensium, item ordinaria merces diurna pro villicis ad vineam excolendam conductis Matth.XX.2 seq.

ARTICULUS II.

De Mensuris longis et cavis.

Mensurae apud omnes gentes aliae sunt *longitudinis* ad distantias metiendas, aliae vero *cavae* ad rerum quantitatem definiendam, hae vero rursus vel *aridorum sunt*, vel *liquidorum*. De omnibus his frequens occurrit mentio in Scripturis, ubi tamen notandum est, quod etiam de ponderibus ac nummis diximus,mensuris scilicet Hebraeorum propriis aliarum gentium mensuras passim commisceri, praesertim in libris N. T.

1. *Mensurae longitudinis* numerari possunt sequentes, quas ad mensuram metricam reducemus. Notandum autem est mensuras huiusmodi primitus apud omnes gentes ex corpore humano desumptas fuisse, ut ex earum nominibus apparet: cum vero hominum statura ac dimensiones non ita fixae ac invariabiles sint, mensurae quoque non parum inter se differunt apud diversas gentes: apud Hebraeos quem valorem praecise habuerint non ita certo constat: si tamen supponamus, cum doctis pluribus criticis cubitum Hebraicum aequalem fuisse Aegyptio, cuius valorem accurate novimus, sequens tabula confici mensurarum potest.

1. *Etsba* אֶצְבַּע seu *digitus* = 0^m, 023

2. *Tophah* תֹּפַח, seu *Palmus* (minor) = 0^m, 092, seu quatuor digitis (Cfr. Ex. XXV.–25 3 Reg. VII. 26., 2 Par. IV. 5.)

3. *Zereth* זֶרֶת, seu *Spithama* = 0^m, 28. (1 Reg. XVII. 4, 9). vocatur etiam *palmus* in Vulgata, et intelligendus est *palmus maior*, ad distinctionem Tophah, quae est palmus minor. Designat enim spatium quod intercedit inter extremitates pollicis, et digiti minimi manus expansae.

4. *Amah* אַמָּה seu *cubitus* = 0^{m}, 56,= 2 Spithamis = 6 palmis minoribus = 24 digitis.

5. *Kaneh* קָנֶה seu *calamus* = 3^{m}, 36. = sex cubitis (Exech. XLII. 16.).

6. *Stadium,* σταδιον, mensura Graeca et Romana ab Hebraeis recepta (Luc. XXIV. 13., Io. VI. 9. XI. 18) erat octava pars milliarii = 216^{m}, 23.

7. *Milliarium* Romanum, Graece μιλιον, aequabat mille passus geometricos, ut nunc apud Italos = 8 stadiis (Matth. V. 41).

8. *Leuca* = 24 stadiis, = 3 milliariis.

9. *Iter Sabbati,* οδος σαββατου (Act. 1. 12.) vocabatur a Iudaeis spatium itineris, quod percurrere licebat die Sabbati. Secundum Thalmudistas erat spatium *2000* cubitorum, seu fere milliarium.

Aliquando etiam in Scripturis nominatur *iter diei,* quod tamen nonnisi approximative spatium determinat: apud Romanos erat 150 stadiorum circiter (Herod. Lib. V. 53).

II. *Mensurae cavae aridorum ad litrum exactae.*

1. *Komets,* קֹמֶץ, seu *pugillus,* mensura parva, sed non bene definita (Lev. II. 2 V. 12 VI 8-9).

2. *Cabus* קַב alia parva mensura aridorum, quam Rabbini aiunt 24 ova gallinae continuisse. In Scripturis dicitur valuisse $^{1}/_{6}$ *sati,* et $^{1}/_{18}$ *ephae.*

3. *Gomor* עֹמֶר = decimae parti Ephae = Litr. 3, 154.

4. *Sea* סְאָה quod redditur, *Modius* vel *Satum* in Vulgata, secundum Rabbinos erat tertia pars Ephae, secundum Hieronymum et Iosephum Flavium valebat modium romanum cum dimidio seu = litr. 10, 514.

5. *Modius* mensura Romana aequivalens tertiae parti *anphorae.* In Vulgata tamen aliquando accipitur pro quacumque mensura.

6. *Epha* אֵפָה mensura Aegyptiaca a Iudaeis recepta, capiebat decem gomor, seu Litr. 31, 54 (Ex. XVI. 36.) et respondebat accurate mensurae Bath liquidorum (Exech. XLV. 11).

7. *Corus* כֹּר = decem Ephis = Litr. 315, 43.

8. *Letheq* לֶתֶךְ dimidium cori = 5 Ephis = Litr. 157, 76.

III. *Mensurae cavae liquidorum.*

1. *Log.* לוֹג in Vulgata *Sextarius,* erat duodecima pars mensurae *Hin*: secundum Rabbinos sex ova capiens = Litr. 0, 438. Erat minima mensura liquidorum (Lev. XIV. 10 seqq. 4 Reg. VI. 25)

2. *Hin* הִין cuius etiam dimidia, tertia, quarta et sexta pars in Scripturis commemorantur, creditur fuisse sexta pars Bathi circiter = Litr. 6, 46.

3. *Bathus* בַּת pro liquidis eadem erat mensura ac *Epha* pro aridis = Litr. 31, 54.

4. *Chomer* חֹמֶר vel *Chor* כּוֹר ut alibi dicitur, 10 Bathos capiebat (Exch. XXV. 11.) = Litr. 315, 43.

5. *Metreta,* μετρητης, mensura Graeca (Ioan. II. 63) tertia parte maior erat amphora Romana seu pede cubico Romano, ideoque 1 $^1/_3$ pedem cubicum Romanum capiebat.

6. *Nebel* נֵבֶל seu uter, ampla mensura tres Bathos capiens.

7. *Betsa* בֵּצָא seu Ovum minima mensura apud Rabbinos aequivalens sextae parti Log.

8. *Arthaba* אַרְטַבָּא erat mensura Babylonica memorata Dan. XIV. 2, in descriptione templi Bel: secundum Epiphanium et Isidorum continebat 72 sextarios, seu Log; secundum alios vero maior vel minor fuisset.

9. *Cadus* (Luc. XVI. 26.) mensura Romana aequivalebat Batho Hebraeorum, et pro liquidis, in primis vino, adhiberi solebat.

10. *Amphora* mensura Graeca et Romana (1 Reg. I. 24, Zach. V. 6.seqq.Luc.XXII. 10). Amphora Romana capiebat pedem Romanum cubicum, et dividebatur in duas *urnas:* aequivalebat 48 sextariis, et 80 libris. Amphora Attica seu Atheniensis capiebat tres urnas, 72 sextarios, et 120 libras romanas.

11. *Lagungula,* seu parva lagena, aliquando ponitur in Vulgata pro Hebraeorum *batho* (Is. V. 10).

12. *Sextarius* mensura Romana inprimis liquidorum saepe in Vulgata ponitur pro *Log,* ut vidimus.

13. *Mensura,* quamvis terminus genericus sit, nonnunquam usurpatur specifice pro Epha Hebraico.

SECTIO IV.

DE ANTIQUITATIBUS DOMESTICIS.

Ut in re amplissima brevitati consulamus, pluribus praetermissis, quae vel notiora sunt, vel minoris momenti, summatim tractabimus I. De Societate domestica, II. De artibus scientiis et variis vitae conditionibus, III. De moribus, et conversatione, IV. De domibus, et habitatione, V. De Vestibus, ornamentis et luxu, VI. De animalibus et plantis, VII. De cibis, et conviviis, VIII. De morbis et medicinis, IX. De morte, funeribus, sepultura et luctu.

CAPUT I.

De Societate domestica apud Hebraeos.

Agemus primum de societate domestica, quae cum coniuges, filios et servos complectatur, hinc agendum erit primum de matrimonio, et de relationibus inter virum et uxorem, tum de filiis eorumque cum parentibus relatione, postremo vero de servorum conditione.

ARTICULUS I.

De Matrimoniis Hebraeorum.

Matrimonium, utpote societatis radix ac fundamentum, speciali modo ab ipso Deo sancitum ac sanctificatum est in ipso generis humani exordio, deinde vero per Moysen plures leges ad eius honestatem et sanctitatem tuendam latae sunt.

I. *Matrimonii natura, proprietates, impedimenta.*

Unio maritalis eadem fuit ab initio ac apud Christianos, ad finem scilicet gignendae et educandae prolis, et ad mutuum auxilium et individuam vitae consuetudinem, excepta tamen dignitate Sacramenti. Ad proprietates vero quod attinet, quae sunt *unitas* et *indissolubilitas,* decursu temporis apud Hebraeos non parum

de primitiva institutione matrimonii relaxatum est. Sane quod pertinet ad unitatem haec quidem ab initio viguit secundum illud Gen. II. 24: « *Et erunt duo in carne una* ». Lamech primus fuit inter Patriarchas qui duas simul uxores accepit (Gen. IV. 19) hac de causa passim a sacris Doctoribus reprehensus; qui deinceps plures habuit imitatores, in primis post diluvium, non obstante contrario exemplo Noe eiusque filiorum (Gen. VII. 13.). ita ut diu ante Moysen polygamia apud Hebraeos communis facta esset. Moyses, Deo annuente, inveteratam consuetudinem omnino eradicare noluit tum ob rei difficultatem, tum ob timorem graviorum malorum, ob perniciosum exemplum finitimarum gentium, quae coniugii honestate posthabita nefandis criminibus addictae erant. Itaque contentus fuit polygamiam minuere, et intra quosdam limites coercere 1° Primaevam matrimonii institutionem narrans, et sub oculos ponens incommoda, quae ex uxorum pluralitate enascuntur (Gen. l. c. et XVI. 4–10, XIII. 1–3. etc.), 2° Interdicens regibus nimium uxorum numerum (Deut. XVII. 17.), 3° Virum obligans ad debitum singulis uxoribus reddendum (Ex. XXI. 10 et seq.) simulque immunditiam legalem exinde contractam ad integrum diem extendens (Lev. XV. 18), 4° Prohibens ne uxoris magis dilectae filium in locum primogeniti minus dilectae substitueretur (Deut. XXI. 15–17). Haec rerum conditio plus minus duravit usque ad aetatem Christi Domini, qui matrimonium ad primitivam institutionem revocavit, et polygamiam absolute prohibuit (Matth. XIX. 4–8). Quod autem pertinet ad matrimonii indissolubilitatem, quae etiam primitus inculcata et observata est, Moyses coactus fuit ob *duritiam cordis eorum* (Matth. XIX. 8) Hebraeis permittere divortium per *libellum repudii*. Sed de hoc inferius dicetur.

Impedimenta matrimonii in lege Moysi recensentur 1° Scilicet vetitum erat matrimonium cum Chananaeis, ob periculum idololatriae (Ex. XIV. 15 et seq. Deut. VII. 3.); quod deinceps ab Esdra et Nehemia ad alios etiam alienigenas extensum fuit ob simile periculum (1 Esd. IX. 2–12, X. 3, II. Esd. XIII. 23), 2° Inter consanguineos et affines nuptiae prohibebantur, non tamen, ut videtur, ultra secundum gradum (Lev. XII. 7–18, XX. 11–20), 3.° Sacerdotibus non licebat in uxorem ducere mulierem repudiatam, lapsam, aut meretricem, summo autem Sacerdoti nec

viduam, nec extraneam ex quacumque gente, ut alias notavimus, 4° Filia quae defectu fratrum haeres paternarum possessionum erat, non poterat nubere nisi propinquum de familia ac tribu sua, ne scilicet haereditas ad aliam familiam, vel tribum devolveretur (Num. XXVII. 1–11, XXXVI. 1–12.). Praeterea ad puritatem morum, et nuptiarum honestatem fovendam plura alia sapienter a Moyse praecepta sunt in Levitico et Deuteronomio, adversus meretrices, adversus seductores mulierum, et adversus puellas ante nuptias virginitatem simulantes, quae satis rigida videntur, et tamen non semper froenum abusibus iniicere potuerunt.

II. *Sponsae electio, sponsalia ac matrimonii ritus.*

Electio sponsae, saltem in aetate Patriarchali, regulariter fiebat a patre filii, et electio sponsi a patre puellae (Gen. XXI. 21, XXIV. 31, Ex. XXI. 9, Iud. XIV. 1–4, I Cor. VII. 6.); quod si filius sponsam sibi delegisset, nihilominus tamen pater adolescentis illam a patre petebat (Gen. XXVI. 30, XXXIV. 2–5). Insuper ex variis Scripturae locis colligitur etiam consensum fratrum germanorum a patre sponsae exquirendum fuisse (Gen. XXIV. 50, 2 Reg. XIII. 20–29.). Delecta sponsa, mos erat ut vir quasi pretium eius solveret eius parentibus sive pecuniam, sive aliud aequivalens, ut apparet ex historia Iacobi Patriarchae cum Lia et Rachele, Dinae Iacobi filiae, Davidis etc.

Sponsalia, Hebraice אֵרֶשׂ erant pactum de futuro matrimonio initum inter patrem fratresque puellae cum patre adolescentis, praesentibus testibus, ubi etiam inter se conveniebant de donis quae sponsae ferenda erant, et de pretio eiusdem sponsae מֹהַר ipsius patri solvendum (Gen. XXIX. 18–27, XXXIV. 11 et seq. Ios. XV. 16, 1 Reg. XVIII. 23–26), quod quidem pretium videtur variasse inter 30 et 50 siclos. Aliquando tamen divitum filiae donabantur, nullo scilicet accepto pretio, aliquando etiam fortes viri in praemium rei strenue gestae sponsam accipiebant. Dos a patre admodum raro sponsae dabatur, ut ex. gr. factum est Axae filiae Caleb (Ios. XV. 18 et seq.).

III. Post celebrata sponsalia intervallum temporis, saepe plurium mensium, usque ad nuptias intercedebat; interim vero quamvis sponsus et sponsa seorsim viverent, iure tamen ita alter alteri addicti erant, ut si sponsus sponsam ducere nollet

deberet ei quasi uxori libellum dare repudii, et si sponsa cum altero peccasset morte lapidationis plecteretur tamquam adultera. Adveniente die nuptiis destinato sponsa splendide pro sua conditione induebatur, atque ornabatur, et caput corona cingebat, unde Hebraicum nomen כַּלָּה id est *coronata,* quo sponsa designatur; hinc Iohannes Ap. XXI. 2 gloriosam Ecclesiam describens eam exhibet *paratam sicut sponsam ornatam viro suo.* Interim sponsus domi suae convivium parabat: sub vesperam autem domo egressus festivis vestibus indutus, et iuvenibus comitatus, qui in Scriptura *filii sponsi* dicuntur (Matth. IX. 15), cum canticis et instrumentorum sonitu ad domum sponsae accedebat, eamque e domo paterna virginibus comitatam magna pompa in domum suam deducebat: quo tempore etiam aliae virgines gestantes lampades baculis appensas solebant *obviam ire sponso et sponsae,* ut dicitur in parabola decem virginum Matth. XXV, et in Talmude etiam refertur. Sponsi convivio accumbebant una cum parentibus, propinquis, amicis, et paranymphis, et peracto convivio nuptiarum benedictio recitabatur, ac sponsa tradebatur sponso. Haec pulchre exponuntur in Lib. Tobiae, ubi narratur matrimonium Tobiae iunioris cum Sarra: « Apprehendens (Raguel) dexteram filiae suae, dexterae Tobiae tradidit dicens: Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Iacob vobiscum sit, et ipse coniungat vos, impleatque benedictionem suam in vobis. Et accepta charta, fecerunt conscriptionem coniugii, Et post haec epulati sunt, benedicentes Deum » (Tob. VII. 15-17). Solemnitas haec in scripturis designari solet per phrases: *sponsam domum deducere, uxorem accipere,* intrare domum (Gen. XXIV. 65, XXIX. 23-26, Ios. XV. 18, Matth. I, 18, Festivitas tamen tota hebdomada continuabatur: hinc Samson puellam philistaeam ducens die septimo festivitatem nuptiarum absolvisse dicitur (Iud. XIV. 12 et seq.) et Tobias a Raguele rogatus est ut duabus hebdomadis secum maneret duplicans laetitiae tempus, et in Cantico Canticorum, quod proprie est epithalamium, non obscure septenarius numerus dierum innuitur, ut observat Seldenus: hoc etiam in Talmude expresse traditur (*Pirke Avoth* Cap. 16).

III. *Uxorum conditio, iura et varii ordines.*

Uxores in omnibus viro subiectae erant iuxta illud Dei praeceptum Gen. III. 16: « Sub viri potestate eris, et ipse domina-

bitur tui ». Hoc tamen ita practice Hebraei interpetrati sunt, ut uxores nec omnino uti servas haberent quemadmodum Ethnici passim, aut ab hominum conspectu remotas domique reclusas, ut nunc Musulmani, simul tamen longe minorem eis reverentiam exhiberent, quam nunc apud Christianos. Itaque uxores, etiam ditiorum ac virorum principum, oeconomiae et muliebribus artibus operam dabant, cibos parabant, mensae ministrabant, aliisque officiis fungebantur, quae nunc viliora reputarentur. Infidelitas uxorum severe puniebatur, ut superius vidimus

Saepe in Scripturis nominantur *concubinae* פִּילֶגֶשׁ, פִּילַגְשִׁים quam tamen vocem non in malam partem accipiendam esse vel ex eo patet quod de iis sermo sit etiam in historia sanctorum virorum ex. gr. Abrahami, et Davidis. Itaque concubinae, postquam polygamia invaluerat, nihil aliud erant nisi legitimae uxores, plerumque ancillae, solo mutuo consensu et sine consuetis solemnitatibus ductae, ideoque secundo quasi ordine post uxorem אִשָּׁה proprie dictam; ceterum iuribus uxorum gaudebant, neque vendi amplius poterant, etiam si ancillae fuissent (Deut. XX. 10–12), et a patre sponsi tamquam nurus habendae erant (Ex. XXI. 9–12).

Uxor de adulterio suspecta a marito probari poterat singulari modo per legem *Zelotypiae* dictam, quae exponitur Num. V. 11–31. Maritus scilicet eam ad sacerdotem ducebat simul afferens fertum farinae hordeaceae, quo accepto Sacerdos mulierem adducebat ad altare holocaustorum, et implens vas aqua sancta, et exiguo pulvere de pavimento in aquam immisso, teterrimas imprecationes et maledictiones pronunciabat, et in libello conscribebat, si nempe mulier rea fuisset, quibus illa respondebat: *Amen, Amen.* Tum aquam ei bibendam dabat postquam oblationem de manibus eius sublatam altari imposuisset, et pugillum ex farina in ignem coniecisset. Si mulier innocens esset nullum damnum exinde capiebat, si vero adultera, post potum eius venter intumescebat et corrumpebatur, unde vel mortem inter acerbos dolores obibat, vel si superstes esset liberis procreandis impotens fiebat. Hac severa lege, in qua divinum prodigium intercessisse patet, sapienter consultum fuit, tum ut uxores ab adulterio deterrerentur, tum ne innocentes a viris zelotypis vexarentur, aut etiam occiderentur.

Divortium, ut supra innuimus, a Moyse permissum est, ita

tamen ut viris quidem liceret uxores dimittere, non tamen uxoribus viros, quia scilicet uxor quasi peculium viri habebatur. Hoc tamen ad graviora mala praecavenda, et contra primaevam institutionem permissum fuit, ut Christus in Evangelio affirmavit, ita ut etiam in Talmude Hierosolymitano Tract. *Kidduscim* Fol 58. Divortium generatim reprobetur, idemque faciant multi ex celebrioribus rabbinis et sine dubio iusti et sancti veteris legis nunquam hoc probaverint, Divortium autem fiebat per libellum repudii, seu scripturam a rabbinis vocatam גֵּת *ghet*. in Scripturis vero סֵפֶר כְּרִיתֻת *libellus scissionis*,in qua vir voluntatem suam exprimebat uxorem dimittendi indicata causa. Haec ita exponuntur Deut. XXIV.1 et seq: « Si acceperit homo uxorem, et habuerit eam, et non invenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam foeditatem עֶרְוַת דָּבָר scribet libellum repudii, et dabit in manu illius, et dimittet eam de domo sua. Cumque egressa alterum maritum duxerit, et ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, et dimiserit de domo sua, vel certe mortuus fuerit : non poterit prior maritus recipere eam in uxorem : quia polluta est, et abominabilis facta est coram Domino ». Quaenam esset causa legitima ad dandum libellum repudii, inter ipsos Hebraeos olim magna extitit controversia, cum verba עֶרְוַת דָּבָר, ut etiam Latina *aliquam foeditatem* vaga, et indeterminata sint. Tempore Christi multi Doctores (praesertim ex schola Hillelis) laxe ea interpretabantur de qualibet causa, alii vero (praesertim ex schola Sciammai) stricte de solo adulterio. Quare Pharisaei difficilem hanc quaestionem Christo proposuerunt tentandi causa Matth. XIX. 3 et seq., quorum versutiam Christus eludens matrimonium ad pristinam indissolubilitatem revocavit, abrogata lege divortii. Quamvis uxor non posset libellum repudii viro suo dare, (1) si tamen gravis ratio adesset, poterat libellum repudii petere etiam per iudicem, ut innui videtur Ex. XXI.

Lex Leviratus ad familiarum, et possessionum distinctionem servandam inducta, haec erat. Si quis absque liberis moreretur uxo-

(1) Uxori hoc ius denegatum est, quia veluti mariti peculium habebatur. Narrat tamen Iosephus (Ant. XV. 7, 10) eius aetate potentiores matronas hoc ius sibi arrogasse.

rem viduam relinquens, frater defuncti, vel, eo deficiente, proximior cognatus, debebat viduam in uxorem accipere: primogenitus autem qui ex coniugio oriebatur nomen defuncti, eiusque haereditatem iure accipiebat: hoc dicitur in Scripturis *suscitare semen fratris*. Quod si frater recusaret viduam accipere haec ad seniores rem deferre debebat, qui, accersito viro, eum interrogabant an coniugio consentire vellet: « Si responderit: nolo eam uxorem accipere: accedet mulier ad eum coram senioribus, et tollet calceamentum de pede eius, spuetque in faciem illius, et dicet: sic fiet homini, qui non aedificat domum fratris sui. Et vocabitur nomen illius in Israel, domus discalceati. » Deut. XXV. 5–10: aliquid huiusmodi peractum fuisse legitur occasione matrimonii Booz cum Ruth (Ruth. IV. 1–9.)

ARTICULUS II.

De filiis, eorumque officiis ac iuribus.

Cum ex coniugio filius nascebatur, puerpera per dies quadraginta a sacris abstinebat, primis autem septem diebus immunda erat, si vero filiam peperisset dies octoginta domi manebat, et quatuordecim erat immunda. Elapso Tempore, ad Tabernaculum vel Templum accedebat secum ducens infantem, et victimam pro sacrificio agnum anniculum, vel (paupertatis causa) duos turtures, seu pullos columbarum (Lev. XII. 1-8, Luc. II. 22–39); ibique primogenitum Domino offerebat, statim vero oblato pretio redimebat. Infantulus die octavo circumcidebatur, quo ritu in populum electum aggregabatur, et partem habebat in promissionibus, quae in antiquo foedere inter Deum et Abraham inito continebantur: hoc etiam signo Deo consecrabatur, et a gentilibus secernebatur (Gen. XVII. 10, Rom. IV. 11, Gal. V. 3). In circumcisione generatim nomen puero imponi solebat, quod semper aliquam specialem significationem habebat, nunquam sensu vacuum erat, ut pleraque nomina apud nos. Nomen haud raro immutabatur sive ab ipso Deo, sive a regibus et principibus, sive proprio arbitrio, ut plurima nota exempla ostendunt: saepe etiam praeter primum nomen aliud quoque assumeba-

tur, unde tot personae binomines occurrunt tum in veteri tum in novo Testamento.

Educatio prolis in prima aetate matris potius curae quam patris commissa erat, pueritia vero transacta, in patris disciplinam tradebantur, cuius etiam officium erat filios in Religione et Lege Mosaica instruere, ut innuitur Deut VI. 20 et seq. XI. 19.: praeterea negotia atque artes eos docebant. Nonnunquam pueri in disciplinam alicuius Sacerdotis aut Prophetae tradebantur, ut appareret ex historia Samuelis 1 Reg. I. 24 et seq, et ex historia Eliae, et Elisei qui magnum discipulorum numerum habuisse dicuntur, quos Scriptura *filios prophetarum* appellat. *Potestas paterna* maxime veneranda erat, et quarto Decalogi praecepto Ex. XX. 12 confirmata, et eius gravis violatio morte puniebatur. ut legitur Ex. XXI. 15, 17, Lev: XX.9,Deut.XXI,18-21.Eadem etiam perdurabat toto vitae tempore. Hinc benedictio paterna sollicite a filiis etiam adultis quaerebatur, maledictio autem inter praecipuas calamitates habebatur (Gen. IX. 25–27, XLVIII. 1–22, XLIX. 2–28, Ex. XX. 12).

Primogenitus specialia iura habebat nempe 1° duas portiones haereditatis percipiebat, (Deut. XXI. 17, 1 Par. V. 1): Iacob hoc ius ex Ruben transtulit in Iosephum; 2° Olim sacerdotio fungebatur, quod postea Moyses Dei iussu in tribum Levi transtulit, atque ideo primogeniti Deo offerendi, ac postea redimendi erant ex Lege Num. XVII. 15 et seq.; 3° Primogenitus auctoritate super reliquos fratres gaudebat, quam Iacob moriturus a Ruben primogenito transtulit in Iudam in poenam criminis illius (Gen. XLIX. 8–10). Quamvis autem Patriarcharum aetate aliquando primogenitura etiam ad filios minores ex voluntate patris translata fuerit, ut habetur in exemplo modo adducto de Iuda et de Ruben, et in historia Iacob et Esau, hoc tamen deinceps speciali lege vetitum est eo quod iurgiorum et odii causa esse posset (Deut. XXI. 15–17).

Testamĕntum pater coram testibus exponebat, olim quidem viva voce, recentius vero etiam scripto consignatum et sigillo munitum. In testamento filii uxorum primi ordinis aequales haereditatis partes recipiebant, primogenitus autem, ut diximus, duplicem portionem, filii vero concubinarum ius ad aequalem partem non habebant, sed ad patris arbitrium aliquid tamquam ex legato percipiebant. Filiabus vero nihil de iure cedebat, nisi in defectu fratrum,

quo in casu haereditas ad eas devolvebatur (Num. XXVII. 2–8). Si quis autem absque prole decessisset, eius substantia ad proximiores cognatos transibat ex Legis praescripto (Ib. 8–11).

ARTICULUS III.

De Servis eorumque conditione.

Apud Hebraeos servi in societatem domesticam usque ab aetate Patriarcharum ricipiebantur, ut ex historia Abrami apparet. Poterant autem in servos recipi sive Hebraei, sive alienigenae, exceptis Chananaeis, sub conditione tamen, ut circumcisionem et legem Moysi reciperent. Conditio autem servorum haec erat. Pro domino laborare debebant iuxta ipsius voluntatem, generatim vero viri campis excolendis, vel gregibus curandis operam dabant, mulieres vero ancillae rei domesticae attendebant. Saepe perspicacior et fidelior aliquis totius domus curam gerebat, et reliquis servis imperabat, quasi oeconomus seu domus praefectus, qui ideo dicebatur זְקַן־בַּיִת (Gen. XXIV. 2, XLVII. 6, 1 Reg. XXIV. 5 seq.); saepius tamen hoc officium a matrefamilias gerebatur (Prov. XXXI. 15, 1 Cor. IV. 1, et 2). Vicissim autem domini quaedam erga servos praestare tenebantur, quae in lege expressa sunt. Scilicet 1° servos humaniter tractare debebant, et necessaria ad victum et vestitum eis subministrare (Lev. XXV. 39–53). 2° Si dominus servum ita percussisset ut statim moreretur, homicidii reus habendus erat, et a iudice per sententiam damnandus; si vero oculo, vel dente privasset, aut aliter in corpore laesisset servus libertatem ipso facto recuperabat (Ex. XXI. 20, 21, 26, 27). 3° Sabbato, aliisque festis diebus laborum quies servis, et ancillis concedenda erat (Ex. XX. 10, Deut. V. 14). 4° Servi origine Hebraei anno Sabbatico dimittendi erant, necessariis rebus eis concessis: quod si apud dominum manere voluissent auris ei perforanda erat in signum servitutis perpetuae (Deut. XV. 12–18). Idem de ancillis valebat. 5° Dominus ancillis sponsum providere debebat, nisi aut ipse accipere, aut filio suo uxores eas tradere voluisset. 6° Anno iubilaei omnes servi, et ancillae libertate donabantur, exceptis servis alienigenis (Lev.

XXV. 39–44). 7° Hebraeos in servos tradere alienigenis non licebat (Ex. XXI. 7–8); si vero alienigenae inter Hebraeos commoranti quisquam Hebraeus seipsum vendidisset a consanguineis redimi poterat (Lev. XXV. 47-55) 8° Etiam servi ex alia gente ad Hebraeos transfugientes humaniter excipiendi erant, et hospitii iure gaudebant, nec genti illi reddi poterat (Deut. XXIII. 15, 16). Ceterum conditio servorum Hebraeorum diversa erat a conditione servorum alienigenarum, ut expresse habetur, Lev. XXV. 39–44.

Ex his omnibus manifeste apparet quam diversa fuerit servitus apud Hebraeos ac apud Graecos et Romanos, apud quos durissima erat, nullis iuribus munita, et arbitrio ac crudelitati dominorum fere relicta; contra vero apud Hebraeos satis benigna fuit, et humanitatis sensu. Legisque praesidio ita mitis effecta, ut multi se ultro in servitutem traderent. Pulchra est et Deo digna ratio huius humanitatis quae traditur Deut. XV. 15: « Memento quod et ipse servieris in terra Aegypti, et liberavit te Dominus Deus tuus, et idcirco ego nunc praecipio tibi.... Non avertas ab eis oculos tuos, quando dimiseris eos liberos: quoniam iuxta mercedem mercenarii per sex annos servivit tibi; ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus quae agis. »

CAPUT II.

De artibus, et scientiis, et de varia hominum conditione.

Haec simul coniungimus tamquam arctissime cum domestica hominum vita connexa, de singulis tamen nonnisi brevissime dicemus.

ARTICULUS I.

De artibus, atque scientiis Hebraeorum.

1. Origo quarumdam artium quae ad vitam necessariae sunt ante diluvium in Libro *Genesis* narratur: nam agricolturae et pastoritiae arti Cain et Abel operam dedisse leguntur (Gen. IV. 2,); Cain urbem extruxisse dicitur (ibidem 17), ex eius posteris Tubalcain fabri ferrarii artem, eiusque frater Iubal musicen excoluisse dicuntur (ibidem 21 seq.). Post diluvium vero plures alias artes

inventas et excultas fuisse dubium non est; in commoratione autem Aegyptiaca plura Hebraei ab Aegyptiis didicerunt, apud quos artes scientiasque magnam perfectionem iamtunc adeptas fuisse aliunde scimus. Proculdubio quae in Pentateuco narrantur de Hebraeis ex Aegypto egressis, et in deserto peregrinantibus progressum in artibus non exiguum demonstrant, non solum enim Patriarchales artes, sed et exquisitiores commemorantur cum sermo est de Tabernaculi aedificatione, de opere textili, de pellium praeparatione, de vasorum auri, argenti, aeris fusione, et de omnis generis ornamentis. Attamen notandum est haec omnia a duobus praecipue viris extructa et fabrefacta fuisse, Beseleel, et Ooliab, eos vero non tam humana disciplina aut usu, quam divino potius lumine atque auxilio tot diversis opificiis idoneos evasisse, ut expresse legitur Ex. XXXI. 1–11, XXXV. 30–35, XXXVI. 1 seqq. Hinc in sequenti aetate sub Iosue, et iudicibus vix ullum difficiliorum artium vestigium occurrit, ita ut sub initium regni Saulis nec inveniri posset apud Hebraeos qui sciret ex ferro aliisque metallis arma conflare, aut instrumenta agrestia concinnare, pro quibus ad Philistaeos confugere cogebantur (1 Reg. XIII. 19–22), licet hic defectus oppressioni Philistinorum, quae diuturna admodum fuerat, tribuatur.

II. Sub David et Salomone magnum artium incrementum observatur. David dicitur habuisse: « *plurimos artifices, latomos, et caementarios, artificesque lignorum, et omnium artium ad faciendum opus prudentissimos, in auro, et argento, et aere et ferro.* » (Par. XXII. 15, 16;) Salomon autem 30,000 conduxisse ad Templi aedificationem legitur 3 Reg. V. 13, insuper alii 80,000 memorantur cum 3300 operum praefectis (ib. 15–18): quamvis ibidem notetur eos operariis artificibusque Tyriis ac Sidoniis inferiores fuisse saltem in caedendis lignis, et fundendis metallis. Ceterum in hac antiquiori aetate publici artifices et publicae officinae non ita frequentes fuisse videntur, ut sunt apud nos, siquidem pleraque privata industria domi fiebant. Foeminae nobiliores, et matronae nendo, texendo, vestibus conficiendis et sarciendis utiliter tempus trahebant, ut passim Scriptura testatur, eaque de causa mulier fortis et prudens laudatur Prov. XXXI. 18–34. Mulieribus etiam curae erat molere, depsere et panem in domestico furno coquere, quare pistorum vix ulla erat necessitas, nec de eis

mentio fit nisi in historia Iosephi Patriarchae, ubi tamen de Aegyptiis est sermo (Gen. XL). Viri autem faciliora instrumenta campestria sibi quisque parabant, item praecipua arma. Morum simplicitas, antiquiore praesertim aetate, magnum artium apparatum non requirebat: populus enim Hebraeorum in maxima sui parte agricola erat, ut ex ipsis Legis Mosaicae institutionibus apparet, et ex Prophetis, qui ex campis, et vineis plerasque imagines et similitudines mutuati sunt, ut etiam Christus Dominus fecit. Commercium cum aliis gentibus haud ita magnum erat, praesertim antiquioribus temporibus, ut etiam Iosephus Flav. affirmat in lib. 1. cont. Apionem; quamvis tribus Zabulon quae ad litus maris sita erat navigatione et commercio divitias pararet, ut innuitur in benedictione prophetica huius tribus impertita a Moyse (Deut. XXXII. 18 seqq.), ubi non obscura fit allusio ad divitias per commercium maritimum comparatas. Post captivitatem Babylonicam artium, studium, et exercitium etiam communius evasisse videtur ita ut Thalmudistae generatim commendent parentibus ut aliquam artem, vel opificium filios suos doceant: hinc videmus in N. T. viros etiam eruditos artem exercentes ex. gr. Aquilam Pauli Apostoli familiarem, et ipsum Paulum (Act. XVIII. 2, 3; XX. 34; 1 Cor. IV. 12).

III. *Instrumenta* artium plurima nominantur in Scripturis, licet eorum forma et usus non semper clare innotescat. Praecipua instrumenta ad rem rusticam pertinentia erant sequentia מַחֲרֶשֶׁת *mahharesceth* (Vulg. *vomer*), אֵת *eth* (Vulgat. *ligo*), קַרְדֹּם *kardom* (Vulg. *securis*), מַחֲרֵשָׁה *mahharesciah* (Vulg. *sarculus*); מַלְמֵד *malmed* (*stimulus* boum), qui etiam ad hostes fundendos adhiberi poterat, ut fecit Samgar pugnans cum Philistaeis (Iud. III. 13) et Lycurgus adversus Bacchantes apud Homerum Iliad. IV. 134 seq. Instrumenta vocata שְׁדֵד et שְׁוֵה videntur fuisse species rastri humo complanandae accommodatae: מַחֲרָשָׁה *maharasciah* erat *aratrum;* ad triturationem, דּוּשׁ, pertinebant alia tria instrumenta, seu machinae rusticae, quae in sacro textu vocantur: בַּרְקָנִים *barkanim,* quod videtur fuisse latus asser inferius munitus acutis lapidibus; מוֹרָג, *Morag*, quadratum ligneum, sub quo cylindri ferrei et den-

tati revolvebantur, et חָרוּץ vel חָרִיץ *Hharits* tertium instrumentum fortasse simile primo; has machinas ad supplicium aliquando adhibitas fuisse alibi diximus.

Ventilatio post trituram, fiebat per furcam ligneam רַחַת, qua spicae contra ventum obiiciebatur ut grana a paleis separarentur; deinceps per *ventilabrum*, cuius mentio occurrit metaphorice Ier. XV. 7, Matt. III. 12, Luc. III. 17. Et haec de instrumentis rei rusticae.

Instrumenta musica plura occurrunt in Scriptura, praesertim in Psalmis et Prophetis: quorumdam forma, et sonus nonnisi per coniecturas determinari potest, aliorum vero satis certo constat. (1) Instrumenta musica ex natura sua dividuntur in tria genera nempe in instrumenta *inflatilia, pulsatilia,* et *fides,* quae divisio innuitur Iob XXI. 13.

1°) Instrumenta inflatilia designantur generali vocabulo עוּגָב quod in Vulgata redditur *organum,* quae vox etiam apud Latinos olim generica erat (August. in Ps. 150; Isidorus Etymol. in h. v.) Alii tamen volunt עוּגָב fuisse speciale instrumentum, scilicet fistulam pastoralem imparibus cannis extructam cuius usus est antiquissimus (Gen. IV. 21), חָלִיל erat *tibia* perforata (a verbo חלל) quae a latinis *tibia obliqua* dicebatur (*flauto*): נְחִילוֹת fortasse erat tibia duplex a Latinis dicta *Sarrana,* vel *Phrygia:* נֶקֶב videtur alia species tibiae fuisse, ex simili radice נָקַב *perforavit:* קֶרֶן *cornu* (bovis, vel arietis) ad sonum edendum concinnatum; שׁוֹפָר *tuba* olim videtur idem fuisse ac cornu, ut notant Iosephus Fl. et Hieronymus, deinceps fortasse ex aere conficiebatur in formam cornu. His potissimum in bello utebantur. Alia species tubae erat חֲצוֹצְרָה tum ad coetus convocandos, tum ad signum belli adhiberi solita.

(1) Recentes explorationes monumentorum Aegypti et Assyriae etiam huic rei magnam lucem affuderunt: nam ex una parte notum est musica instrumenta Hebraeorum nequaquam originalia aut propria fuisse, sed ab illis gentibus derivata et cum iis communia; ex alia vero parte in praedictis monumentis passim occurrunt effigies instrumentorum musicorum, imo aliquando ipsa instrumenta in sepulchris recondita: qualis est ex. gr. tibia Aegyptiaca quae nunc in musaeo florentino asservatur; de his plura disserit Fetis in insigni opere de musica veterum populorum: *Histoire générale de la musique depuis les temps les plus anciens.* Bruxelles 1869.

2°) *Instrumenta pulsatilia* erant praecipue sequentia. *Tympanum* תֹּף (fortasse ex Aegyptiaco *Teb*) respondens plus minus nostrae *tamburella;* huic sociari solebant *cymbala* מְצִלְתַּיִם, מְלִצוֹת V. Ioseph Fl. Antiqq. VII. 12, 3, scilicet vel parva tintinnabula, vel melius parvi disci metallici qui invicem percutiebantur (*piattini*): צֶלְצֵלִים item *cymbala,* a tinnitu (2 Reg. VI, Ps. CL. 5); מְנַעֲנְעִים erat species *sistri* (Vulg. 2, Reg. VI. 5); שַׁלִּישִׁים *scaliscim,* quod puellae obviam Davidi de caede Goliath revertentis pulsabant (1 Reg. XVIII. 6), erat etiam sistrum, seu triangulum (שלש), vel iuxta alios lyra quaedam triangularis formae. (1). 3°) Denique *fides,* seu instrumenta fidibus instructa (quae generico vocabulo dicuntur נְגִינוֹת, vel מְנִים (2) praecipue erant haec. *Cithara* כִּנּוֹר toties memorata in Psalmis; *Nablium* נֵבֶל erat instrumentum cavum forma triangularis fidibus instructum quae digitis tangebantur; in Ps.XCI.4 distinguitur ab עָשׂוֹר *decachordo,* quare aut plures aut pauciores habebat quam decem, Iosephus (Antiq.VII.10,3) ei tribuit 12, nunc apud Orientales habet tantum 5. Iudaei Germani dicunt נֵבֶל esse idem ac *panduram: Sambuca* סַבְּכָא nominata Dan.III.5-15 probabilius fuit instrumentum fidibus instructum simile nablio, sed maiore fidium numero. *Psalterium* idem est ac כִּנּוֹר *cithara,* utroque enim nomine promiscue redditur in versione LXX et in Vulgata latina: hoc instrumentum pulsabat David ad sedandum furorem Saulis, et ad eius praecipue sonitum eius Psalmi canendi erant: Dan. III. 5–15 ubi Vulgata legit *psalterium,* chaldaicus textus habet פְּסַנְתֵּר *phesanter* quae videtur esse nomen aliud pro כִּנּוֹר (3).

(1) *Symphonia* quae occurrit Dan. III. 5, 7, 10, 15 a plerisque creditur instrumentum inflatile, idem cum syrorum et graecorum *sambonia*, unde Italicum *zampogna*. Sed hi videntur similitudine vocis decepti, nam סוּמְפֹנְיָה *symphonia* instrumentis pulsatilibus potius accensenda est: secundum Isidorum, in libro etymologiarum ad hanc vocem , erat species quaedam tympani grandioris, *(tamburro, gran cassa).*

(2) Proprie מְגִינָה est actus pulsandi instrumentum (a verbo נָגַן) מְנִים vero sunt *fides:* sed utraque vox per obviam figuram metonymiae accipitur pro ipsis instrumentis huius classis generatim sumptis. Opinio vero illorum qui opinantur מנים fuisse singulare quoddam instrumentum nulla solida ratione confirmari potest.

(3) Sonum citharae seu psalterii flebilem, ac moestum fuisse innuere

3. Aliae liberales artes parum excultae fuisse videntur ab Hebraeis, excepta poësi, de qua alibi dictum est. Pictura vix apud eos in usu erat; de sculptis imaginibus ac statuis vix ullum vestigium occurrit.

II. Ad scientias quod attinet, dubium non est Hebraeos geometriam, et mechanicam aliquatenus excoluisse, item astronomiam; nunquam tamen in iis celebritatem assequuti videntur. Praecipuum eorum studium videtur fuisse philosophia praesertim moralis, et naturalis. Philosophiae moralis insigne specimen exhibent libri Salomonis praesertim Ecclesiastes, et Proverbia, serius autem Liber Siracidis, seu Ecclesiasticus, et Liber Sapientiae, in quo etiam vestigia Graecae philosophiae a nonnullis deprehenduntur. In postrema autem aetate certum est plures Hebraeos studio Philosophiae Graecorum animum applicuisse et variis etiam scholis nomen dedisse: ita Philo Alexandrinus Platonicus erat, Aristobulus laudatus ab Eusebio in Praeparat. Evangel. erat Peripateticus, Pharisaeorum multi Stoicorum placita sectabantur, quemadmodum Epicuraeorum Sadducaei. Philosophia moralis et religiosa publice etiam docebatur in scholis Doctorum quos חֲכָמִים *sapientes* (σόφους) vocabant, ipsi vero modestiae causa seipsos *discipulos sapientiae* (φιλοσόφους) se appellabant. Tempore Christi Domini vocabantur etiam *Scribae* (סֹפְרִים γραμματεῖς), et a discipulis vocabantur *rav, rabbi* (aut *ribbi*), et *rabban* (1). Mos erat in scholis Hebraeorum ut discipuli תַּלְמִידִים ad pedes Doctorum sederent dum ab eis doctrinam exciperent. Hinc Paulus gloriatur quod *secus pedes Gamaliel* celeberrimi Doctoris eruditus fuisset (Act. XXII. 3) et Maria Magdalene ad pedes Christi, quem magistrum suum (Rabboni) appellare consueverat, sedebat verba eius animo et auribus excipiens cum a Martha reprehensa est (Luc. X. 39).

videtur Isaias ubi loquens de excidio Moabitarum poetice scribit: « Super hoc venter meus ad Moab *quasi cithara sonabit*, et viscera mea ad murum cocti lateris » (Is. XVI. 11).

(1) Inter hosce honoris titulos diversitas quaedam servabatur ita ut, *Rav* esset titulus ordinarius, *Rabbi* vel *Ribbi* paulo honoratior, *Rabban* vero honorificentissimus et paucis tantum Doctoribus imprimis ex familia Hillel reservatus V. Buxtorfium in *Lexico Chald. Rabbin. et Thalm.* sub voce רַבָּן et in *Abbreviaturis* sub litera ר

ARTICULUS II.

De variis hominum conditionibus.

I. De his multa iam adnotata sunt cum ageretur de personis sacris, de Magistratibus, et iudicibus, de servis, etc. ita etiam paulo ante, ubi diximus de variis artibus ac scientiis: ex his enim omnibus diversa hominum conditio tum publica tum privata necessario oriebatur. Hic itaque pauca addemus tantum de pauperibus et mendicis, de immundis, de proselytis, de advenis ac de publicanis.

II. *Pauperum* cura et solicitudo a Lege Moysi saepe commendatur, ac iniungitur. Deut. XV. 12 seqq. praecipitur mutuum eis dare absque avaritia, et calliditate, et in genere eorum necessitates sublevare: « Non deerunt, inquit, pauperes in terra habitationis tuae: idcirco ego praecipio tibi, ut aperias manum fratri tuo egeno, et pauperi, qui tecum versatur in terra. » Insuper praecipitur ut cito eis reddatur merces laborum: « Non negabis mercedem indigentis, et pauperis fratris tui, sive advenae, qui tecum moratur in terra, et intra portas tuas est; sed eadem die reddes ei pretium laboris sui ante solis occasum, quia pauper est, et ex eo sustentat animam suam, ne clamet contra te ad Dominum, et reputetur tibi in peccatum. » (Deut. XXIV. 15. seq.) Praeterea in metendis frugibus, et colligenda vindemia vetitum erat spicas, aut racemos decidentes colligere, sed pauperibus colligenda relinquebantur: « pauperibus, et peregrinis carpenda dimittes. Ego Dominus Deus tuus. » (Lev. XIX. 9,10): quare pauperes tempore messis post messores incedebant ut spicas relictas colligerent, ut Ruth pauperem vitam cum socru sua Noemi agens fecisse dicitur in agro Booz (Ruth II.). Ex his fiebat ut mendicitas proprie dicta admodum rara esset, et de mendicis vix unquam in V. T. occurrat mentio: serius autem mendicantium copia non deerat, qui ad portas divitum, in publica via, et ad Templi portam sedentes eleemosynam petebant ut nunc apud nos, quibus praetereuntes dabant vel cibos, vel nummos (Marc. X. 6, 46, Luc. XVI. 20, 31, Act. III. 2 seqq.). Christus eorum vanitatem damnat qui ad ostentationem eleemosynas publice largiebantur (Matth. VI. 2).

III. *Immundi* plures habendi erant ex Lege Moysi. Immunditia

haec legalis alia gravior erat, quae non solum a Templo et sacris sed omnino a commercio cum aliis Hebraeis arcebat, uti erat immunditia quae ex lepra oriebatur, alia vero erat levior, et a Templo dumtaxat, et a sacrificiis arcebat, et plerumque per meram ablutionem removebatur eodem die quo contracta fuerat, dum graviores illae aut perpetuae erant, aut diuturnae, et per sacrificia et lustrationes tollendae erant. Rursus immunditia contrahebatur vel ex intrinseco aliquo defectu, et haec erat generatim gravior, vel ab extrinseco ex contactu rei immundae, et erat levior. Omnes casus immunditiae legalis, et eorum remedia particulatim exponuntur in libro Levitici VI–4, XI–XV, et Num. XI. Leges istae, quae prima fronte inutiles, vel ineptae videri possent, sapientissimae omnino apparent si inspiciatur finis propter quem institutae fuerunt, et Hebraici populi indoles atque adiuncta. Per haec enim puritas morum magis magisque fovebatur, contagiosi morbi, quibus regio illa obnoxia erat, avertebantur, et hominum sanitati consulebatur : simul etiam Hebraei a paganis efficacius separabantur, quorum commercium eos facile ad superstitiones idololatricas pertrahere potuisset.

IV. *Proselyti* גֵּרִים dicebantur homines qui ex alia stirpe quam Hebraica oriundi inter Hebraeos tamen vivebant, et quibusdam iuribus gaudebant: hi etiam *advenae* appellantur. Distingui autem solebant in duas classes. Alii dicebantur *proselyti portae,* גֵּרֵי הַשַּׁעַר alii vero proselyti iustitiae גֵּרֵי הַצֶּדֶק. Illi incircumcisi manebant, et Legem servare non tenebantur, quamvis in verum Deum crederent, et plerumque Templum frequentarent, et etiam sacrificia per sacerdotes offerrent. (1) Proselyti vero iustitiae ita vocabantur quia totius legalis iustitiae onus in se suscipiebant, accepta circumcisione, et oblato sacrificio, quo censebantur purgati ab idololatriae sordibus, et in filios Abrahae quasi adoptati. Proselyti multi erant apud Hebraeos usque ab aetate Moysi, qui pluries de iis mentionem ingerit, plures etiam erant aetate Regum, plurimi vero aetate Christi et Apostolorum, nec solum in Palaestina, sed et in Aegypto, in Asia minori, et in omnibus provinciis Romani Imperii.

(1) Iudaeorum Doctores vulgo existimant proselytos portae iis tantum praeceptis adstrictos fuisse, quae *Noachica* dicuntur, quia Noe et Patriarchis imposita fuerant.

V. *Hellenistae* dicebantur Hebraei illi, qui Graeca lingua loco Hebraicae vernacula utebantur: hi quidem maxime in Aegypto degebant, sed plures etiam morabantur in Asia minori, in Graecia, et in ipsa Iudaea ac etiam Ierosolymae (Act. VI.). Hellenistae Aegyptii circa a. 180 ante Christum, curante Onia IV Summo Pontifice Templum Leontopoli extruxerunt, in quo Sacerdotes ex familia Aaronis ministrabant, et sacrificia, ceterique ritus peragebantur ut in Templo Ierosolymitano. Hoc templum a plerisque Hebraeis illegitimum habitum est, et ipsi Hellenistae degentes extra Aegyptum et Cirenen, eo neglecto, Templum Ierosolymitanum statis temporibus invisebant (Act. VI. 9). Templum illud deinceps (a. 73 post Christum) eo quod tumultuum occasio esset, iussu Vespasiani Imperatoris clausum fuit. (1)

VI. *Publicani,* de quibus tam frequens mentio fit in Evangeliis, nihil aliud erant quam publici vectigalium et tributorum conductores, aut exactores (2), qui in urbibus maritimis praecipue morabantur, et in publicis locis ad teloneum sedebant ut pecuniam exigerent. Hi quidem exactores seu portitores, teste etiam Cicerone, proclives erant ad pecuniam iniuste, et praeter debitum extorquendam; quare apud populum male audiebant, imprimis vero apud Iudaeos, qui eos ut immundos et peccatores aversabantur; unde illud Christi Domini de fratre contumaci, et contra Ecclesiam rebelli: « Sit tibi sicut Ethnicus, et publicanus », et illud: « Publicani et meretrices praecedent vos in regnum Dei. » Si quis autem Iudaeus hanc vitae professionem, (quam plerumque Ethnici exercebant) suscepisset, illico a Templo et a Sacris arcebatur. Pharisaei haec, ut solebant, exaggerantes nec cibum sumere cum publicanis permittebant, et Christum reprehendebant eo quod cum publicanis comederet. Ipse vero Dominus eorum consortium non aspernabatur sive ut eos ad meliorem frugem revocaret, sive etiam ut doceret vitium non tam in officio

(1) V. Iosephum Antiq. XX. 10, 1, et De Bel. Iud. VII, 10, 4.

(2) Iahn in Archaeologia Biblica §§. 236 observat, accurate loquendo alios fuisse *publicanos* proprie dictos seu τελωναρχας, alios vero eorum portitores seu exactores. Illi erant equites Romani ad id officii deputati, quorum conditio honorabilis erat, hi vero vilioris conditionis, et propter frequentes abusus exosi: porro de his speciatim intelligenda sunt testimonia adducta ex N. T. qui minus proprie ibi publicani vocari solent.

quam in eius abusu inesse, ut apparet praesertim ex historia Zachaei principis publicanonum Ierichuntis: hinc etiam Iohannes Baptista cum publicani ad eum venissent quaerentes « Magister, quid faciemus? » non iussit eos officium suum dimittere, sed prudenter respondit: « Nihil amplius, quam quod constitutum est vobis, faciatis » (Luc. III. 12, 13).

CAPUT III.

De moribus, et conversatione

I. Mores Hebraeorum olim quidem simplices, et honestiores, progressu aetatis ad communia aliarum gentium vitia paulatim deflexerunt. Notantur imprimis indocilitas et frequentes a Divina lege defectiones iuxta illud S. Stephani: « Dura cervice, et incircumcisis cordibus, et auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis, sicut patres vestri ita et vos » (Act. VII. 51). Item arrogantia, et fastus, extorsiones, fraudes et oppressio pauperum, luxus, et corruptio, praesertim in epocha Regum et Prophetarum, apud quos vehementes reprehensiones horum vitiorum passim occurrunt: proclivitas quoque ad idololatriam olim quidem maxima fuit, et multorum malorum, ac divinorum flagellorum causa, post reditum a captivitate Babylonica fere cessavit, sed in epocha Machabaeorum ob commercium cum Graecis et Syris aliquantum revixit. Ceterum insignes quoque virtutes, et illustria sanctitatis exempla nunquam apud Hebraeos defuerunt. Nihil profecto admirabilius, ac ad animum movendum accommodatius legi potest quam exempla fidei, obedientiae, simplicitatis, pietatis quae occurrunt in historia Abrahami, Isaaci, Iacobi, Iosephi: idem dicas de domesticarum virtutum exemplis quae in historia, Ruth, ac Tobiae leguntur. Politicarum etiam virtutum gloria Hebraeis neganda non est, nam ex totius historiae serie innotescit, eos et pacis tempore industrios fuisse, et agriculturae studio inclaruisse, ingruente vero bello fortes in hostibus propulsandis, suisque iuribus vindicandis fuisse.

II. Morum elegantia, et urbanitas Hebraeis nunquam defuit, quam etiam plura Moysi instituta sanciebant, ac fovebant. Pauca hic innuemus quae notatu digniora videntur.

1° Urbanitas et benevolentia erga peregrinos et advenas maxima erat apud Hebraeos: huius rei exempla non solum in historia patriarcharum, sed per omnes aetates passim occurrunt, excepta ultima epocha circa aetatem Christi et Apostolorum, cum ob pravas Doctorum interpretationes coeperant extraneos ab officiis humanitatis excludere intelligentes vocem *proximum* (רֵעַ) de Hebraeis tantum: hunc abusum Christus reprehendit in parabola pii Samaritani. Ceterum pulchra sunt quae de peregrinis praecipiuntur Ex. XXII. 21: « Advenam non contristabis, neque affliges eum: advenae enim et ipsi fuistis in terra Aegypti » et distinctius Lev. XIX. 33 seq.: « Si habitaverit advena in terra vestra, et moratus fuerit inter vos, non exprobretis ei: sed sit inter vos quasi indigena: et diligetis eum quasi vosmetipsos: fuistis enim et vos advenae in terra Aegypti. Ego Dominus Deus vester: » alia etiam legis praescripta circa aequitatem iudiciorun, circa messem et vindemiam, superius indicavimus.

2° *Salutandi modus* multiplex erat pro varia hominum conditione, saepe exorbitans si ad nostros mores referatur, sed considerata Orientalium indole, quae adhuc apud Arabes et Syros plus minus eadem est, nonnisi urbanitatis officium et benevolentiae significationem continebant. Itaque in salutandis extraneis et quibuscumque honore dignis manum pectori admovent, et caput profunde inclinant, nunquam vero aperiunt, quod potius irreverentiae signum esset. Interim vero salutationis formulas pronunciant, quae plerumque benedictionem et augurium felicitatis continent. Communis formula semper fuit שָׁלוֹם לָךְ, שָׁלוֹם עָלֶיךָ, idest *pax tecum*, quae respondet Graecorum χαῖρε, et Romanorum *ave*. Si vero salutandus esset princeps, caput fere usque ad terram dimittebant, et eius genu vel fimbriam vestimenti osculabantur, et fronti imponebant. Coram regibus vero se totos in terram prosternebant, vel flexis genibus terram fronte attingebant, et osculabantur. Haec etiam nunc apud Orientales in usu sunt. Occurrentibus vero amicis, primum dexteras iungunt, mox vero uterque manum suam retrahens eam osculatur loco manus amici, deinde fronti imponit, aliquando etiam invicem genas osculantur, aut mentum vel barbam tangunt, cuius usus vestigium occurrit 2 Reg. XX. 9. ubi de Ioab et Amasa sermo est. Sequuntur interrogationes

de salute (שְׁאַל בשלום) benedictiones, gratulationes, quae saepe pluries repetuntur.

3° *Visitandi* modus peculiaris quoque erat apud Hebraeos. Visitans ad domum alterius accedebat, et ante ianuam consistens vel clamabat, vel pulsabat: dominus ex ianua egressus invisentem excipiebat, et in domum introducebat, mulieribus statim, dato signo, recedentibus. Nobilioribus vero viris adventus antea nunciandus erat, et dona etiam afferenda, tum vero stata hora hospes cum pompa adveniebat, et solemniter recipiebatur, aqua pedibus abluendis fundebatur, caput eius unguento ungebatur, ac demum incensis aromatibus fumigabatur, ut innuitur Ex. XIII. 37–38, Num. XVI. 6–17 et seq., 37 et seq., Prov. XXVII. 9.

4° *Donorum* oblatio apud Hebraeos caeterosque Orientales semper fuit unum ex praecipuis reverentiae, amicitiae et urbanitatis officiis. Reges ac Principes numquam invisebantur absque donis, quod deinceps etiam ad aequales extendebatur: etiam Prophetae olim dona a visitantibus et consulentibus excipiebant, ut apparet ex historia Saulis et Samuelis 1 Reg. IX. 7, 8., quamvis serius dona recusarent, postquam pseudo-prophetae incepissent munera aucupare, et secundum dona quae sperabant sua vaticinia edere. Haec porro dona conditioni donantis accommodata erant, nec quidquam ea de re praescriptum erat: itaque modo pecunia dabatur, modo cibi, aut vestes, aut arma, idque etiam cum viris principibus, quo in casu viliores res in usum servorum cedebant. Vicissim autem reges et magnates dona mittebant suis ministris, legatis, litteratis, extraneis regiam urbem adeuntibus: haec autem generatim erant vestes plus minus pretiosae, quarum proinde magna copia praesto erat in palatio Regis asservata in peculiari aula dicta *meltahha* מֶלְתַּחָה

Aliquando Reges singulis ad convivium invitatis pretiosam vestem donabant cum in aulam convivii imgrederentur. Hic mos adhuc servatur apud Reges Orientales: ille vero qui vestem recipit debet eam illico induere, et principem salutare, qui vestem donavit, aut misit.

5° *Conversatio* eiusque leges a nostris non parum differunt: Hebraei alter alterum in colloquio appellant per pronomen secundae personae singularis, ut Latini: aliquando tamen reverentiae

causa sententias enunciant in tertia persona sic: *servus tuus rogat, dominus meus vult,* etc. Communis appellandi formula erat אֲדֹנִי *domine mi,* qua personas quascumque honore dignas interpellabant, cui pro variae personae dignitate aliquid addebatur, ut: *domine mi, rex.* S. Lucas in prooemio Evangelii Theophilum appellat titulo *optimi,* κρατιστε θεοφιλε, *optime Theophile,* sed hoc potius ad Graecorum usum, quam ad Hebraeorum referendum videtur. Hebraei magistros seu doctores titulo *Rabbi,* vel *Rabbani* inter loquendum appellabant, ut supra vidimus, et Christus Phariseos, Scribasque reprehendit, quod hosce titulos nimis affectarent. Euphemismi in familiari sermone Hebraeis frequentes erant, quamvis non omnino nostris respondentes: ita ex. gr. dicebant *aquam pedum* pro urina, *tegere pedes,* pro mingere, seu ventrem purgare, femur, pro partibus inhonestis, et alia similia, verum ex alia parte in quibusdam, quae nos verbis tegere solemus, clare et sine ambagibus loquebantur ut ex. gr. de hominis conceptione et nativitate, de mulierum sterilitate aut foecunditate, de quibusdam morbis, aut criminibus contra mores, quae paullo duriora nostris auribus sonant. In mutuo colloquio Hebraei urbanissimi esse solebant: raro contradicebant etiam cum falsitatem in alterius sermone animadverterent, sed vel dissimulabant, vel mitioribus formulis utebantur רַב לָךְ, דַּיְךָ *sufficit* (Deut. III. 26, Luc. XXII, 389). Convicium in sermone erat alterum appellare *satan* (adversarium), vel *stultum,* quod pro impio accipi solebat, aut *raca,* seu contemptibilem, quae magna iniuria reputabatur. Ad aliquid affirmandum, seu concedendum, quod tamen verbis exprimere nollent, utebantur formula: *tu dicis.* vel *tu dixisti,* uti etiam nunc fit apud Syros. In colloquio generatim abstinebant ab emungendis naribus, et spuendo, ut etiam nunc Arabes, testibus d'Arvieux et Niebuhr. Generalis character conversationis Hebraeorum paullo vivacior videtur fuisse quam nunc apud Arabes et Turcas: hilaritas et loquacitas eis minime deerat, cantibus quoque, musicae et conviviis satis addicti erant, ut Scriptura passim testatur. Deambulatio praesertim longa Hebraeis, ut generatim orientalibus, parum arridebat, pro qua potius in forum ante portas urbis convenire solebant ad tempus trahendum, et confabulandum, aut in domibus temperatae laetitiae indulgebant. Ablutionibus, et balneis frequenter uteban-

tur, tum munditiae, tum refrigerii causa, saepe etiam ex praescripto Legis, ut supra vidimus. Somnus meridianus ab illius regionis caloribus suadetur, et in usu erat et est apud omnes orientales, cuius vestigia in Scriptura occurrunt 2 Reg. IV. 5, XI. 2, Math. XIII. 25. De ludis nullum occurrit vestigium, si excipiatur venatio et piscatio, quam tamen multo saepius ad lucrum, et ad vitae sustentationem exercere solebant, et gymnasticus ludus attollendi lapides, de quo alias mentionem fecimus.

CAPUT IV.

De Domibus et Habitatione

I Nihil dicemus de primis hominum habitaculis, qualia fuerunt cavernae, seu speluncae, quibus Palaestina abundat, in quibus habitare solebant, qui in Scripturis vocantur חוֹרִים *Horraei* seu *Troglodytae;* in his enim Hebraei nonnisi necessitate compulsi, ut in persecutione, vel bello, habitabant, ceterum ad mortuorum potius sepulturam iis utebantur. Dicemus tantum de *tentoriis,* et de proprie dictis *domibus.*

II *Tentoria,* seu *tabernacula* in historia Patriarcharum passim commemorantur: illi enim solebant ea secum asportare, et hac illac figere: rursus toto tempore peregrinationis in deserto omnes Hebraei sub tentoriis habitarunt, in cuius rei memoriam *festum tabernaculorum* institutum est, quo durante, octo dies Hebraei in tabernaculis seu tentoriis morabantur. Nunc vero hunc habitationis modum servant Arabes nomades, quos ideo Graeci appellabant *scenitas,* nos *Beduinos* dicimus. Forma tentorii in Scripturis non describitur, sed facile ex Arabum tentoriis dignosci, seu coniici potest. Alia sunt rotunda, et parva tribus palis humo infixis sustentata, et panno ex lana vel pilis camelorum contexto confecta; alia vero maiora et oblonga septem vel novem palis suffulta, quorum medius caeteris altior est. Interius spatium in tres partes dividitur velis, ad divisionem virorum, mulierum et animalium. Pavimentum aulaeis, vel saltem blattis sternitur, quibus etiam sedetur, et quandoque molliores culcitrae et pretiosa stragula non desunt. In his itaque tentoriis et cibi praeparantur, et capiuntur,

et in aestivis caloribus sedetur, et noctu somnus capitur. Similia fuisse Hebraeorum tabernacula vix dubium esse potest, si attendatur ad Orientalium uniformitatem et tenacitatem in priscis moribus servandis. *Tabernaculum figere* in scripturis dicitur אָהַל quod aliquando significat etiam *tabernaculum removere.* (Gen. XIII. 12, 18, Is. XIII. 20).

III. De *domibus* proprie dictis (בַּיִת, בָּתִּים) haec notanda sunt, quae quidem partim ex variis Scripturae locis colligi possunt, partim ex recentioribus Palestinae et Orientis domibus, quae vetustam formam in substantialibus retinuisse censentur. Initio quidem domus parvas fuisse et unius contignationis verisimile est: eaedem quondam ex lapidibus luto connexis, deinde lateribus et calce extruebantur, qui aedificandi modus inde a tempore Moysis notus supponitur (Deut. XXVII. 2–4): decursu temporis domus grandiores et elegantiores aedificari coeperunt, ut iam Deut. VIII. 12 innuitur. In his praeter elegantem formam, et pretiosorum lapidum ornamenta, etiam plures contignationes saltem in ditiorum hominum domibus notandae erant, ut innuitur 3 Reg. VI. 6. VII. 4, 4 Reg. I. 2. Os. VIII. 4: splendidiores domus describit Hieremias ut sua aetate frequentes, easque appellat בָּתֵּי מִדּוֹת seu *domus amplas et elevatas*. Demum aetate Christi splendida et magnificentissima aedificia Hierosolymae conspiciebantur, de quibus aliquid diximus supra in Sectione I. verum haec non ad Hebraicam, sed potius ad Graecam et Romanam architecturam referenda sunt, non exclusis aedificiis templi Herodiani. De singulis autem domorum partibus, earumque dispositione notatu digna sunt sequentia.

1. Forma plerumque *quadrata* erat; tectum vero non inclinatum, ut in nostris domibus, sed planum, et stratum, vel etiam pavimento instructum ad ambulandum, et sedendum, et circum circiter lorica vel muro cinctum (Deut. XXII. 8). Hebraei enim, ut etiam nunc Orientales, tecta domus frequenter ascendebant, ibi puriorem aerem captabant, confabulationes et familiaria colloquia habebant, preces quoque fundebant, denique aestivo tempore etiam somnum noctu capiebant, vel sub dio, vel sub tabernaculis ibidem extructis. Horum omnium exempla passim in Scripturis occurrunt, ut cum dicitur Saul in tecto domus Samuelis dormiisse 1. Reg. IX. 25, 26, vel Regem David in tecto sui palatii ambulasse

2 Reg.XI. 2–7, vel cum Christus ait oportere Apostolos *praedicare super tecta* (Matth. X. 27), vel cum Petrus in tectum ascendisse dicitur *ut oraret circa horam sextam* (Act. X. 9).

2. *Ianua* domus in medio frontis aedificii sita erat, eaque semper clausa, et a ianitore, vel ancilla custodita. Ianua aditum praebebat in *vestibulum* exterius, ubi verosimiliter erat scala, quae ad superiores partes et ad tectum ducebat, ut innui videtur Matth. XXIV. 16, 17. Exinde sequebatur interius vestibulum, seu atrium, quod *impluvio* domuum Romanarum respondebat: scilicet erat area quadrata quatuor lateribus domus cincta, habens stratum pavimentum, et in medio cisternam, vel aquae vivae fontem: Hebraei illam vocabant חָצֵר vel תָּוֶךְ *medium* (2 Reg. IV. 6, XVII. 18, Luc. V, 19). Erat insuper hoc atrium porticu instructum, quandoque ex elegantioribus columnis, quae saepe ambitum apertum et cancellis praecinctum sustentabant ad deambulandum, et prospiciendum (4 Reg. I. 2, 16, 18). In hoc atrio in praecipuis festis domesticis maior amicorum et hospitum numerus excipi solebat, ad quem finem panno vel linteo tegebatur ad solis ardorem temperandum (Ps. III, 2, Mar. II. 4, Luc. V. 19).

3. Latus domus ianuae adversum apud Arabes mulierum habitationi reservatur, et dicitur *Harem,* quae quidem diligenter custoditur ab ancillis et eunuchis, et nonnisi marito, seu domino patet. Aliquid simile etiam apud Hebraeos usitatum fuisse, postquam polygamia invaluisset, probabile est. Huic gynaeceo plerumque hortus adnexus est, in quem foeminarum cubilia prospiciunt. In reliquis lateribus domus virorum cubicula, et conclavia disposita erant, item coenacula, culina, aliaque ad vitae necessitatem et solatium accommodata.

4. *Fores* et *serae* a nostris non parum differebant. Fores modo una valva דַּלֶת modo duplici valva דְּלָתַיִם constabant. Super hasce valvas ex praecepto Legis (Deut. VI. 9, XIII. 20) inscribi solebant sententiae ipsius Legis: scilicet verba Legis membranae inscribebantur, et haec postibus affigebatur non solum domorum privatarum, sed etiam portarum urbis: haec membrana gerens verba S.Scripturae dicitur ab Hebraeis מְזוּזָה *mezuzah.* Fores autem claudebantur *sera* מַנְעוּל, vel vecte, aut repagulo quod ab Hebraeis dicebatur בְּרִיחַ (Iob. XXXVIII. 10, Deut. III. 5, Iud. XVI. 3). *Sera*

nihil aliud fuit quam pessulus ligneus mobilis et dentatus, qui duplici fune appensus, per has in foramen postis immittebatur, et in rastrum ligneum incidebat, ut inde educi non posset nisi elevaretur. Ita funes proprie ianuam clausam tenebant. Hinc explicantur phrases illae Biblicae cum *ligare* aut *solvere* dicitur pro claudere aut aperire (Dan. V. 16, Matth. XVI. 19). Ad seram vero attollendam funesque solvendos nonnunquam manu utebantur per foramen portae immissa, ut innuitur Cant. V. 4., generatim vero clavi lignea satis grandi et adunca quam vocabant מַפְתֵּחַ (Iud.III.25). Similem modum portas claudendi et aperiendi adhuc in Oriente communem esse testantur docti viri Chardin (*Voyages en Perse* To. IV. pag. 123) et Quatremere (*Dictionnaire Hist. d'architecture* To. II. pag. 462).

5. *Fenestrae* raro in publicam viam, vel plateam prospiciebant, eaeque semper clausae manebant, et tantum in publicis solemnitatibus aperiebantur (Iud. V. 28, Prov. VII. 6, Cant. II. 9.) Reliquae fenestrae in atrium interius patebant, et usque ad pavimentum fere descendebant, ut domi sedentes per eas prospicere possent; vitris quoque vel cristallis carebant, et tantum clathro vel cancello munitae erant, aut velo tenui, et pellucido claudebantur. Vela ista seu cortinae clavis auratis et elegantibus muro affixis suspendebantur, qui ad ornatum etiam domus adhiberi solebant. Pavimentum cubiculorum blattis, vel stragulis sterni solebat, in quibus saepe Orientalium luxus maxime apparet: cum autem generatim discalceati sint cum domi morantur, ea inquinandi periculum minus est quam apud nos, et necessitas verrendi aut mundandi rarior.

6. Domus parum inter se coniunctae erant, interiectis scilicet hortis et agris, unde etiam intelligitur cur vetustae Orientis urbes, ut Ninive, et Babylon, in tam immensum spatium protenderentur, ut alibi vidimus. Attamen Hierosolymae in extrema aetate credendum est domus multo spissiores et viciniores fuisse, nam ex Iosepho Fl. scimus ex una parte eius circuitum 33 dumtaxat stadiorum fuisse, ex alia vero immensam hominum multitudinem praesertim paschali tempore in ea collectam fuisse, aliquando non minus 3,000,000 (Ios. Bel. Iud. Lib. III. Cap. 3,). Plateae in Asiae urbibus saepe angustissimae sunt, et credibile est similes fuisse plerasque He-

braicarum urbium plateas, quae שְׁוָקִים, vel חֻצוֹת vocantur: non deerant tamen ampliores plateae, quas ideo Hebraei רְחוֹבוֹת seu *latas* vocant.

ARTICULUS V.

De Vestibus, Ornamentis, et Luxu.

I. Materia praecipua vestium veterum Hebraeorum erant animalium pelles, linum, et lana, quae seorsim contexi solebant, simul enim ea miscere lege vetitum erat (Lev. XIX. 19. Deut. XXII. 11.). Sericum olim Hebraeis ignotum erat, et nonnisi circa tempus captivitatis Babylonicae adhiberi coepit. Saltem primus qui illud nominat est Ezechiel, si tamen vox *mesci* מְשִׁי quae occurrit Ezech. XVI, 10, 13 sericum significet: in Apocalypsi Ioannis (XVIII, 12) sericum inter res pretiosas numeratur, quod ostendere videtur Apostolorum tempore sericas vestes magni aestimatas fuisse. In descriptione tabernaculi, et vestium sacerdotalium passim ut praecipua materia nominatur *byssus,* qui Hebr. שֵׁשׁ, vel, בַּד dicebatur, postea vero בּוּץ unde vox Βυσσος byssus orta. Erat textura ex lino purissimo et tenuissimo. Ad *colores* quod attinet, praecipui erant albus, purpureus, coccineus, et caeruleus, seu hyacinthinus. Niger vel fuscus color viliorum tantum vestium erat, et ad tempus quoque luctus pertinebat. Purpureo colore splendebant vestimenta regum, et regalium principum. Coccineus color, תּוֹלַעַת seu *vermiculus* dictus, in magno pretio erat, et vestes quandoque bis eo tingebantur, ut splendidiores fierent, quae in Scripturis dicuntur שָׁנִי, vel תּוֹלַעַת שָׁנִי *cocco bis tinctae.* Nonnunquam plures colores eidem vesti inducebantur sive acu, sive opere textili, qualis fuit vestis polymita, quam Iacob filio Ioseph fecit Gen. XXXVII. 3, et quaedam vestes summi Pontificis superius descriptae.

II. De singulis autem vestibus haec pauca adnotabimus, omissis iis quae Sacerdotum et Pontificum in templo ministrantium propriae erant, de quibus sermonem fecimus cum de personis sacris ageremus. Itaque in usu civili et domestico sequentes vestes distinguebantur.

1. *Tunica* כְּתֹנֶת prima et antiquissima vestis est. Haec olim quidem nihil aliud fuit quam linteum corpori circumdatum, ad

lumbos cingulo alligatum, et usque ad genua pertingens deinceps vero supra et infra productum, ita ut totum corpus a collo usque ad talos contegeret. In libro Genesis, et in secundo Regum mentio fit de tunica dicta *passim* כְּתֹנֶת פַּסִּים quae Gen. XXXVII. 3 in Vulgata vertitur *tunica polymita,* et 2 Reg. XIII. 18. *tunica talaris,* imo in priori loco v. 23 simul dicitur *talaris et polymita.* Quaenam vero fuerit eius forma Scriptura non dicit: hoc tantum certum est eam tum viris tum mulieribus communem fuisse, nam in primo ex citatis locis ea tribuitur Iosepho, in altero vero Thamar sorori Absalom: fortasse ornatior erat et elegantior ceteris tunicis, nam Iosepho tantum ob specialem amorem a patre Iacob concessa fuit, et de simili veste puellae Thamar in loc. cit. notatur eam filiabus Regis propriam fuisse. Moyses aliquando aliam quoque tunicam commemorat dictam *tasebets* כְּתֹנֶת תַּשְׁבֵּץ sed cuiusmodi haec fuerit impossibile est definire. Ceterum communis tunica immediate corpori circumducebatur, ut simul indusii et vestis locum teneret, unde fit ut homo sola hac interiori tunica indutus in Scripturis simpliciter *nudus* dicatur, ut ex. g. Iob. XXIV. 7. 10, Isa. XX. 2 seq., Marci XIV. 51-52, Io. XXI. 7, ub certe vox nudus non est intelligenda in propria et obvia significatione. Saeviente frigore Hebraei duplicem tunicam gestare solebant, ut etiam in itinere inter mutatorias vestes plures tunicas secum ferebant, quod Christus Matth. X. 10 Apostolis prohibuit, ad paupertatis studium, et ad plenam fiduciam divinae providentiae in eis fovendam. Tunicae similis erat vestis linea dicta *sadin* סָדִין (Iud. XIV. 12, 13, Prov. XXXI. 24), imo proprie nihil aliud videtur fuisse, quam tunica paulo amplior et laxior, ut vocis etymologia suadet, et Graece in N. T. vocatur σινδων, *sindon* (Mar. XIV. 51, 52).

2. *Cingulum* tunicam ad lumbos astringebat, ne ambulantem impediret praesertim in operando, et in itinere faciendo. Quare in Scripturis phrases: *lumbos praecingere, praecinctus lumbos* significat operi manum admovere, vel ad opus paratum esse. Haec cingula generatim ex lino confecta erant, pro pauperibus autem ex pellibus vel corio (4. Reg. 1. 8., Matth. III. 4.). Ditiores elegantia et pretiosa cingula gestabant, variis coloribus contexta, vel acu picta, quandoque etiam auro et gemmis ornata, ut praesertim prin-

cipes et reges. Milites, ac duces exercitus cingulo suspendebant gladium. Generatim in cingulo etiam pecuniam gerebant, atque ideo pars cinguli marsupii locum tenuisse videtur : hinc Christus Apostolicam paupertatem discipulis commendans aiebat: « Nolite possidere aurum, neque argentum, *neque pecuniam in zonis* (cingulis) vestris » Matth. X, 9. In hoc quasi marsupio etiam sudarium gestabant, saepe etiam atramentarium cum calamis ad scribendum, ut legitur Ezech. IX. 2, et nunc apud Turcas, Tunisinos, et Beduinos in usu est. Mulieres aliud cingulum pretiosum gerebant quod Scriptura *fasciam pectoralem* vocat, quod proinde multo altius esse debuit virorum cingulo, ut pectus quoque amplecteretur.

Hae quidem erant interiores, vestes ; exteriores vero, id est superindumenta erant praecipue *Ephod, Mehil,* et *Simlah.*

3. *Ephod* erat quidem vestis sacra Sacerdotum propria, quam superius descripsimus, sed aliquando etiam a laicis induebatur: illam enim gestabat puer Samuel (1. Reg. II. 18), et David rex cum Arcam reduceret in domum suam (2. Reg. VI. 14.)

4. *Mehil* מְעִיל, quae tum viris tum foeminis (2. Reg. XIII. 18) communis fuit, quamvis passim reddatur per *pallium,* et aliquando per *tunicam,* ab utraque tamen discrepasse videtur. Erat enim potius talaris vestis paulo laxior, tunicae superimposita, manicis carens, quae quidem in Summo Pontifice tota hyacinthini coloris erat, in laicis vero aut alba, aut purpurea, aut alterius coloris.

5. *Simlah,* שִׂמְלָה proprie erat *pallium,* quod super caeteras vestes gestari solebat : dicitur etiam *beghed,* בֶּגֶד et graece in N. T. ἱμάτιον. Ex verbis Deut. XXII. 12,. ubi de *quatuor angulis* pallii sermo est, colligitur hoc indumentum forma quadrangulari fuisse. Similis vestis videtur fuisse ea quae in textu Hebraico dicitur *addereth* אַדֶּרֶת quam Vulgata per vocem *pallium* similiter vertit (4 Reg. II. 8, Zach. XIII. 4).

6. Plures aliae vestes in Scripturis nominantur, praesertim ubi de vestitu mulierum agitur, sed earum forma, et usus non innotescit, et versiones aut genericis vocabulis earum nomina reddunt, aut in specialibus appellationibus inter se non conveniunt. (1)

III. *Capitis tegumentum* olim quidem nullum fuisse videtur:

(1) De his praeter auctores Archeologiae biblicae alias citatos, videri potest speciale opus Schroederi: *De vestitu mulier. hebr.* p. 263. seqq.

deinceps vero coeperunt linteo seu panno caput circumligare, quod postea varias formas assumpsit, et in mitras, et tiaras varii generis conversum est. Communis mitra, qua uterque sexus utebatur Hebraice dicitur *tsaniph* צָנִיף, quae vero a Sacerdotibus gestabatur dicitur *migbahah*; מִגְבָּעָה, summi vero Sacerdotis mitra, ex qua pendebat lamina aurea, vocatur *mitsnepheth* מִצְנֶפֶת, quamvis haec etiam regibus tribuatur Ezech. XXI. 31. Mulieres praeterea, exceptis ancillis et vulgaribus foeminis, etiam peplo, seu velo caput et vultum tegebant quoties domo exirent, aut cum viris colloquerentur: quod etiam nunc passim ab Orientalibus observatur. Caeterum nec viri nec mulieres in templo et in precibus fundendis umquam caput nudabant, ut et nunc in Oriente etiam apud Christianos fit. *Barba* ab omnibus viris gestabatur et colebatur, nec eam radere solebant nisi ob luctum, vel ad dedecus infligendum. Angulos barbae, ubi scilicet cum capillis coniungitur, radere in Lege speciatim prohibitum erat ea de causa quod vicini populi per hunc ritum falsis Diis se vovere solebant (Lev. XIX. 27. coll. Hier. IX. 26, XXV. 23). Capillos quidem quandoque novacula radebant, exceptis Nazareis, generatim vero Hebraei comam colebant, et pretiosis unguentis, saltem in solemnitatibus et conviviis, ungebant. Foeminae, ut in aliis fere gentibus caesariem diligentius colebant, et floribus etiam vel gemmis saepe ornabant.

IV. *Pedum tegumentum* olim fuerunt sandalia, seu ligneae tabellae, vel corii soleae plantae pedis suppositae, et corrigiis, seu loris, pedi alligatae, aliquando tamen nobilioribus viris ac foeminis pretiosa erant sandalia (Iudith. X. 3. XVI. 11). Species pretiosi calceamenti erat תַּחַשׁ *Thahhasc* nominatum Exech. XVI. 10 sed qualis fuerit incertum est. Tibialia seu caligae in usu non erant, quare pedes et crura pulvere ac luto facile inquinabantur; hinc frequens pedum ablutio, et usus aquam ad pedes abluendos hospitibus ministrandi. Sandalia quoque, ut supra innuimus, domi deponebantur, quare in ipso ingressu domus, solutis corrigiis, exuebantur, et in egressu iterum assumebantur. Sandaliorum corrigias solvere, et alligare, ipsaque sandalia domino afferre infimum servorum officium erat, unde Iohannes Baptista se Christi servum professus indignum se dicebat eius *calceamenta portare* (Matth. III. 11) aut eorum *corrigiam solvere* (Mar. I. 7).

V. De *ornamentis* et *luxu* pauca adnotabimus. Baculi usus non itineris tantum causa, sed etiam ad ornatum Hebraeis ignotus non fuit. *Annuli* quoque in digitis, et *sigilla* ex collo pendentia saepe in Scripturis nominantur (Ex. XXXV. 22, Is. XXII. 24, Agg. II. 24, Luc. XV. 22). Caeterum longe maior ornamentorum copia a mulieribus gestari solebat, quae quidem a primaeva simplicitate deflectentes paullatim usque ad extremum luxum pervenerunt, praesertim sub posterioribus Regibus. Horum ornatuum enumeratio habetur in Isaia cap. III, ubi matronae Hierosolymae de nimio luxu reprehenduntur, unde apparet, earum mundum muliebrem ipsum nostrae aetatis luxum superasse. Cum haec non tanti momenti sint, et plurium vocabulorum significatio etiam incerta sit, contenti erimus hunc locum recitare, ut est in Vulgata latina, quae utpote a Hieronymo, viro linguarum tum Hebraicae tum Latinae scientissimo, confecta, plerisque recentiorum coniecturis merito praeferri potest. Locus ita se habet: « Et dixit Dominus: Pro eo quod elevatae sunt filiae Sion, et ambulaverunt extento collo, et nutibus oculorum ibant, et plaudebant, ambulabant pedibus suis, et composito gradu incedebant; decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, et Dominus crinem earum nudabit. In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, et lunulas, et torques, et monilia, et armillas, et mitras, et discriminalia, et periscelidas, et muraenulas, et olfactoriola, et inaures, et annulos, et gemmas in fronte pendentes, et mutatoria, et palliola, et linteamina, et acus, et specula, et sindones, et vittas, et theristra. Et erit pro suavi odore foetor, et pro zona funiculus, et pro crispanti crine calvitium, et pro fascia pectorali cilicium ». Praeterea fuco vultum pingebant, et praesertim oculos stibio linire solebant, ad gratiam addendam, quod adhuc in Oriente usitatum est: ita 4 Reg. IX. 30. Iezabel dicitur stibio oculos pinxisse ut placeret Iehu, et Hieremias (IV. 30) ac Ezechiel (XXIII. 40) inter vanas mulierum artes ad virorum amorem captandum nominant, oculos stibio circumlinire. Erat autem stibium materia quaedam fusci coloris, quae stylo argenteo oculis iniiciebatur ut nigriores et grandiores apparerent, item superciliis inferebatur ut dilatarentur, et nigrescerent.

CAPUT VI.

De Animalibus et Plantis (1).

Cum ad usus domesticos animalia et plantae maxime pertineant, deque iis pluries in Scripturis mentio recurrat, visum est hic nonnulla de iis addere, ita tamen ut ea praecipue adnotemus quae Palestinae regioni, aut saltem Orienti peculiaria sunt.

ARTICULUS I.

De praecipuis Animalibus biblicis.

Animalia, ut notum est, dividuntur in terrestria, volatilia, et aquatica; rursus autem duo priora genera dividi possunt in animalia domestica, et silvestria.

1. Ad *terrestria* quod attinet praecipue de quadrupedibus בְּהֵמָה, בְּעִיר, quaedam dicemus, et primum de domesticis. Ex his Scriptura nominat camelos et dromedarios, equos, asinos, mulos, elephantes, boves, oves, capras, canes, et sues. Omissis notioribus, de aliis nonnulla observabimus.

1. *Camelus,* גָּמָל, גְּמַלִּים n toto Oriente notum animal, et maximae utilitatis est. Quamvis Orientales plures cameli species distinguant, duae tamen sunt praecipuae, quae etiam in Scripturis distinguuntur, scilicet *camelus* propie dictus, et *dromedarius.* Primus maior est corpore et duplici gibba, seu tubere in dorso munitus, laboris patiens, et viribus robustus, ita ut usque ad 1000 aut etiam 1800 libras oneris partare possit: alter vero, seu dromedarius paulo minor est, et unico tubere praeditus, nec tam ingentia onera sustinere potest, vicissim tamen alteri praecellit caloris et aestus tollerantia, in primis vero cursus velocitate, unde ab Hebraeis dicitur כִּרְכָּר *saltator,* et a Graecis, Latinisque

(1) De his copiose tractarunt plures eruditi viri. De animalibus biblicis celeberrimum est opus Bocharti cui titulus *Hierozoicon,* cui simile est opus de plantis biblicis Ol. Celsii sub titulo: *Hierobotanicon* et Hilleri: *Hierophyticon.* Plures selectas animadversiones de utrisque exhibent Scheuchzeri: *Physica sacra;* Oedmanni: *Vermischte Sammlungen aus der Naturkunde Zur Erklärung* der heil. Schrift; et alias laudatus Reusch: Bibel und Natur.

dromedarius, seu cursor. Cameli generatim mitissimi, et admodum tractabiles sunt. Eorum utilitas in Orientis regionibus maxima est: iis enim utuntur ad itinera, praesertim in deserto, conficienda, ad quem finem caeteris iumentis longe praestant, nam parco victu contenti sunt, et graviter onusti in ardenti arena velociter incedunt, ita ut plus itineris uno die conficere possint quam equus tribus aut quatuor diebus; quod autem magis est, integros octo aut decem dies vivunt sine aquae potu, quae in deserto raro occurrit; sunt enim a natura quodam veluti sacco vel utre muniti, ubi aquam large haustam conservant, ut per multos dies sufficere possit. Praeterea indigenae cameli lac comedunt, eius etiam carnibus vescuntur (quod tamen Hebraeis non licebat), et pilis, qui quotannis defluunt, et mutantur, quemdam viliorem pannum contexunt, unde pauperum vestes fiunt: quo genere vestis Ioannes Baptista indutus fuisse dicitur Matth. III. 4: etiam excrementa pro combustibili materia adhiberi solent. Hisce omnibus de causis Hebraei magnum camelorum numerum alebant, ut nunc faciunt Arabes (Gen. XXIV. 10, 64, XXXI. 17, Iob. I. 3. XLII. 12, Is. XXX. 6, 1. Reg. XXX. 17). Qui camelis vehuntur vel iis insident, seu equitant, vel in speciali quadam sella et quasi domuncula undique tecta clauduntur una cum supellectili, qua ratione praesertim mulieres iter facere solent (Gen. XXXI, 17, 34, 1. Reg. XXX, 17).

2. *Asinus* nequaquam humile et abiectum animal, sed nobile et generosum erat apud Hebraeos, et est nunc in variis Orientis partibus; quod quidem non ex consuetudine tantum repeti debet, sed etiam ex eo, quod asini in Oriente, elegantiores, et tractabiliores nostris fuerint et sint. Hinc ingentes asinorum חֲמוֹרִים et asinarum (אֲתוֹנוֹת) turmae inter possessiones divitum in Scripturis memorantur, ut cum de Abraham, de Iacob, de Iob fit sermo. Asino vectari erat commune non pauperibus tantum sed ditioribus quoque viris et matronis, imo etiam principibus. Hinc Iud. V. 10 in cantico Deborae ita compellantur principes Israel: « Qui ascenditis *super nitentes asinos*, et sedetis in iudicio, et ambulatis in via, loquimini, » et postea (X. 3, 4) legitur: « successit Iair Galaadites, qui iudicavit Israelem per viginti et duos annos, habens triginta filios *sedentes supra triginta pullos asina-*

rum » quod etiam postea (XII. 13, 14) affirmatur de filiis et nepotibus Iudicis Abdon. Hinc etiam figurate asinus pro viro forti et industrio accipitur, ut ex. gr. Gen. XLIX. 14, ubi Issachar vocatur *asinus fortis accubans inter terminos*. Asini silvestres, seu *onagri*, qui olim in Oriente frequentes erant, aliquando in Scripturis nominantur, et etiam allusio fit ad eorum instinctum, quo aquas in desertis procul odorantur et detegunt (Ps. 103. 11, Isa. XXXII. 14, Ier. XIV. 6).

3. *Mulus*, פֶּרֶד, פְּרָדִים saepe memoratur in Scripturis saltem inde ab aetate Davidis, et certum est haec iumenta frequentem usum apud Hebraeos habuisse, tum ad onera portanda, tum ad homines vehendos, etiam nobiliores: nam et Absalom ad bellum contra patris exercitum procedens mulo insidebat (2 Reg. XVIII. 9, 10) et caeteri filii David cum ad convivium eiusdem Absalom convenirent mulis vehebantur, ut dicitur 2 Reg. XIII, 29. Quamvis enim Hebraeis non liceret species animalium miscere (Lev. XIX. 19) ex vicinis tamen regionibus muli adducebantur, fortasse ex Persia, ubi hoc genus iumentorum a magnitudine et celeritate laudabatur (Esth. VIII. 10). An vox יְמִים quae occurrit Gen. XXXVI. 24 mulos significet inter philologos controvertitur.

4. *Equorum* usus haud ita magnus fuit apud Hebraeos praesertim antiquiori aetate. Nec videntur ad bellum adhibiti fuisse ante aetatem Davidis et praecipue Salomonis, qui etiam ex Aegypto magnam eorum copiam adduxisse dicitur (2. Reg. VIII. 4, 3. Reg. X. 28). Qui equis vehebantur nec sella nec ephippio utebantur, sed tantum panno dorso equi imposito insidebant: nec ferreis calceis ungulae equorum muniri solebant: quare eo maioris pretii erant quo solidiores, et duriores ungulas haberent (Is. V. 28, Am. VI. 12).

5. *Elephas* maximum inter quadrupedia, quorum species adhuc supersunt, proprium est Indiarum Orientalium. Hebraeis autem quemadmodum caeteris citerioris Asiae et Europae populis familiare non fuit, nisi post epocham Alexandri magni, qui in expeditione Indica elephantum usum in bello didicit, eosque in Graeciam adduxit. Hinc tempore Machabaeorum in variis praeliis Graecorum cum Iudaeis elephantes apparent, et de iisdem frequens est mentio in utroque Machabeorum libro. Notum est in bello elephan-

tes parvam turrim ligneam in dorso gestasse, in qua milites armati pugnabant, et ipsum belluae aspectum et impetum terrorem tum viris, tum equis incussisse, stragemque edidisse. Ceterum elephantum nomen etiam antiquius Hebraeis notum erat ex eorum dentibus, seu ebure, quod ad ornatum adhiberi solebat, et in Scripturis frequenter memoratur sub nomine שֵׁן seu *dens*. (1) Bellua quae in Libro Iob Cap. XL. vocatur *Behemoth*, quamvis a plerisque credatur esse elephas, potest tamen de alia fera, puta rhinocerote, hippopotamo, vel tauro intelligi: certe eius descriptio non satis quadrat in elephantem.

6. *Armenta* boum, quae plurima et permagna Hebraeis erant, collectivo vocabulo dicuntur בָּקָר *bakar*, greges vero ovium, et caprarum generali voce vocantur צֹאן *tson*. De his vero utpote notissimis nihil dicendum est: eorum usus idem fuit apud Hebraeos ac apud nos.

7. *Canis* כֶּלֶב frequenter in Scripturis nominatur. Hoc tamen animal minus in honore erat apud Hebraeos, quam apud nos. Exceptis canibus venatorum, et pastorum, pauci dominum habebant; reliqui absque domino ac domo liberi vagabantur, et cibum sibi quaerere cogebantur. Hinc magnae canum turbae in urbibus colligebantur, ut adhuc cernitur in Oriente: hi quidem diu latitant, sub vespere autem per vias diffunduntur quaerentes cibum, inter se pugnas miscent, latratibus, et ululatibus aerem implent, cadavera animalium aut etiam hominum forte obvia certatim devorant, nihilque tam immundum est a quo abhorreant; quam ob causam publicae sanitati utilitatem praestant, cum Orientales generatim de purgandis immunditiis parum solliciti sint. Qui haec norunt, aut oculis suis spectarunt in Palaestinae urbibus facile intelligunt imaginem illam Psalm. LVIII. 15 seq.: « Convertentur ad vesperam, et famem patientur ut canes, et circuibunt civitatem. Ipsi dispergentur ad manducandum: si vero non fuerint saturati, et murmurabunt. »

Haec quidem de quadrupedibus domesticis.

Silvestria vero ac fera plurima in Scripturis commemorantur,

(1) Prima mentio elephantis in vulgata latina occurrit 3 Reg. X. 22 ubi inter peregrinas merces, quas classis Salomonis singulis trienniis ex Tharsis afferebat numerantur etiam *dentes elephantorum*.

quorum praecipua haec sunt. 1. *Leo,* ad quem designandum non minus quam sex diversae voces occurrunt, sive istis diversae aetates leonis significentur, ut Hebraei volunt, sive diversae belluae varietates, ut vult Bochartus. Ceteris frequentius occurrit vox אַרְיֵה vel אֲרִי ad leonem adultum et ferocem denotandum. 2. *Tigris* semel tantum nominatur in Vulgata Iob. IV. 11, ubi tamen in textu est vox לָיִשׁ quae alibi pro leone semper accipitur. Nonnulli putant aliquando tigrim designari per vocem נָמֵר quae frequenter occurrit: verum haec vox *pardum,* vel *leopardum* potius significare credenda est. 3. *Ursus* bellua a ferocia simul et ab astutia formidabilis, contra quam David adolescens pugnasse legitur 1 Reg. XVII. 34, 36. 4. *Hyena* probabilius designatur Hier. XII. 9 sub nomine *tsabuah* צָבוּעַ 5. *Lupus* זְאֵב notum animal. 6. *Vulpes* שׁוּעָל saepissime in Scripturis memorata, cum iis Palestina maxime abundet. Notandum tamen est aliud quoque animal simile reperiri quod *canem aureum* appellant, vel *sciakal,* quorum ingentes turmae in desertis et campis illarum regionum occurrunt. Multa Scripturae loca, ex. gr. nota historia Samsonis Iud. XV. 4 seqq., de hoc potius animali, quam de vulpe proprie dicta intelligenda videntur. 7. *Aper,* חֲזִיר מִיַּעַר saepe nominatur ut animal vineis et campis infestum: nonnulli interpretes apros intelligunt per *feras arundinis,* de quibus est mentio in Psal. LXVII. 31. 8. *Simia* קוֹף in multis Orientis partibus communis, Palestinae indigena nunquam fuit; Scriptura tamen (3 Reg. X. 22 et 2 Par. IX. 21) narrat classem Salomonis singulis trienniis copiam horum animalium una cum aliis peregrinis mercibus in Iudaeam advexisse. 9. *Lepus* אַרְנֶבֶת inter immunda animalia numeratur. 10. Quaedam alia nomina animalium parum nota, aut incertae significationis reperiuntur in Levitico, ubi de immundis animalibus fit sermo. De quibus superfluum putamus disputare.

Reptilia generico vocabulo רֶמֶשׂ, רְמָשִׂים designantur; eorum paucae tantum species distinguuntur, ut *serpens, lacerta, stellio, camaleon,* quae etiam nobis notae sunt. Aliquando etiam minuta quadrupedia in foraminibus terrae degentia, et brevibus cruribus instructa ut ex. gr. *mures, talpae, herinacei* sub nomine reptilium includi videntur, quamvis alias etiam proprio nomine vocentur.

II. *Volatilia* in Scripturis generico nomine vocantur עוֹף: eorum vero species plurimae distinguuntur, quarum paucae erant mundae, longe plures immundae, quae scilicet nec comedi, nec in sacrificium offerri poterant. Inter volucres mundas distinguuntur 1. *Columba,* יוֹנָה cuius mentio in Scripturis frequentissima est, sive ubi de sacrificiis est sermo, sive alibi passim praesertim metaphorico sensu in innocentiae, puritatis, et fidelitatis symbolum. 2. *Turtur,* דְּרוֹר etiam in sacrificiis adhibita quemadmodum columba. 3. *Gallina et gallus* notiores sunt, quam ut de iis disseramus. Symbolum ex gallina desumptum ad significandam sollicitudinem, qua Christus Hebraeorum saluti prospicere volebat notissimum est. 4. *Passer* hebraice dicitur *tsippor* צִפּוֹר licet haec vox aliquando pro qualibet avi saltem parva generatim accipi videatur.

Immundas avium species enumerat Moyses Lev. XI. 13–20, ubi tamen quaedam nomina occurrunt obscurae et incertae significationis. In Vulgata hic locus redditur ita: « Haec sunt quae de avibus comedere non debetis, et vitanda sunt vobis: *aquilam,* et *gryphem,* et *haliaectum,* et *milvum,* ac *vulturem,* iuxta genus suum, et *omne corvini generis* in similitudinem suam, *struthionem,* et *noctuam,* et *larum,* et *accipitrem* iuxta genus suum: *bubonem,* et *mergulum,* et *ibin,* et *cygnum,* et *onocrotalum,* et *porphyrionem, herodionem,* et *charadrion* iuxta genus suum, *upupam* quoque, et *vespertilionem.* »

III. *Insectorum* magna varietas, et plura nomina in Scripturis occurrunt. In his frequentissima est mentio *locustarum,* quibus designandis non minus quam novem aut decem diversa nomina occurrunt, quibus vel diversae locustarum species, vel diversae earum proprietates designantur. Haec insecta generatim grandiora sunt in Palestina, quam in nostris regionibus, et ingens damnum messibus, fructibus et arboribus inferunt: hinc eorum incursus inter praecipuas calamitates computantur, ut alias vidimus. Hic tantum addimus locustas in cibum a Iudaeis adhibitas fuisse, quod expresse permittitur Lev. XI. 22., et a Ioanne Baptista in deserto adhiberi solebat (Matth. III. 4), ut etiam nunc in usu est apud plures Orientis populos. *Muscarum* etiam plures species occurrunt, ut *musca communis* zebub זְבוּב, *apis* דְּבוֹרָה *cynomyia* עָרוֹב

cyniphes, כִּנִּים, כֵּן etc. *formica,* נְמָלָה etiam nominatur et in exemplum providentiae et industriae pigris proponitur in noto testimonio Prov. VI. 6; *Pulex,* פַּרְעֹשׁ cui David humilitatis causa sese comparat 1. Reg. XXIV. 15. XXVI. 20; *Aranea* quoque עַכָּבִישׁ saepe occurrit sive proprie, sive figurate, item *tinea,* עָשׁ, סָס vestibus et lignis noxia; *Vermes,* quorum species est unde color coccineus extrahitur, qui etiam aliquando absolute *vermis,* seu *vermiculus* תּוֹלַעַת appellatur. Cetera libenter omittimus.

IV *Aquatica animalia* vel sunt *pisces* proprie dicti, vel *mollusca,* aut *crustacea,* vel etiam *amphibia.* Quamvis Hebraei plures horum species probabilius cognoscerent et distinguerent, in Scripturis tamen non nisi paucae distinguuntur. Commune nomen *piscis* est *Dag,* vel *Dagha.* דָּג, דגה Monstra marina generatim vocantur *tanninim* תַּנִּינִים quo nomine comprehenduntur tum *cete,* tum maiores pisces, ut *vituli marini, canes marini,* et aliquando etiam *crocodilus* aliaque amphibia animalia. Monstrum quod Ionam deglutivit vulgo creditur fuisse *balena,* sed in Hebraico textu simpliciter vocatur דָּג גָּדוֹל *piscis magnus,* et similiter apud LXX redditur per vocem genericam κῆτος, et in Vulgata per *piscem grandem* (Ion. II. 1), vel *cetum* (Matth XXII. 40). Monstrum a Iob descriptum sub nomine *Leviathan* a multis creditur esse *crocodilus,* cui satis convenit descriptio apud Iob XL. 20 et seq. Aliquando tamen accipi videtur etiam de aliis monstris marinis, ut fortasse in Psal. CVIII. 26. Ingens piscis qui Tobiam pedes in flumine Tigri lavantem perterruit, et cuius viscera iussu Raphaelis comitis servata plura efficacia remedia subministrarunt (Tob. VI. 2–10) a pluribus interpretibus creditur fuisse ingens piscis fluvialis a Latinis dictus *silurus.*

ARTICULUS II.

De Arboribus et Plantis.

Cum Hebraei vitam agricolam maxime adamarent, eorumque regio admodum fertilis esset, mirum non est, si de plantis, arboribus, fructibus, floribus, ubique mentio recurrat, et innumerae etiam descriptiones, imagines et similitudines ex eis desumantur.

Cum tamen pleraque ex istis familiaria nobis sint, hic tantum de iis brevissime dicemus quibus nos minus assueti sumus.

I. Inter *arbores* et *arbusta* notari inprimis possunt sequentia. 1. *Palma* תָּמָר arbor Orientis propria longis, angustis et acuminatis foliis, dactylos fructus ferens, in Palaestina et Idumaea maxime frequens erat, ita ut in pluribus nummis Vespasiani, Domitiani et Traiani hae regiones repraesententur sub figura mulieris sub palma sedentis. Nunc ob defectum culturae, et aquarum inopiam palmae rariores sunt in Palaestina, sed in viciniis urbis Iericho, ubi maior est aquarum copia, ingens quoque palmarum numerus occurrit.

2. *Cedrus* אֶרֶז, אַרְזִים celeberrima arbor praesertim in Libani iugis, cuius lignum soliditate et incorruptibilitate in maxima aestimatione semper fuit: immensa cedrorum copia adhibita fuit in aedificatione templi Salomonici, nec non regalium aedificiorum eiusdem Salomonis: Romae in veteri Basilica Ostiensi laquearia ex cedris Libani confecta erant. Nunc cedri rarae sunt in Palaestina et in Libano nonnullae tamen adhuc cernuntur vetustissimae, et amplissimae: cedri enim longo plurium saeculorum spatio vivunt et truncus ad enormem magnitudinem et altitudinem pervenit.

3. *Populus* לִבְנָה seu *alba*, ex foliorum colore dicta bis tantum memoratur Gen. XXX. 37. et Os. IV. 13, sed ut Hebraeis familiaris supponitur 4. *Amygdalus* שָׁקֵד saepe occurrit, cuius etiam proprietas flores emittendi primo vere et ante ceteras arbores ipso nomine indicatur, quod *vigilantem* significat (V. Ier. I. 11, 12). 5. *Quercus* אַלָּה אֵלוֹן אֵיל, nota arbor, in Scripturis passim nominatur: eius nomen a robore et fortitudine desumptum est. 6. *Terebinthus* pulcherrima arbor eodem nomine ac quercus אֵלָה אֵיל אֵלוֹן designari solet. Est tamen aliquantum diversa a quercu, folia lauro similia habet, flores ab oleae floribus non multum dissimiles: ex ea fluit liquor, seu resina suavis odoris, quae *terebinthina* dici solet. 7. Arbor *setim*, cuius lignis fere omnes tabernaculi partes extructae fuerunt (Ex. XXV. XXVI.) videtur esse *acacia*, ut supra animadvertimus. 8. *Sycomorus*, שִׁקְמָה שִׁקְמִים in quam Zachaeus ascendisse dicitur ut Christum transeuntem conspiceret, licet ex Aegypto oriunda, in Palaestina tamen olim frequentissima erat. Apud nos etiam nota est sub nomine *aceris*. Similis est moro, quamvis folia non tam spissa, nec tam rotunda

sunt, et paulo viridiora. Truncus non tam altus est, sed largior, et in multos principales ramos dispescitur, unde densa et lata umbra efficitur. Fructus, qui fico similes sunt, quamvis in magna copia ferantur, vilioris pretii sunt et pauperum cibo inserviunt.

9. *Olea* זַיִת una ex praecipuis et utilioribus arboribus ab Hebraeis sedulo excolebatur, usque a remotissima aetate. Oleum ex olivis expressum in sacris ritibus magnam partem habuit, solebat etiam ad vulnera fovenda adhiberi (Is. I. 6, Luc. X. 34).

Olea symbolum pacis, et felicitatis semper fuit etiam apud Hebraeos, fortasse ob ramusculum oleae, quem columba in arcam detulit, quo finis diluvii, et irae divinae placatio annunciabatur (Gen. VIII. 11.). 10. *Vitis* גֶּפֶן notissimum arbustum magno studio colebatur in collibus Palaestinae: vinum inde exprimebatur usque a tempore Noe, et saepe exquisitum ac pretiosum. (1) 11. *Ficus* תְּאֵנָה apud Hebraeos fortasse communior fuit quam apud alias quascumque gentes: eius fructus ob magnitudinem, et suavitatem celebratissimi, unum ex praecipuis Hebraeorum cibis constituisse videntur: comedebantur autem tum recentes, tum solis ardore exsiccati et in massas compacti, qui a Latinis caricae dicebantur: in Scripturis passim nominantur istae *massae caricarum* cum sermo est de peregrinantium, ac etiam de militum viatico. Scriptura saepe utitur phrasi: *unusquisque sub vite sua, et sub ficu sua* ad designandum tempus tranquillitatis et abundantiae. Ficus cuius folia Adam et Heva ad vestitum adhibuerunt post peccatum (Gen. III. 7) alia arbor creditur fuisse a fico ordinaria, fortasse fuit arbor illa quam Bananam vocant, seu Ficum Adami, cuius lata folia etiam nunc apud barbaras quasdam tribus ad eumdem usum adhibentur.

II. Ad plantas quod attinet, in primis notanda sunt: 1° *Cerealia* nempe *frumentum, hordeum, millium*, et cetera, quae nobis etiam communia sunt, 2° *Legumina*, ut *fabae, lentes* et similia,

(1) Tempus *vindemiae*, quemadmodum tempus *messis* erat Hebraeis tempus ingentis laetitiae; hinc saepe imagines desumunt sacri scriptores (Ier. XXV. 30, XLVIII, 33, Is. V. 2. Matt. XXI. 33). Contra raro uvarum compressio in torculari, vel calcatio accipi solet pro symbolis earum afflictionis, vel magni excidii (Is. XVII. 6, LXIII, 1-3, Ier. XLIX. 9, Lament. I. 15).

3° *cepe*, quae nostris multo meliora et grandiora erant, et adhuc sunt in Oriente, *porri*, *allia*, quibus addi possunt ceteri plantarum fructus ut *cucumeres* קִשֻּׁאִים *pepones* אַבַּטִּיחִים, 4° Plantae *odoriferae* aut *aromaticae* quibus oriens maxime abundat. Harum ingens numerus in Scripturis occurrit, quamvis nonnullae ex aliis Orientis partibus exportari solerent, et quarumdam etiam nomina incertae significationis sint. Frequentiores sunt in Sacris Libris *Absynthium, Hyssopus, Coriandrum, Sinapis, herba Borith* ad pannum purgandum adhibita, quare dicitur etiam *herba fullonum* (Mal. III. 2), *Nardus, Cinnamomum, Mentha, Cyminum, anathum* et alia minutae herbae (Matt. XXIII. 23).

IV. *Flores* saepius in Scripturis nominati sunt *Lilium* שׁוֹשַׁן *Sciuscian*, et *Rosa* חֲבַצֶּלֶת quamvis hoc nomine alii intelligant *Narcissum*, vel alios flores.

V. Inter reliquas plantas notatu dignas est *linum*: ad hoc designandum duo sunt vocabula *Bad* בַּד et *Scesc* שֵׁשׁ fortasse hoc alterum, considerata vocis etymologia, erat filum robustius ex *sex* filis lineis constans, ut plures Rabbini opinantur. Utrum etiam *byssus* Βυσσος בּוּץ tam frequenter nominata, ubi de sacris vestibus agitur, idem sit ac linum controvertitur inter eruditos: multi enim contendunt byssum esse potius *gossypium*, seu xylon, (cotone) ut inter alias acriter contendit Calmetus: alii volunt esse sericum, ut Aben-Ezra, et Abarbanel ex Rabbinis, verum communior et probabilior sententia est byssum esse tenuissimum, et candidum linum, fortasse illud quod ex Aegypto exportabatur. Similis quaestio usque a primis Ecclesiae saeculis agitari solet circa plantam sub qua sedit Jonas prope urbem Ninive, quae Hebraice dicitur *Kikaion* קִיקָיוֹן (Jon. IV. 6. 9. 10,) quam vocem Hieronymus vertit *hederam*, vetus Itala reddidit per *cucurbitam*, sed communior sententia est nec primam nec alteram proprie fuisse, sed potius *ricinum*, aut *palmam* Christi, ut alibi animadvertimus.

CAPUT VII.

De cibo, potu, et conviviis.

1. *Ciborum ratio* haud multum a nostra diversa erat. Initio quidem solis frugibus ac fructibus homines vescebantur: post diluvium vero etiam carnibus animalium vesci permissum est ad corporis infirmitatem substentandam (Gen. II. 16, IX. 3–4). Praecipua Hebraeorum alimenta fuerunt, panis, lac, mel, terrae fructus, et carnes.

1. *Panis* praecipue ex frumento conficiebatur, quandoque etiam panis vilioris pretii ex farina hordeacea parabatur. Non solum autem panis in singulis familiis fiebat a mulieribus, ut supra vidimus, sed etiam frumentum aut hordeum molebatur, quare, singulis domibus ad hunc finem aderat parva mola, quae duobus rotundis lapidibus constabat, quorum unus super alium in orbem volvebatur, atque ita grana inter duos lapides posita terebantur: volvebatur autem superior lapis vel ope manubrii ab asino in orbem circumducto, unde *mola asinaria* in Evangelio commemorata (Ex. XI. 5. Iud. XVI. 21. Matth. XVIII. 6.) Quandoque etiam panes absque fermento, et sub cineribus coctos adhibere solebant, quos Scriptura *subcinericios* appellat, quales fuerunt panes quos Abraham angelis sub specie virorum hospitio receptis dedisse legitur Gen. XVIII. Panes azymi diligentius praeparati comedendi erant etiam tota hebdomada paschali. Praeterea ex farina, sale, et oleo confici solebant placentae tum ad oblationes sacras, tum ad domesticos usus.

2. *Lactis* tum caprarum et ovium, tum vaccarum generalis erat usus; illud autem vel ad modum potus sumebant, vel coagulatum in caseum, vel denique ad formam *butyri*, חֶמְאָה, ad quod efficiendum vaccarum lac in pellibus, vel utribus comprimebant donec a sero libera ut nunc passim fit apud Arabes.

3. *Mel* apum aliud erat silvestre, quod scilicet apes sponte sua in foraminibus petrarum, vel in cavitatibus arborum deponebant, aliud vero arte et industria ex apum cultura comparatum: utrumque adhiberi solebat tum in cibum, tum ad dapes condiendas pro

quibus nos saccharo utimur, quod Hebraeis ignotum fuisse videtur. Scriptura ad fertilitatem Palaestinae significandam passim eam vocat terram *melle et lacte fluentem*.

3. *Fructus terrae,* seu fruges, legumina, herbae, et arborum fructus, plus minus eadem fuerunt Hebraeis ac sunt apud nos. Interdicebantur autem fructus arborum trium priorum annorum a plantatione, quarti autem anni fructus erant Deo offerendi in primitias (Lev. XIX. 23–25), item fructus ab agro vel vinea prolati, ubi diversa semina commixta fuissent contra Legis praeceptum (Lev. XIX. 19 et seq., Deut. XXII. 9).

5. *Carnes* animalium non tantum apud Hebraeos usum habebant, quantum apud nos, praesertim in borealibus regionibus. Praeterea non omnes animalium carnes Hebraeis permissae erant, sed plures prohibitae ut *immundae*. Haec distinctio ciborum ex peculiaribus circumstantiis et finibus Mosaicae legislationis repetenda est, quibus cessantibus leges istae per Christum abrogatae fuerunt. Scilicet animalia quaedam interdicta fuerunt, vel quia naturaliter immunda, ad animi munditiam insinuandam, vel quia sanitati corporis in climate Palaestinae nocere poterant, vel quia Aegyptii, aut alii ethnici iis ad suas superstitiones utebantur (1). Quaenam autem essent animalia immunda, quaenam munda diligenter exponitur Lev. XI et Deut. XIV, quamvis distinctio haec antiquior fuerit Moyse, et tempore Patriarchae Noe iam existeret (Gen. VII. 2. 8). Itaque ex quadrupedibus immunda erant animalia quae non ruminant, ut sues, vel ungulam plene fissam non habent, ut equi, cameli etc; ex piscibus immundi erant qui pinnulas et squamas non habent; ex avibus immundae erant omnes aves rapaces; ex reptilibus nullum erat mundum; denique ex insectis solae locustae aliaque saltantia permittebantur. Non solum autem immundus fiebat qui de his animalibus immundis comedisset, sed etiam qui eorum cadavera tetigisset, ut ibidem dicitur. Praeterea vetabatur Hebraeis esus sanguinis ex lege ipsis Patriarchis imposita (Gen. IX. 4), item esus *suffocati,* seu animalis occisi sine sanguinis effusione ob

(1) Vide de his egregie disserentem S. Thomam 1, 2. q. 102. art. 6, ubi etiam addit, quaedam prohibita fuisse ob figuralem etiam rationem, qua peccata vel vitia quaedam significabant.

eamdem causam (1). Insuper ex consuetudine Hebraei non manducabant nervum femoris in memoriam luctae Iacob cum angelo, in qua nervus eius femoris debilitatus est (Gen. XXXII. 25. 31. 32). Denique per accidens immundae fiebant carnes animalium 1°. Si idolis immolatae fuissent (Ex. XXXIV. 15.) 2° Si a feris laceratae fuissent (Ex. XXII. 30). 3° Si super illas etiam casu decidisset aqua ex vase immundo (Lev. XI. 34. 35), vel si forte rem immundam tetigissent. 4° Denique speciali lege Ex. XXIII. 19 vetitae erant carnes hoedi cocti in lacte matris.

II. *Potus* erant, 1° *aqua* fontium, torrentium vel cisternarum; 2° *Lac* ovium, caprarum, et vaccarum ; 3° *vinum* inde a Noe tempore, cuius quidem abusus saepe in Scripturis reprehenditur, moderatus vero usus commendatur. Quamvis vina Palaestinae austera, et generosa sint, solebant aliquando myrrha, aliisque aromatibus condiri; 4° *Sicera* שֵׁכָר quo nomine in Scripturis passim designatur non specialis quidam liquor, sed generatim potus inebrians, ut fert vocis etymologia: talis erant cervisia ex granis hordei fermentatis confecta, item liquor ex dactylis palmarum, aliisque fructibus paratus. Hisce potibus, ut etiam vino, abstinebant tum sacerdotes, cum ministerio fungerentur, tum Nazaraei durante tempore voti, tum Rechabitae ut superius dictum est. 5° *Acetum* חֹמֶץ ex vino vel sicera parari solebat, quod etiam aqua mixtum potui inserviebat, et praecipue messoribus ad bibendum dabatur (Num. VI. 3, Ruth. II. 14.). 6° Recentiori aetate probabile est Hebraeos alia etiam exquisitiora potionum genera a Graecis et Romanis didicisse.

III. *Conviviorum ratio* apud Hebraeos haec erat. *lentaculi* usus non videtur fuisse apud Hebraeos, sed prima refectio circa meridiem sumebatur (Eccl. X. 16, Act. XI. 15, X. 9. 10), secunda vero et principalis refectio erat sub vespere, quae *coena* dicebatur, sed nostro prandio respondebat. Ante cibum solebant preces

(1) Haec lex, quae simul etiam ad sanitatem et puritatem corporis conducebat innovata fuit a Moyse (Lev. III. 17, VII, 26 seq. Deut. XII. 16), quinimo ab Apostolis in Concilio Ierosolymitano coadunatis iterum confirmata ad tempus pro iis qui ex Ethnicismo ad fidem convertebantur (Act. XV. 29). Erat unum ex praeceptis quae dicuntur *Noachica* quia Noe et Patriarchis imposita fuerant ante Moysen.

fundere, et finita coena gratias Deo agere (Deut. VIII. 10, 1. Reg. IX. 13, Matth. XXVI. 30). Convivae ad mensam vel assidebant in sellis seu scamnis, ut apud nos, qui videtur olim generalis usus fuisse, quemadmodum semper fuit pro mulieribus (Gen. XXXIII. 33, 1. Reg. XX. 5. 24. 25, XXIII. 23,), vel in lectulis accumbebant, quod posteriori aetate praevaluisse certum est. Scilicet circa mensam appositi erant lectuli generatim tres, quorum singuli rursus tres homines caperent, unde nomen *triclinii:* in his vero singuli discumbebant super latus sinistrum reclinati, et pedibus extra mensam versus terram dimissis: hinc apparet quomodo Ioannes mensae accumbens potuerit recumbere super pectus Christi, et quomodo Maria Magdalena *stans retro secus pedes eius* potuerit eius pedes osculari et ungere (Luc. VII. 36, 38, Io. II. 9, XII. 1–11, XIII. 23, XXI. 20). Lectus medius, et medius eius locus honoratiori convivae cedebatur, quare Pharisaei hunc locum ambiebant in conviviis (Matth. XXIII. 6, Luc. XIV. 7. 10.). Hebraei cibos ex patera in os inferebant, manu vel digitis, unde orta consuetudo manus lavandi ante mensam; pedes quoque lavare solebant munditiae causa, cum detractis calceis mensae accumberent (Iud. XIX. 21, Luc. VII. 8). Mos erat optimum vinum primo apponere, deinceps vero circa finem coenae deterius, ut expresse dicitur Io. II. 10. Inter coenandum amoenis colloquiis, et honestae laetitiae indulgebant, praesertim post vini haustum; id autem Scriptura exprimere solet verbo *inebriari,* quod certe non est ad literam sumendum. Hinc etiam convivium frequenter accipitur pro symbolo felicitatis, et in specie pro felici aetate Messiae, et pro aeterna beatitudine. Cum autem convivia, ut modo diximus, vespere haberentur, et in multam noctem saepe producerentur, intelligitur cur ad designandum impios excludi ab aeterna felicitate dicatur eos mitti in *tenebras exteriores,* ubi erit *fletus et stridor dentium:* nam intra aulam convivii, cui felicitas aeterna comparatur, erant luminaria, et calor et laetitia, extra domum vero tenebrae, et frigus nocturnum.

CAPUT VIII.

De morbis et medicina.

I. *Morbi* generatim raro in Scripturis commemorantur: et probabilius etiam rariores fuerunt apud Hebraeos quam apud nos, saltem donec simplicitas morum, et vitae regularitas praevaluit, qua de causa etiam apud nomades Arabiae nunc pauci morbi sunt ut graves auctores testantur (1). Hebraei generatim credebant, saltem aetate Christi, omnes morbos in poenam alicuius peccati, sive patientis, sive saltem eius parentum a Deo directe immissos fuisse, quod non semper verum est, et Scriptura non omittit hoc praeiudicium impugnare, ex. gr. in Lib. Iob, et in historia caeci nati Io. IX. 2. 3. Quod autem Hebraei omnes morbos a diabolo repeterent, et *daemones eiicere* nihil aliud significet in N. T. quam morbos curare, est merum commentum recentiorum rationalistarum, quod suo loco refutavimus.

II. Inter particulares morbos Biblicos, quorum multi cum nostris iidem sunt, specialem mentionem merentur sequentes.

1. *Lepra,* צָרַעַת terribilis morbus apud Hebraeos satis frequens omni aetate, de quo multa in lege Moysi statuuntur. Lev. XIII. et XIV). Lepra non est morbus tantum cutaneus, sed etiam carnes inficit, ossa et medullas penetrat, extremitates membrorum corrodit, totumque corpus misere deturpat, et mutilat. Quatuor eius species vel modi distingui possunt 1° *Lepra* seu *Elephantiasis* proprie dicta, cuius signa sunt paralysis systematis muscularis, et lenta destructio articulationum, 2° *Lepra alba,* 3° *Lepra nigra,* seu *vitiligo nigra,* 4° *Lepra rubra,* seu *alopecia.* In citatis Levitici capitibus Moyses sacerdotes constituit iudices huius morbi, eius naturae, progressus et sanationis: ut scilicet agnita et probata vera lepra aegrotus procul a consortio hominum arceretur, nec iterum admitteretur in urbem domumque suam, nisi prius probata a sacerdote morbi sanatione, et oblatis sacrificiis per legem praescri-

(1) V. Inter ceteros Niebuhr: *Description de l'Arabie.* Part. I. Ch. XIV, art. VI.

ptis. Ut autem sacerdotes recte iudicare possent, omnia signa et effectus leprae et affinium morborum in citatis capitibus minute et accuratissime Moyses distinxit, et exposuit, ita ut ipsorum medicorum admirationem excitaverit (1). Lepra non tantum homines inficiebat, sed etiam transibat ad filios et nepotes, aliquando usque ad quartam generationem: ita vero contagiosa erat ut vel ipso halitu, aut tactu facile aliis communicaretur. Hic morbus aliquando subito infligebatur in poenam peccati, ut accidit ex. gr. Azariae regi, (4 Reg. XV. 5) Mariae sorori Moysi (Num. XII. 10) et Giezi puero Elisaei (4 Reg. V. 27). Moyses non solum de hominum lepra, sed etiam de lepra vestium et supellectilis loquitur Lev. XIII. 47. 59., quae scilicet simili modo maculatae apparebant, et hominibus eas tangentibus lepram intulissent, nisi statim separarentur, aut igne cremarentur vel abluerentur pro varietate casuum. Lepra benignior adhibitis remediis sanari poterat, malignior vero fere immedicabilis erat, praeter Divinum prodigium, cuius exempla quamplura occurrunt tum in Veteri tum in Novo Testamento.

2. *Pestis* דֶּבֶר teterrimus morbus, haud raro Hebraeos afflixit. Putant plerique pestem ex Aegypto aliisque finitimis regionibus primo in Palaestinam invectam fuisse: semel sub regno David triduo 70000 hominum abstulit: nonnulli interpretes cum Iosepho Flavio existimant exercitum Sennacheribi 185000 hominum pestilentia periisse, quos dicitur angelus percussisse, quatenus pestem in eos immiserit.

3. *Paralysis*, παράλυτις notus est morbus, per quem omnium, vel quorumdam membrorum usus amittitur. In N. T. frequens est mentio de paralyticis quos Christus sanitati restituit: nonnulli putant paralyticos in Evangelio appellari aliquando *lunaticos*, eo

(1) Glaire in sua *Archéologie biblique* Sect. I. Ch. V. §. 4. haec observat: « Feu M. Alibert, qui a été longtemps médecin en chef de l'hospice S. Louis à Paris (cet hospice est destiné plus particulièrement au traitement des maladies cutanées, et qui, par consequent, a pu faire de nombreuses observations sur la lepre, nous a témoigné en plusieurs circonstances sa vive admiration pour le grand savoir, que Moyse a montré dans sa description des différentes lèpres; surtout depuis que nous lui avons expliqué, sur le texte hébreu même, les chapitres du Levitique, qui traitent de cette maladie aussi bizzarre que horrible. »

quod morbus ille influxibus lunae tribueretur. Verum probabilior est Hieronymi, aliorumque communis sententia, quae per lunaticos intelligit daemoniacos, seu quodam diabolicae obsessionis genere laborantes, ut innuitur Matth. XVII. 14–17. Quod autem daemoniaci in Evangelio memorati essent vere a daemone obsessi, non autem simpliciter epileptici, aut alio morbo naturali correpti, ut volunt recentiores quidam, speciali Thesi demonstratum est in parte prima Introductionis criticae; quamvis negandum non sit cum diabolica obsessione etiam naturales morbos aliquando coniungi potuisse.

4. *Morbus Saulis* 1 Reg. XVI. 14. 15, XVIII. 10, XIX. 9, ita describitur ut dicatur spiritum malum eum arripuisse, et exagitasse, quo in furorem actus David saepius lancea confodere tentavit, et etiam eo correptus aliquando *prophetabat in medio domus suae*: demum ex sonitu citharae vel psalterii solamen accepisse dicitur. Ex his omnibus multi interpretes tum Iudaei tum Christiani opinantur Saulem morbo atrabiliari et hypocondriaco affectum fuisse, cuius accessus aliquando veram maniam generabant, qua sibi persuaderet se esse prophetam, et ad David innocentem trucidandum repente incitabatur.

5. Morbus *Nabuchodonosor* de quo est sermo Dan. IV. 16–22, 28–30, per quem dicitur veluti in belluam mutatum fuisse, ut *foenum quasi bos comederet*, et *rore coeli infunderetur*, et *capilli eius in similitudinem aquilarum crescerent, et ungues eius quasi avium*, probabilius non fuit nisi mania, seu accessus hypocondriaci morbi, quo lumine rationis impedito, et turbata phantasia, putabat se in belluam conversum, et belluinos mores imitabatur. Sane elapso tempore a Daniele praenunciato: «Ego Nabuchodonosor (inquit) oculos meos ad coelum levavi, et sensus meus redditus est mihi: et Altissimo benedixi, et viventem in sempiternum laudavi, et glorificavi » (ib. 31.) quare non agebatur nisi de *sensus*, seu consilii et iudicii immutatione.

III. *Medicinae* ars, et medici, aliquando in Scripturis commemorantur. Medici primum occurrunt Gen L. 2, ubi Ioseph eos iubet cadaver Iacob condire: verum hi proculdubio erant Aegyptii. Expressa de medicis mentio fit Ex. XXI. 19, ubi Moyses praecipit, ut qui in rixa alterum graviter percusserit *operas eius, et impensas in medicos restituat*. Probabilius ab initio Sacerdotes artem

medicam exercebant, quae tamquam sacra olim habita est etiam apud Aegyptios, Graecos, Romanos aliasque veteres gentes: et ipse Moyses Sacerdotes constituit iudices de lepra principali morbo. Verum alios quoque laicos medicinam professos fuisse praesertim posteriori aetate dubitari non potest: nam saepe Scriptura de medicorum professione eorumque lucris loquitur ubi nulla occurrit de Sacerdotibus mentio (Ex. XXI. 19 2, Par. XVI, 12, Ier. VIII. 22, Eccli. XXXVIII. 1–15); aetate autem Christi medicina secundum Graecorum et Romanorum scholas certe excolebatur, et de medicis pluries sermo fit in N. T. (Mar. V. 26, Luc. IV. 23.). Inter ipsos sacros Scriptores N. T. Lucas erat medicus Antiochenus (Col. IV. 14). Pulchrum elogium medicorum, et medicinae legitur Eccli. XXXVIII. 1–15, ubi etiam praecipitur advocandum esse medicum, et honorandum, eumque a Deo sapientiam accepisse, ut sciat medicamenta a Deo create reperire, parare, et morbis curandis applicare.

CAPUT IX.

De Morte, Funere, Sepultura et luctu.

I. Quamvis apud Hebraeos occurrat verbum גָּוַד ad mortem significandam, frequenter tamen Scriptura adhibet sequentes phrases: *appositus est ad populum suum; dormivit cum patribus suis; congregatus est ad populum suum*, quibus manifeste exprimitur fides Hebraeorum in animarum immortalitatem, et futuram vitam: scilicet pro iis veram religionem et revelationem tenentibus haec vita non erat nisi iter et peregrinatio ad meliorem vitam, ad quam tendebant: locus autem ubi animae defunctorum detinebantur expectantes adventum Messiae, qui aditum ad regnum coelorum reclusurus erat, dicebatur *Sceol* שְׁאוֹל, quod Vulgata reddere solet per *infernum*, non quidem ad locum tormentorum indicandum, qui apud nos sub hac voce intelligitur, sed ex eo quod crederetur receptaculum illud animarum in inferioribus terrae regionibus situm esse.

Cum aliquis extremum halitum reddidisset solebant propinqui, vel amici eius oculos claudere (Gen. XLVI. 4, Tob. XIV. 11.)

quod quidem etiam Graecis, aliisque gentibus usitatum fuit, uti etiam apud veteres Christianos; imo apud hos tamquam sacrum officium haberi solebat (1). Utrum mos esset supremum osculum morientibus, vel mortuis dare non ita clare constat: nam quod legitur Gen. L. 1 Iosephum hoc patri suo Iacob fecisse, potest facile tribui speciali eius erga patrem amori, et peculiaribus circumstantiis, in quibus mors illa accidit, potius quam receptae apud Hebraeos consuetudini. Deinceps cadaver aqua abluebatur, et sindone involutum fasciis ligabatur, sudario capiti imposito, ut apparet ex. gr. ex historia Lazari (Io. XI. 44.), et ipsius Christi sepulturae (Matth. XXVII. 59, Io. XX. 6. 7.); solebat etiam aromatibus, inprimis myrrha et aloe arabico ab amicis et propinquis condiri (Math. XVI. 1, XXVI. 6–14, XXVII, 15. 59. Act. IX. 37). Cadaver vero ita praeparatum, nisi statim sepeliretur, in maiori aula seu coenaculo deponebatur, usque ad tempus sepulturae. Apud Aegyptios, ut notum est, speciali cura solebant cadavera condiri, et a corruptione praeservari: cadaver ita praeparatum vulgo *mumia* dicitur, et in loculo, seu cista lignea fere hominis figuram praeseferente inclusum vel in sepulchro condebatur, vel etiam domi asservabatur tempore indefinito; mumiae enim per plura saecula incorruptae servantur, ita ut in Aegypto quaedam repertae sint, et adhuc reperiantur quae a remotissima aetate, 10 aut 15 ante Christum saeculis, descendunt. Quamvis tres methodi cadavera condiendi apud Aegyptios in usu fuisse dicantur, praecipua tamen et ditiorum propria erat illa quae adhibita est in cadaveribus Iacob et Ioseph Patriarcharum, qui in Aegypto mortui sunt: haec quidem dicitur a medicis peracta, et dies 40 perdurasse (Gen L. 3); describitur autem ab Herodoto Lib. II. Cap. 86-88. Hebraeis tamen in Palaestinam reversis non videtur hic modus cadavera condiendi usitatus fuisse, sed tantum aromatibus utebantur extrinsecus, quae corruptionem omnino non impediebant, ut apparet ex facto Lazari Io. XI. 39, et ex loco Psalmi XV. 9, 10.

II. *Funus,* seu pompa quaedam in cadavere efferendo, omnibus gentibus commune fuit, eoque privari ut summum dedecus et

(1) Id colligitur ex S. Ambrosio in *Oratione de morte Satyri,* ubi hoc vocat *votivum officium,* V. Menochium De Republ. Hebr. l. VIII. c. 4.

ignominia semper habitum: quare etiam in Scripturis per modum convicii, aut dirae comminationis saepe indicitur cadaver alicuius absque funere et sepultura feris avibusque relinquendum fore (1. Reg. XVII. 44. et seq., XXXI 8–13, 2. Reg. IV. 12, 3. Reg. XIV. 11–14, Ier. VII. 33. VIII. 2): hoc dicebatur per contemptum *sepultura asini* (Ier. XXII. 19). Funus curabant filii, propinqui et amici, vel etiam servi: cadaver feretro imponebatur, non quidem in arca, seu cista inclusum, sed tantum sindone involutum et fasciis alligatum, ut clare apparet ex exemplis Lazari, filii viduae Naimitidis (Luc. VII, 14.), Christi Domini, et aliis: feretrum a quatuor vel sex propinquis portabatur: nunc solent portitores Iudaeorum festinanter ambulare, utrum etiam antiquius hoc in more positum esset non satis innotescit. Funus comitari solebant parentes, propinqui et amici lugentes: ita funus Iacobi comitati sunt Ioseph, cum aliis filiis et tota domo, cum curribus etiam, et equitibus, magnaque hominum turba (Gen. L. 6–9.); Rex David cum multa turba comitabatur funus Abner ducis exercitus Saul (2. Reg. III. 31. et seq.): haec autem data proportione etiam in funere privatorum hominum locum habuisse apparet ex historia adolescentis filii viduae, quem Christus ad urbem Naim resuscitavit (Luc. VII. 12–15).

III. *Sepultura* cadaveribus dabatur satis cito post mortem, quia in ferventi climate Palaestinae cadavera, etiam aromatibus peruncta, cito putrescunt. Mos corpora cremandi olim quidem ignotus erat Hebraeis, deinceps vero invaluit pro cadaveribus Regum tantum, ut apparet ex Saule, eiusque filiis, et ex Asa, et Sedecia regibus, quorum corpora cremata fuerunt, et cineres in sepulchro reconditi; imo hunc morem pro omnibus regibus servatum fuisse expresse dicitur 2 Par. XXI. 19, et Ier. XXXIV. 15: pro privatis autem numquam hic mos obtinuisse videtur, quin imo secundum Talmud cadaverum crematio in abominatione fuit post captivitatem Babylonicam, fortasse quia a Gentilibus Graecis, et Romanis usitata.

Sepulchra Hebraeorum a nostris plerumque diversa erant. Pauperiores quidem in terra effossa sepeliebantur, ditiores vero in speluncis, seu cavernis, sive naturalibus, quibus Palaestina maxime abundat, sive arte excisis in rupe, aut sub solo: istae speluncae modo simplices erant, modo duplices, ut spelunca Abrahami, sci-

licet duobus cubiculis, aut etiam tribus, quatuor vel pluribus constantes. Primum cubiculum apertum manebat quasi vestibulum sepulchri, aditus a primo ad secundum claudebatur porta marmorea, vel ingenti saxo. In his cadavera deponebantur sive in terra, sive in foraminibus, seu loculis in parietibus cavernae effossis, ita ut in una eademque spelunca plures sepelirentur. Solebant enim Hebraei non sibi solum, sed et uxori, et filiis, totique familiae, sepulchra comparare, ut simul mortui requiescerent. Huiusmodi sepulchra extra urbem et pagos extruebantur ut etiam Lex Mosaica, et sanitatis ratio postulabat; plerumque in hortis, aut sub frondosis arboribus sepulchra struere adamabant (Gen. XXIII. 17, XXXV. 8, 1 Reg. XXXI. 13, 4 Reg. XXI. 18, Io. XIX. 41.) Raro fiebat ut viri illustres permitterentur in urbe sepeliri, ut ex. gr. Samuel (1 Reg. XXVIII. 3), Manasses (4 Reg. XXI. 18), Iojadas Sacerdos (2 Par. XXIV. 15. 16): Reges autem Iuda propria sepulchra habebant Hierosolymae in monte Sion. Ceterum cum non omnes haec privata sepulchra possiderent, aderant etiam communia sepulchreta, ut innuitur 4 Reg. XXIII. 6, Hier. XXVII. 7; in N. T. mentio fit de agro assignato sepulturae peregrinorum, (Matth. XXVII. 7.), qui adhuc cernitur prope Ierusalem ad austrum. Sepeliri in sepulchro paterno magno honori habebatur, summo autem dedecori ab illo excludi. Sepulchra solebant quotannis dealbari, sive ad elegantiam, sive etiam ad eorum situm clarius praetereuntibus indicandum ne forte ex eorum contactu immundi fierent: hinc nota illa similitudo, qua Christus perstrinxit Scribas, et Pharisaeos hypocritas illos comparans *sepulchris dealbatis* « quae a foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, et omni spurcitia » Matth. XXIII. 27. Adhuc in Palaestina plurima sepulchra antiquissima reperiuntur, praesertim circa Ierusalem; quorum nonnulla ampla et perpulchra sunt, in primis ea quae dicuntur sepulchra regia, et sepulchrum Helenae reginae, quae alias vidimus sita esse ad Septentrionem urbis non procul a monte Scopo. Haec quidem vel duobus, vel tribus cubiculis constant, in quae descenditur per gradus: in muro exteriori foramen aderat per quod cadavera in singula cubicula dimittebantur. Quandoque sepulchris imponebantur quaedam *monumenta,* quorum nonnulla in Oriente adhuc occurrunt. Opor-

tet tamen in his distinguere monumenta Arabum, et Mohammedanorum, a monumentis Hebraicis. Arabes solebant honoris causa acervum lapidum super sepulchrum attollere, contra vero Hebraeis hoc erat signum opprobrii ac detestationis, ut supra vidimus: Mohammedani solent super sepulchra eorum quos sanctos putant quasdam aediculas extruere quatuor columnis innixas, quarum multae occurrunt in Syria et Palestina. Hebraei vero solebant unum ingentem lapidem attollere, vel informem, vel serius etiam laevigatum, et epigraphe quoque ornatum. Notum est Aegyptios praegrandia monumenta mortuis erexisse, quorum praecipua sunt pyramides, quae magnitudine montibus comparari possunt.

Inter sepulchra, de quibus Scriptura mentionem facit notari possunt sequentia:

I. Sepulchrum Abrahami dictum *Macphelah* מַכְפֵּלָה, seu *spelunca duplex,* quam ipse emit ab Ephron Hethaeo (Gen. XXII. 8–20). Hoc sepulchrum celeberrimum extitit: ibi sepulta est primum Sara, deinde ipse Abraham, postea Isaac et Rebecca, serius corpus Iacob ex Aegypto asportatum ibi conditum fuit, a Ioseph, eiusque fratribus: haec spelunca cum sepulchris Patriarcharum sita erat prope Hebron, quae tunc dicebatur Mamre, et tempore Iosephi Flavii in magno honore erat, et etiam saeculo quarto Ecclesiae adhuc invisebatur, testibus Eusebio, Hieronymo et aliis. Quin imo nunc certum est praedictam speluncam cum sepulchris adhuc existere in pago dicto *El-Khulil,* qui respondet antiquae Hebron; sed sub Mohammedanorum potestate est, qui eam superstitiose custodiunt intra aedem dictam *Haram,* et ingressum Christianis negant. Nonnullis tamen illustribus viris permissum nuper fuit intra muros *Haram* ubi spelunca includitur penetrare, non tamen in ipsam speluncam descendere, neque etiam accensis facibus eius penetralia procul inspicere (1). Incredibile non est ibi adhuc servari ossa Patriarcharum, fortasse integrum Iacobi corpus.

(1) Saeculo XII quidam Rabbi Beniamin dicitur visitasse speluncam, et Patriarcharum sepulchra vidisse. Initio nostri huius saeculi quidam apostata Christianus qui nomen assumpsit Ali Bey intra praedictum Haram introductus fuit. Recentius a. 1862 princeps regalis Angliae cum D. Stanley visitavit hunc locum, sed nihil de Mecphelach inspicere potuerunt, ut in relatione fatetur laudatus Stanley: idem plus minus accidit D. Fergusson, et

2. *Sepulchra* Regum ut diximus in Sion extructa erant, eaque splendida fuïsse dubium non est. Sepulchrum David Herodes aperuit, et in eo regia insignia invenit. Narrat Iosephus (Antiq. Lib. XVI. Cap. et de Bel. Iud. Lib. 1. Cap. 2). Ioannem Hyrcanum idem sepulchrum explorasse, et ibi thesaurum invenisse.

3. *Sepulchrum Iosue* situm erat prope urbem *Tamnathsare in monte Ephraim a septentrionali parte montis Gaas* (Ios. XXIV. 30,). Hoc sepulchrum, quod certe magnificentius esse oportuit pro merito et fama tanti ducis, creditur nuper repertum fuisse in loco dicto *Khirbet-Tibneh*: eius inventor fuit V. Guerin a 1864, cuius explorationes et investigationes confirmatae fuerunt a Saulcy anno 1866. (1).

4. *Sepulchrum,* seu monumentum *Machabaeorum* magnificentissimum extructum in loco dicto Modin ita describitur 1 Mach. XIII. 27 et seq.: « Et aedificavit Simon super sepulchrum patris sui, et fratrum suorum aedificium altum visu, lapide polito retro et ante: et statuit septem pyramidas, unam contra unam patri et matri, et quatuor fratribus: et his circumposuit columnas magnas; et super columnas arma, ad memoriam aeternam; et iuxta arma naves sculptas, quae viderentur ab omnibus navigantibus mare. » Vid. etiam Iosephum Antiq. Lib. XIII. Cap. 11.

5. *Sepulchrum Christi* Domini ceteris longe sanctius et omni veneratione dignum adhuc extat in ea parte collis Calvariae, quae intra Ecclesiam Sancti Sepulchri inclusa est. De hoc nonnulla diximus in Sect. I.

IV. *Luctus* Orientalium generatim vehementior, et clamoribus

Marchioni de Bute (a. 1866). E. Pierotti in alias citata descriptione Ierosolymae narrat se intra Haram et Moscheam introductum vidisse portam cancellis munitam, quae ad speluncam ducit, sed permissum non fuisse eam ingredi: porta haec extat prope angulum nord ovest Haram. Mohammedani qui hoc Sanctuarium custodiunt libere possunt in illud penetrare, sed utrum id faciant ignoratur.

(1) V. *Revue archéologique*. Fevr. 1865 p. 100-108: *Le tombeau de Iosue, Note sur le Khirbet* (Kharbet) *Tibneh dans le massif d'Ephraim lue à l'Academie des Inscriptions et Belles-lettres le 28 Octobre 1864* par M. V. Guerin: et iterum in celebri eiusdem auctoris opere *Description de la Palestine, Samarie*: item De Saulcey: *Voyage en Terre Sainte* 1865. to. II. p. 226-238.

ac significationibus plenus erat, et est, multo magis quam apud Occidentales. Sine dubio autem varius erat et vehementia et duratione, pro varia defuncti conditione et merito. Hebraei generatim in luctu vestimenta scindebant a collo usque ad cingulum, caput cineribus vel pulvere conspergebant, saccum vel cilicium induebant, aliquando etiam barbam et capillos radebant, aut etiam lacertos sibi incidebant, ut observat Hieronymus Comm. in Ierem. XVI. 6: interim vero convivia, balnea, capitis unctionem, aliaque temporis laetitiae et prosperitatis propria intermittebant: cantus tamen lugubres, et instrumentorum concentus aliquando admittebant (Amos V. 16, Ier. IX. 11, XIX. 16, XLVIII. 36, Matth. IX. 23, Luc. VII. 32). Haec autem generatim perdurabant una hebdomada iuxta illud Eccli. XXII. 13: » *Luctus mortui septem dies* »; verum pro illustrioribus defunctis diutius protrahebatur: ita populus Hebraeorum luxit mortem Moysi triginta dies (Deut. XXXIV. 8) Tempore luctus solebant propinqui convivium lugentibus parare, quod in Scripturis dicitur *panis dolorum,* et a Latinis dicebatur *parentalia* (Hier. loc. cit.). Alibi vidimus sacerdotes non potuisse luctum peragere nisi in morte parentum, filiorum, fratrum, ac sororis virginis; summo vero Pontifici nec pro his funera aut luctum permissum fuisse.

FINIS

A. M. D. G.

INDEX

INTRODUCTIO EXEGETICA
IN SACRAM SCRIPTURAM

Praefatio . . . . . pag. I
Prolegomena . . . . . » 1
I. Introductionis Exegeticae obiectum et notio: exegetica idem ac hermeneutica – Hermeneutica universalis *et* specialis – *Definitio* Hermeneuticae biblicae – *II. Necessitas – III. Historia A. apud Hebraeos B. apud Christianos 1° aevo antiquo, 2° aevo medio, 3° aevo recentiore 1°) apud Catholicos: eorum praecipua opera hermeneutica, 2°) apud Protestantes: auctores praecipui – IV. Tractationis divisio in tres partes. Appendices duo* . . . . » ib.

PARS PRIMA

DE VARIIS S. SCRIPTURAE SENSIBUS GENERATIM

Praenotanda. Sensus *auctoris quid ? – quomodo differat a* significatione *verborum – Sensus Scripturae duplex – sensus literalis* proprius, *et* translatus – *sensus* parabolicus – *sensus mysticus triplex*, al-

legoricus, moralis, anagogicus – *alia divisio sensus mystici in* commemorativum, moralem, *et* propheticum – *sensus accommodatus quid?* . . pag. 19

CAPUT I. *De literali SS. Scripturarum sensu* . . . . . » 25

Quaestio 1. *De existentia literalis sensus in omnibus Scripturae locis* . . . . . » ib.

THESIS I. – *Sensus literalis sive proprius, sive improprius in omnibus et singulis S. Scripturae locis admittendus est* . . . . . » ib.

I. *Rationes dubitandi 1° ex testimoniis veterum Doctorum, 2° ex variis exemplis S. Scripturae* . . » 26

II. *Argumenta pro Thesi 1° ex rei natura, 2° ex auctoritate* . . . . . » 27

III. *Responsio 1° ad rationes externas ex Origene aliisque Alexandrinis – Responsio indirecta – responsio directa: duae quaestiones destinguuntur – quid sit apud Origenem sensus* corporeus, σωματικος *– 2° ad rationes internas* . . . . . » 28

Quaestio 2. *De unitate, vel multiplicitate sensus literalis* . . . . . » 33

THESIS II. – *Sensum literalem in quibusdam Scripturae locis vere multiplicem esse certo demonstrari nequit* . . . . . » 35

I. *Argumenta pro multiplici literali sensu. 1° Variae rationes, 2° exempla ex variis Scripturae locis, 3° sententiae Doctorum 1°) generales loquendi formulae, 2°) testimonia specialia* . . . . . » ib.

II. *Animadversiones: aliud* sensus, *aliud accommodatio – aliud sensus multiplex, aliud sensus* literalis multiplex – *aliud sensus literalis multiplex, aliud* ambiguus – *aliud multiplex, aliud* foecundus: *hic dupliciter fieri potest* . . . . . » 39

III. *Examen argumentorum. 1° Expenduntur rationes internae – 2° Expenduntur exempla Scripturarum – 3° Expenduntur testimonia Doctorum, imprimis SS. Augustini, et Thomae* . . . . . » 40

CAP. II. *De mystico Sacrae Scripturae sensu* . . . . . » 57

Brevis historia controversiae–divisio tractationis pag. 57
Quaestio 1. *De existentia sensus mystici in Veteri Testamento* . . . . . » 59
THESIS III. – *In libris V. T. praeter sensum literalem, etiam sensus mysticus, et quidem prophetico – allegoricus, admittendus est, aeque ac literalis a Spiritu Sancto intentus* . . . . . » 60
Praenotanda 1° cur praecipue de sensu allegorico – 2° non quaeritur de possibilitate vel convenientia, sed de facto ipso . . . . . » ib.
Arg. I. Ex Sacra Scriptura. I. Testimonia explicita *1° generalia, 2° specialia* . . . . . » 62
II. *Testimonia* implicita – *quatuor modi quibus Agiographi mysticum Scripturae sensum insinuant* » 64
Arg. II. Ex traditione Iudaica, et Christiana . » 67
I. *Traditio Iudaeorum pro mystico sensu Librorum V. T. – Epocha 1ª. ante Captiv. Babyl. – Epocha 2ª. usque ad Christum – Epocha 3ª. post Christum – Talmudistae – Cabbalistae – Exegetae* . » 68
II. *Traditio Christiana – Liturgia – Archaeologia – Patres et Doctores* . . . . . » 74
Arg. III. Ex ratione theologica.
Analogia inter res utriusque Testamenti 1° clara, et determinata, 2° frequentissima, 3° in rebus specialiter a Deo ordinatis – Exempla – Sacrificium Abrahami – Agnus Paschalis – Caper emissarius » 79
IV. Obiectionum solutio . . . . . » 83
Quaestio 2. *De extensione sensus mystici in V. T.* » 90
THESIS IV. – *Sensus mysticus Librorum V. T. nec ad omnia indiscriminatim loca extendendus est, neque ex alia parte ad ea tantum coarctandus quae ab Agiographis N. T. mystice explicata fuerunt; sed in iis omnibus et solis locis admittendus est, in quibus sufficienter innotescit intentio Spiritus Sancti quasdam res vel personas V. T. assumentis ad aliquid aliud in N. T. significandum* . . . . . » ib.

Probatur Pars I. contra figuristas – Arg. 1. Opinio gratuita – Arg. 2. Ex sensu et praxi Ecclesiae, et Patrum – Arg. 3. ab inconvenientibus pag. 90
Probatur Pars II. adversus antifiguristas – Arg. 1. ex rei natura – Arg. 2. ex sensu, et praxi Ecclesiae . . . . . » 94
Exponitur Pars III. De criteriis mystici Scripturae sensus – Criterium generale – Criteria particularia quinque – animadversiones . . . . . » 96
Quaestio 3. *De sensu mystico in Libris N. T.* . . » 100
THESIS V. – *Sensus mysticus saltem commemorativus, tropologicus et anagogicus etiam in Libris Novi Testamenti admittendus est* . . . . . » ib.
Arg. I. Ab exemplis et testimoniis ex ipso N. T. depromptis . . . . . » ib.
Arg. II. Ex Patrum sensu, ac testimonio . . . » 102
Contrariorum solutio – quorumdam auctorum mens explicatur . . . . . » 104
Cap. III. *De sensu accommodato* . . . . . » 105
Dicitur improprie Scripturae sensus – Eius definitio ac divisio . . . . . » ib.
Quaestio 1. *An licitum sit Scripturam exponere in sensu accommodato* . . . . . » 107
THESIS VI. – *Accommodatio aesthetica locorum S. Scripturae, si iuxta rectas normas fiat, licita et laudabilis est* . . . . . » ib.
I. *Abusus vitandi: alii ex parte rerum, alii ex parte modi* . . . . . » ib.
Regula 1. *Verba S. S. non sunt accommodanda rebus inhonestis, aut gravitati Scripturae repugnantibus* . . . . . » ib.
Regula 2. *Neque rebus nimis alienis, aut contrariis menti Auctoris* . . . . . » 108
Regula 3. *Sensus accommodatus non debet ita proponi ut excludatur sensus verus* . . . . . » 109
Regula 4. *Non est proponendus tamquam verus Scripturae sensus* . . . . . » 110

Hisce vitiis remotis, accommodatio verborum S. S. est 1° licita: *Arg. ex rei natura, et ex praxi Ecclesiae et Patrum* . . . . . pag. 111
2° *Etiam* laudabilis: *argum. ex Sanctorum exemplo, et experientia: accommodatio saepe fidelibus utilior esse potest quam literalis expositio* . . . . » 112
Quaestio 2. *De accommodatione S. Scripturae ab ipsis Agiographis facta*
THESIS VII. – *Scriptores sacri aliquando verba praecedentium Agiographorum non in suo vero sensu, sed per meram accommodationem allegarunt, et suis sermonibus inseruerunt* . . . . . » 114
1°. Exempla Agiographorum V. T. – 2°. exempla ex N. T. – 3°. Contrariorum solutio . . . . . » 115
THESIS VIII. *In libris N. T. testimonia Prophetarum non semper allegantur in sensu mere accommodato, sed plerumque in suo vero sensu ab auctore intento: hoc autem speciatim contendimus factum esse in iis locis, ubi 1° laudata testimonia demonstrandae veritatis causa afferantur, vel 2° ubi Agiographi ea citant sub solemni formula: hoc factum est* ut impleretur quod dictum est: ἵνα (*vel* οπως) πληρωθη το ρηθεν . . . . . » 118
Arg. I. Generale – *Arg. II.* Speciale *De praecipuis quibusdam allegationibus 1°* Ex scopo *allegationum. 2. Ex* formulis . . . . . » 119
III. Solutio rationum, contra vim praedictae formulae . . . . . » 126

PARS SECUNDA

DE SENSU SCRIPTURAE INVENIENDO

Praenotanda. *Distinguuntur subsidia* remota, *seu potius* dispositiones, *a subsidiis proximis, seu criteriis interpretationis – pauca de dispositionibus*

1° Ex parte intellectus – *2° Ex parte* voluntatis – Criteria *et* regulae *interpretationis, cur, et quomodo distinguantur – Divisio criteriorum in* rationalia, *et* dogmatica – *Divisio secundae Partis in tres Sectiones, 1. De criteriis ac regulis rationalibus Scripturae sensum inveniendi, 2. De criteriis ac regulis dogmaticis, 3. De falsis criteriis ac regulis Biblicae interpretationis* . . . . pag. 131

SECTIO I.

DE CRITERIIS ET REGULIS RATIONALIBUS INVENIENDI SCRIPTURAE SENSUM

Tria elementa in sermone humano consideranda, unde triplex criteriorum rationalium classis, philologica, logica, *et* historica . . . . . » 136

Cap. I. *De criteriis et regulis* philologicis . . . . . » 137

Art. I. *De usu loquendi universim sumpto. Notio ac definitio usus loquendi – variae causae eius mutationum – valor huius criterii in interpretatione librorum,* – fontes *et* subsidia *ad eius notitiam adipiscendam – 1. Fontes immediati, 2. fontes mediati, 3. Subsidia philologica: examen linguae* internum *per* etymologiam, *et* analogiam *linguae – examen* externum *per collationem dialectorum – valor absolutus, et relativus horum fontium, et subsidiorum* . . . . . » 138

Art. II. *De usu loquendi Biblico directe considerato in textibus et linguis originariis Sacrae Scripturae* . » 148

§. I. *De indole Hebraici, et Graeci textus S. Scripturae* » 149

I. *De textu Hebraico eiusque indole* . . . . . » ib.

II. *De indole Graecitatis N. T.* . . . . . » 152

§. II. *De valore et usu linguarum originalium in Hermeneutica Biblica.*

Duae extremae sententiae – media via eligitur . . » 156

THESIS IX. – *Studium linguarum et textuum ori-*

ginalium Sacrae Scripturae omnibus quidem sacrarum scientiarum cultoribus utile est, iis vero qui Scripturas profundius intelligere, et adversus impugnantes vindicare satagunt sub aliquo respectu etiam necessarium . . . . . pag. 157

Arg. I. Ex testimoniis et praxi Sanctorum Doctorum . . . . . » 158

Arg. II. Ex internis rationibus petitum: 1° ad profundiorem Scripturae intelligentiam – defectus versionum intrinseci et extrinseci, 2° ad officium defendendi, et vindicandi S. Scripturam . . . » 160

III. Obiectionum solutio . . . . . » 165

§. III. *De ratione addiscendi, et certo definiendi originarium S. Scripturae loquendi usum* . . . . . » 167

I. *De usu loquendi Hebraico, et Chaldaico – 1° Fontes* directi *nulli praeter Sacros libros – 2° Fontes* indirecti, *seu mediati: antiquae versiones, codices Talmudici et Midraschici, Grammatici et Exegetae Iudaeorum, Massora, Christiani Doctores, – Horum valor relativus. 3° Subsidia philologica, etymologia, analogia, comparatio dialectorum* » ib.

II. *De studio usus loquendi Graeci S. Scripturae. Fontes et subsidia Graecitatis biblicae 1. quatenus est Graeca, et in specie Alexandrina, 2. quatenus est Aramaica – 3. quatenus est Christiana – 4. quatenus est quibusdam Agiopraphis propria – Indicantur quaedam opera philologica* . . . . » 171

Art. III. *De usu loquendi Biblico indirecte considerato in Vulgata Latina editione* . . . . . » 173

Monita generalia ad usum loquendi Vulgatae addiscendum . . . . . » 174

I. *De idiotismis Vulgatae in nominibus, ac pronominibus* . . . . . » 175

II. *De idiotismis Vulgatae in verbis, et phrasibus* » 179

III. *De idiotismis particularum orationis* . . . . » 182

Art. IV. *De locutionibus figuratis S. Scripturae* . . . . . » 184

§. I. *De indole figurarum Biblicarum in universum* . . » 185

§. II. *De ratione discernendi figuras a proprio verborum sensu* . . . . . pag. 188
1. Declaratio auctoris – 2. scopus loquentis – 3. rei ipsius natura . . . . . » ib.
§. III. *De modo recte interpretandi figuras biblicas.*
Regula generalis – Criteria specialia – 1. rei natura – 2. contextus sermonis – 3. inspectio locorum similium, – 4. Scopus loquentis . . . . . » 191
Cap. II. *De criteriis et regulis* logicis *interpretationis Biblicae* . . . . . » 194
Art. I. *De contextu sermonis.*
§. I. *De contextus notione, et divisione.*
Definitio contextus – Contextus logicus, psychologicus, et opticus, historicus, et mixtus . . . » 195
§. II. *De valore contextus generatim inspecti.*
Regula 1. Interpretatio alicuius loci contextui repugnans eo ipso ut falsa reiici debet . . . . . » 196
Regula 2. Si contextus unam tantum patiatur loci interpretationem, ceterae autem ei contradicant, illa una interpretatio uti vera habenda est . . » ib.
Regula 3. Si contextus plures interpretationes alicuius loci admittat, ceteris paribus, ea est praeferenda, quae aptius et plenius cum contextu convenit: quod si discerni non possit, ex aliis criteriis quaestio dirimenda est . . . . . » 197
§. III. *De usu contextus in specie considerati.*
I. *Emolumenta praecipua* contextus logici . . . . » ib.
II. *Emolumenta contextus* psycologici *et* optici . » 198
III. *Emolumenta contextus* chronologici . . . . » 200
IV. *Emolumenta contextus* mixti . . . . . » 201
§. IV. *Modus inveniendi contextum, et cautelae in hoc servandae.*
1. Non solum proxime, sed etiam remote antecedentia et consequentia inspicienda – 2. Contextus uti iacet accipiendus, non violenter effingendus » 202
Art. II. *De parallelismo Biblico.*
§. I. *De parallelismi notione, ac speciebus.*

Parallelismi definitio – Dividitur in verbalem, *et* realem – Realis *in* historicum *et* doctrinalem. pag. 203

§. II. *De parallelismi valore, et usu.*

Regula – Loca S. S., quae etiam in contextu spectata ambigua, vel obscura videntur, ceteris paribus, eo sensu accipienda sunt, quem habent in locis parallelis . . . . . » 760

I. *Usus specialis parallelismi* verbalis . . . . . » 204

II. *Usus parallelismi* historici, *seu* Chronologici . » 205

III. *Usus parallelismi* didactici, *seu* doctrinalis . . » 206

§. III. *Ratio inveniendi parallelismum, et monita de eius usu.*

Assidua lectio et familiaritas S. S. – subsidia: 1° concordantiae Biblicae – Hebraicae – Graecae – V. T. – Graecae N. T. – Latinae. 2° Lexica Biblica – Monita practica de usu locorum Parallelorum . . . . . » 208

ART. III. *De substrata materia.*

§. I. *De notione substratae materiae, eiusque valore generatim inspecto* . . . . . » 210

§. II. *De usu substratae materiae: speciatim enumerantur quatuor modi, quibus substrata materia adiuvat Scripturae intelligentiam* . . . . . » 112

§. III. *De ratione inveniendi substratam materiam, et monita de eius usu* . . . . . » 213

ART. IV. *De scopo, seu consilio loquentis.*

§. I. *Notio huius criterii, eiusque valor hermeneuticus* » 214

§. II. *Emolumenta specialia huius criterii*

Enumerantur quatuor praecipua emolumenta . . » ib.

§. III. *Modus inveniendi consilium loquentis, et de practica eius applicatione* . . . . . » 216

ART. V. *De occasione sermonis.*

Definitio, natura et valor huius criterii – practica utilitas, exempla, ratio inveniendi; monita . . » 218

ART. VI. *Peculiaris cogitandi, et loquendi ratio auctoris, vel loquentis* . . . . . » 220

I. *Auctoris vel loquentis individualis character, sive indoles* . . . . . pag. 221
II. *Actualis conditio interna loquentis* . . . . . » ib.
III. *Peculiares loquendi formae singulis auctoribus propriae – ubi pauca de parallelismo poetico* . » 222
Cap. III. *De criteriis et regulis historicis Biblicae interpretationis* . . . . . » 225
Art. I. *De variis classibus circumstantiarum externarum* » 226
I. *Circumstantiae ipsius auctoris vel loquentis.*
II. *Circumstantiae auditorum, vel lectorum* . . . » 228
III. *Circumstantiae rerum et personarum, de quibus fit mentio* . . . . . » 230
Art. II. *De fontibus, unde adiunctorum externorum notitia hauriri potest* . . . . . » 233
I. *Tractationes* Archeologiae Biblicae . . . . . » 234
II. *Fontes praecipui - 1. Fontes Iudaici – 2. Fontes Christiani – 3. Fontes Pagani* . . . . . » 235
III. *Monita quaedam de recto usu fontium* . . . » 238

SECTIO II.

DE CRITERIIS ET REGULIS DOGMATICIS SCRIPTURAE SENSUM INVENIENDI

Necessitas alterius huius ordinis criteriorum – dogmata duo 1. Divina inspiratio Scripturarum, 2. Infallibile Ecclesiae magisterium – hinc duo summa criteria, quibus plures adnexae regulae – Criteria et Regulae Christianae, *et* Catholicae . . . » 240
Cap. I. *De criteriis et regulis dogmaticis, quae ex divina Scripturae inspiratione derivantur.* . . . . . » 241
Art. I. *De falsitate in Scripturis non admittenda.*
THESIS X. – *Libri Sacrae Scripturae ita sunt exponendi, ut in dictis inspiratorum hominum nulla unquam falsitas admittatur* . . . . . » 242
Arg. I. Ex ipsa notione inspirationis . . . . . » ib.
Arg. II. Ex sensu et praxi Ecclesiae, et Patrum » 243
III. Regulae ad apparentes errores eliminandos.

1. Circa apparentes errores doctrinales . . . pag. 244
2. Circa apparentes errores historicos . . . . . » 246
Art. II. *De contradictione, seu antilogia inter Sacros Auctores non admittenda.*
THESIS XI. – *Sacra Scriptura ita exponenda est ut inter dicta inspiratorum nulla unquam realis antilogia, seu contradictio admittatur* . . . . » 248
Arg. I. Deducitur ex Regula praecedente.
II. Ex praxi et testimoniis Doctorum . . . . . » ib.
Art. III. *De apparentibus antilogiis, et de ratione eas solvendi* . . . . . » 249
I. *Causae generales apparentium contradictionum earumque remedia ex Augustino* . . . . . » ib.
II. *Causae speciales pro locis* historicis . . . . . » 250
III. *Causae speciales pro locis* dogmaticis . . . . » 253
IV. *Causae speciales pro locis* propheticis . . . . » 255
Cap. II. *De criteriis et regulis dogmaticis, quae ex infallibili Ecclesiae magisterio derivantur* . . . . . » 257
Criteria haec proprie catholica, eademque positiva – duplex modus quo Ecclesiae magisterium potest afficere Scripturae interpretationem, alius directus, *alius* indirectus . . . . . » ib.
Art. I. *Criteria et regulae, quae ad directum Ecclesiastici magisterii in Biblicam interpretationem influxum pertinent* . . . . . » 258
Exponitur decretum Tridentinum Sess. IV. – Duae regulae ibi enunciatae, – ratio cur distinguantur – regularum obiectum et limites, – Vis obligandi – an decretum dogmaticum *sit, an* disciplinare . » ib.
THESIS XII. – *In exponendis locis S. Scripturae quae ad fidem moresque pertinent, non licet interpreti catholico recedere a sensu, quem tenuit, ac tenet Sancta Mater Ecclesia* . . . . . » 260
Argumentum fundamentale indicatum a Conc. Trid., quod Ecclesia sit iudex legitimus sensus S. Scripturae.
I. *Probatur rationibus* indirectis . . . . . » ib.

II. *Probatur rationibus* directis.

Interpretatio authentica *quaenam sit: – duplex modus quo potest a legislatore procedere – 1. Ecclesia interpretationes authenticae semper secundo modo – 2. saepe etiam primo modo, et strictissimo sensu – confirmatio ex habitu Ecclesiae ad Scripturam in ordine historico* . . . . . pag. 262

III. *Argumentum ex praxi, ac sensu Doctorum* . . » 264

THESIS XIII. – *In locis Dogmaticis Scripturae exponendis non est recedendum ab ea interpretatione, quam S. Patres unanimi consensu, ac certa sententia proposuerant. Quinam dicantur Ss. Patres – quid sit* certa sententia – *quid* unanimis consensus . . . . . » 267

Arg. I. Morale, *et ex rei natura* . . . . . » 268

Arg. II. Theologicum *indirectum* . . . . . » 269

Arg. III. Ex sensu traditionali *et praxi Doctorum* » ib.

IV. Adversariorum cavillationes solvuntur . . . » 271

THESIS XIV. – *Decretum Conc. Trid. Sess. IV. quo praecipitur ne sacra Scriptura in locis fidei et morum exponatur contra Ecclesiae ac Patrum sensum, non est tantum* negative *accipiendum, ne scilicet interpres expositiones proponat Ecclesiae et Patrum fidei repugnantes, sed omnino* positive, *ut ipsae Ecclesiae et Patrum de praedictis locis interpretationes recipiantur*

Origo huius controversiae – Sententia Iahnii, et eius fautorum – apposita declaratio Concilii Vaticani » 274

I. Argumenta interna – *1. Ex rei natura – 2. ex scopo decreti – 3. ex contextu verborum* . . . » 275

II. Argumenta externa – *1. Ex agendi ratione Concilii – 2. ex testimonio Sarpii, et Pallavicini* . » 277

III. Argumenta adversariorum diluuntur . . . . » 278

Art. II. *Criteria et Regulae quae ex indirecto ac generali Ecclesiastici magisterii influxu in S. Scripturae interpretationem derivantur* . . . . . » 281

Analogia fidei quid sit – Analogia fidei Biblicae, et

fidei Catholicae, – sententia Protestantium – testimonium Iahnii . . . . . pag. 281

THESIS XV. – *In caeteris autem Scripturae locis, quae determinatam ab Ecclesia et Patribus interpretationem non receperunt, interpres Catholicus dirigi perpetuo debet* analogia fidei, *non solum* biblicae, *ut volunt Protestantes, sed* totius fidei *catholicae a supremo Ecclesiae magisterio definitae; quae quidem non tantum negativum ei praebet criterium falsae interpretationis vitandae, sed etiam positivam normam ad verum locorum dogmaticorum sensum inveniendum* . . . . . » 282

I. *Analogia fidei totius Catholicae admittenda* . . » ib.

II. *Interpretatio Analogiae fidei Catholicae repugnans eo ipso abiicienda est – Argumenta et exempla* . . . . . » 283

III. *Analogia fidei Catholicae consideranda est etiam ut criterium positivum interpretationis – 1. ex rei natura – 2. ex dictis et agendi ratione Agiographorum – 3. ex Patrum testimoniis* . . . . » 284

Corollaria quaedam derivantur . . . . . » 289

Appendix – *De supremo Hermeneutices Biblicae principio* . . . . . » 290

Quaestio negativa, *et* positiva - *sententia Iahnii.*

Quaestio 1. *Negativa contra Iahnium.*

THESIS XVI. – *Usus loquendi Biblicus haberi non potest ut primum ac supremum Hermeneutices sacrae principium* . . . . . » 291

I. *Usus loquendi dici non potest supremum principium Hermeneutices universalis* . . . . . » ib.

II. *Multo minus Hermeneutices Biblicae* . . . . » 292

Quaestio 2. *Positiva.*

Apparens discordia inter Catholicos auctores – distinguitur suprema norma *a supremo principio, seu* formula – *rursus norma suprema* secundum quid, *et suprema simpliciter et* absolute – *quaestio resolvitur secundum utrumque sensum* . . » 293

SECTIO III.

DE PRAVIS QUIBUSDAM SCRIPTURAM INTERPRETANDI PRINCIPIIS AC METHODIS

CAP. I. *De falsis quibusdam interpretationis methodis apud antiquiores* . . . . . pag. 296

I. *Methodus Cabbalistica.*

Cabbalae origo, principia, fontes – tres methodi: Gematria, Notarica, et Temura – abusus, et usus moderatus Cabbalae – Christiani Cabbalistae – nonnulla exempla . . . . . » ib.

II. *De interpretatione Scripturae allegorica – Variae significationes vocis* allegorica *– usus et abusus – rationes et exempla* . . . . . » 301

CAP. II. *De Protestantium, Socinianorum et Rationalistarum Scripturam interpretandi methodis* . . . . . » 302

ART. I. *Praedictorum sistematum origo, progressus, et variae formae* . . . . . » ib.

Primum stadium : *principium fundamentale Protestantismi – systema* rationale, *et systema* pietisticum *– Confessiones, et Symbola : tentamen imponendi iugum symbolorum ad unitatem servandam: effectus contrarius* – Secundum stadium: *Socinianismus – duo Socini – fratres Paloni, seu Unitarii, eorum* Bibliotheca *– methodus Sociniana a Protestantica radicaliter distincta: rationalismus larvatus* – Tertium stadium: *rationalismus purus, et naturalismus – increduli Angli, Galli, Germanici – Encyclopedia Gallica, et Bibliotheca universalis Germanica – nova schola Exegetica apud Germanos. – Praecipui auctores, et scientifica tractatio rationalismi exegetici – Protestantium conatus ad rationalismum coercendum – discrimen fundamentale inter Exegesin proprie Protestanticam, Socinianam et Rationalisticam* . . » ib.

Art. II. *Praedictorum systematum imprimis rationalistarum reputatio* . . . . . pag. 309
Monitum de methodo protestantium – distinguuntur variae formae rationalismi exegetici secundum varia elementa supernaturalia quae specialiter impetunt – numerantur quinque diversa systemata » ib.
§. I. *De systemate* accommodationis dogmaticae.
Origo systematis, eiusque expositio . . . . . » 310
THESIS XVII. – *Impia est, atque omnino absurda Semleri, Ammonii aliorumque sententia, qua docent Scripturas N. T. non grammatico – historica, seu exegetica, sed philosophica interpretatione exponendas esse, quasi Christus et Apostoli imperfectis ac erroneis coaevorum opinionibus sese accommodaverint, ac propterea interpretem N. T. quae ex propria ipsi sententia ab iis quae ex accommodatione Iudaica protuleruut secernere oportere* . » 312
I. *Suppositum systematis falsum atque impium – definitur quaestionis status – accommodatio* aesthetica, *et accommodatio* practica – *haec vel* moralis, *vel* paedagogica, *vel* doctrinalis – *haec aut* negativa, *aut* positiva. – *Ceteris concessis, postrema excluditur 1. ex charactere tum privato, tum publico Christi et Apostolorum – 2. Ex ipso facto* » ib.
II. *Systema ipsum hermeneutice falsum* . . . . . » 316
III. *Criterium adsignatum falsum et incongruum* » 317
IV. *Solvuntur rationes adversariorum* . . . . . » ib.
Ratio 1. Ex fine Christi et Apostolorum . . . . » ib.
Ratio 2. Ex Pauli testimonio I. Cor. III. Hebr. V. » 318
Ratio 3. Ex agendi ratione Pauli Apostoli . . . » 320
Ratio 4. Ex factis et dictis Christi Domini . . . » 321
Ratio 5. Ex Christi colloquio cum filiis Zebedaei » 324
Ratio 6. Ex verbis Apostoli 2. Cor. III. 6, 17. » ib.
§. II. *De systemate Kantiano* interpretationis moralis . . » 326
Origo et indoles systematis Kantiani . . . . . » ib.
THESIS XVIII. – *Systema interpretationis moralis ab Em. Kant excogitatum arbitrarium, absolu-*

tum, ipsoque interpretationis nomine indignum est . . . . . pag. 327
I. *Kantiana methodus duplici falso supposito innititur* . . . . . » ib.
II. *Ipso nomine interpretationis indigna est* . . . » 328
III. *Absurdis et inconvenientibus viam aperit* . . » ib.
§. III. *De systemate* interpretationis mythicae . . . . . » 329
Prima origo huius systematis – notio mythi, *eiusque discrimen a* fabula, *et* parabola – *Mythus historicus, philosophicus, poeticus, et mixtus – mythi admissi in primis capitibus Geneseos – Extensio mythologiae ad ceteras partes V. T. – deinde etiam in N. T. invecti: Strauss. et schola Tubingensis – Ern. Renan. – Summa systematis mythicae interpretationis* . . . . . » ib.
THESIS XIX. – *In historicis Sacrae Scripturae narrationibus, imprimis miraculorum, repudianda prorsus est ea interpretandi methodus ab hodiernis rationalistis passim recepta, qua mythico, ut aiunt, cortice aut involucro, idest portentosa specie illas exuendas esse docent, ut genuinae puritati restitutae naturali suo habitu proponantur, aut latentes sub iis veritates exquirantur, atque eruantur* . . . . . » 333
I. *Mythica interpretatio in libris V. T. admitti non potest.*
Arg. 1. Ex alias dictis de authentia, et veracitate librorum V. T. . . . . . » ib.
Arg. 2. Ex factorum natura . . . . . » 334
Obiectio 1. Ex analogia cum libris historicis veterum populorum . . . . . » 335
Obiectio 2. Ex conditione generali veterum traditionum . . . . . » 336
Obiectio 3. Ex comparatione narrationum biblicarum, cum mythologiis Paganorum. . . . . . » 337
Obiectio 4. Pro mythis philosophicis . . . . . » 340

II. *Neque in Libris N. T. mythica interpretatio admittenda.* . . . . . pag. 341
Arg. 1. Ex gratuitate assertionis . . . . . » 342
Arg. 2. Ex Auctorum N. T. veracitate . . . . » ib.
Arg. 3. Ex aetate historiae Evangelicae . . . . » ib.
Arg. 4. Ex intimo nexu factorum N. T. sive inter se, sive cum historia civili et Ecclesiastica » ib.
§. IV. *De systemate* interpretationis psychologicae . . . » 343
Systematis summa – discrimen a systemate mythico – ratio appellationis. . . . . . » ib.
THESIS XX. - *Systema interpretationis Psychologicae a Paulusio excogitatum ad narrationes Evangelicas explicandas, arbitrarium et absurdum est* » 344
I. *Systema in falsis suppositis innixum* . . . . » ib.
II. *Methodus violenta, et naturae interpretationis repugnans.* . . . . . » ib.
III. *Nulla lege, nullisque finibus circumscripta–Exempla absurdarum expositionum.* . . . . . » ib.
§. V. *De systemate* interpretationis Panharmonicae. . . » 346
Origo et occasio huius systematis - eius summa - sensus quo accipienda est fidei analogia iuxta mentem horum auctorum . . . . . » ib.
THESIS XXI. - *Systema interpretationis Panharmonicae a Germar aliisque propositum, secundum eorum mentem ac principia consideratum, contradictorium, insufficiens, omnique certa ac tuta norma destitutum est* . . . . . » 347
I. *Systema involvit petitionem principii* . . . . » 348
II. *Insufficiens est ad concordiam pariendam* . . » ib.
III. *Erroribus quibuscumque aditum praebet* . . . » ib.

INTRODUCTIONIS EXEGETICAE

PARS TERTIA

DE SENSU SCRIPTURAE ALIIS PROPONENDO

Praenotanda. *De necessitate huius partis - Divisio in duas Sectiones* . . . . . pag. 350

SECTIO I.

DE VARIIS MODIS SCRIPTURAE SENSUM PROPONENDI

Recensentur 24 modi a Sisto Senensi enumerati - ad pauciores principales revocantur.

Cap. I. *De Sacrae Scripturae* versione . . . . . » 352

I. *Versionis notio, et variae species* . . . . . » ib.

II. *Dotes optimae versionis - 1. fidelitas - 2. perspicuitas - 3. elegantia.* . . . . . » 353

III. *Difficultates optimae versionis Scripturae - prudentia Ecclesiae circa versiones S. S.* . . . . » 356

Cap. II. *De Sacrae Scripturae* paraphrasi . . . . . » 357

I. *Notio paraphrasis, et discrimen a versione, et a commentario* . . . . . » ib.

II. *Dotes in paraphrasi requisitae - 1. fidelitas - 2. claritas - 3. brevitas* . . . . . » ib.

III. *Paraphrasi utiliter adiunguntur* analysis, *et* adnotationes . . . . . » 358

IV. *Exempla optimae paraphrasis.*

Primum exemplum ex Bernardino a Piconio ad Rom. V. 1-18 . . . . . » 359

Secundum exemplum ex Io. Th. Beelen in eumdem locum. . . . . . » 363

Tertium exemplum ex Gaspare Sanctio in Dan. IX., 20-27 . . . . . » 364

Quartum exemplum ex B. Card. Tomasi in Psal. CIX. » 367

Cap. III. *De* adnotationibus, glossis *et* scholiis . . . . pag. 369
I. *Scholia et Glossae quomodo differant - glossaria Hesychii, Suidae, et Phavorini - Glossaria minora a Matthaei edita - Glossae Latinae.* . . . . . » ib.
II. *Utilitas adnotationum.* . . . . . » 370
III. *Praecipua in adnotationibus servanda.* . . . » ib.
Cap. IV. *De* Commentariis *et* dissertationibus . . . . . » 371
I. *Commentarii definitio, et praecipua in eo servanda.* . . . . . » ib.
II. *Commentarii dotes, et vitia* . . . . . » 372
III. *Dissertationum notio, et dotes* . . . . . » 375
Cap. V. *De populari, et pastorali Scripturae expositione* . » 376
I. *Huius expositionis discrimen ab erudita.*
II. *Homiliae et lectionis Biblicae dotes* . . . . . » ib.
Cap. VI. *De exercitatione Exegetica* . . . . . » 378
Necessitas exercitationis exegeticae - Monita practica » ib.

SECTIO II.

BREVIS NOTITIA PRAECIPUORUM SCRIPTURAE INTERPRETUM

Cap. I. *De Iudaeis S. Scripturae interpretibus* . . . . . » 383
Aben - Ezra - R. Moyses ben Maimon - D. Kimchi - R. Salomon Isaac - R. Moyses ben Nachman - R. Levi ben Gerson - R. Bechai - R. Isaac Abarbanel - R. Emanuel ben Salomon - R. Mardochai ben Eliezer - R. Lombroso - R. Aben ben Melech - Biblia magna Rabbinica - Christiani Doctores in rabbinorum scriptis versati . . . . . » ib.
Cap. II. *Antiquiorum Ecclesiae Patrum exegesis usque ad saeculum VIII.* . . . . . » 385
Art. I. *Patres Graeci, et Orientales.*
I. *Schola* Alexandrina: *eius character - S. Pantaenus - Clemens Alex. - Origenes: plura de eius exegeticis operibus, et de eius methodo S. Scripturam interpretandi - S. Gregorius Neocaesarensis - S. Basilius M. - S. Gregorius Nazianz. - S. Gregorius*

Nyssenus - Didymus Alex. (coecus) - S. Athanasius - S. Dionysius Alex. - S. Cyrillus Alex. - S. Epiphanius . . . . . pag. ib.

II. *Schola exegetica* Antiochena: *eius character proprius - S. Ioannes Chrysostomus - Theodorus Mopsuestenus - Eusebius Emesenus - S. Isidorus Pelusiota - Theodoretus* . . . . . » 396

III. *Schola exegetica* Edessena, *et* Nisibena.

S. Ephrem syrus - S. Iacobus Sarugensis - S. Isaac Magnus - S. Marutha - S. Iacobus Nisibenus - Syri Nestoriani et Iacobitae: Xenaias, seu Philoxenus, recentius Abulpharagius (Bar-Hebraeus), Ebed Iesu . . . . . » 399

Art. II. *Patres et Scriptores Ecclesiae Latinae usque ad saec. VIII.*

S. Hilarius Pictav. - S. Ambrosius - Ambrosiaster - S. Hieronymus - S. Augustinus - Cassiodorus - S. Gregorius M. - S. Isidorus Hispalensis - Ven. Beda. . » 402

Cap. III. *Opera exegetica Doctorum medii aevi* . . . . . » 408

I. Catenae: *Procopius Gazaeus - Nicetas - Catenae editae a Corderio - Catena aurea S. Thomae* . » ib.

II. Glossae: *ordinaria-interlinearis - Postillae Nic. Lyrani - Adnotationes Pauli Burgensis* . . . . . » 409

III. Commentarii: *1. ex Graecis: Oecumenius - Theophylactus - Euthymius Zigabenus - 2. ex Latinis: Alcuinus - Haymo Alberstad. - Rhabanus Maurus - S. Bernardus - Petrus Lombardus - B. Albertus M. - S. Thomas Aquinas - S. Bonaventura - Petrus de Alliaco - Alphonsus Tostatus (Abulensis) - Dionysius Chartusianus - Ioannes de Turrecremata - Nic. Lyranus - Paulus Burgensis - alii* . . . . . » 410

Cap. IV. *Exegesis recentiorum a saec. XVI-XIX* . . . . . » 414

Art. I. *Praecipui catholici interpretes recentiores - Card. Caietanus de Vio - Erasmus Rotterod. - Fr. Vatablus - Hier. Oleaster - Andreas Masius - Cornelius Iansenius - Io. Maldonatus - Alph. Salmeron - Emmanuel Sá - Tirinus - Steph. Menochius - Io. Maria-*

na - Ben. Pererius - Guill. Estius - Gasp. Sanctius - Genebrardus, Bellarminus, et Lorinus in Psalmos - Cornelius a Lapide - Io. de Pineda - Iac. Bonfrerius - I. B. du Hamel - Bernardinus a Piconio - Aug. Calmet - Biblia de Vence, et Avinionensia - Interpretes vulgares cum notis: Allioli, Martini, Kenvick, alii - Io. Iahn - I. N. Alber - P. F. Ackermann - D. Tobenz - I. L. Hug - Kistemacher - Mach - Patrizi - Coletta - Palmer. pag. 414

Art. II. *Praecipui quidam Scripturae interpretes Protestantes - Io. Drusius - Lud. de Deo - Hugo Grotius - Critici Sacri - Synopsis Poli - I. I. Wetstenius - I. D. Michaelis - I. G. Rosenmüller, et E. F. G. Rosenmüller filius - C. T. Kuinoel - Mat. Henry - Th. Scott - Recentissimi qui rationalismo biblico se opposuerunt: Hengstenberg, Olshausen, Lucke, Tholuck* . . . . . » 423

FINIS INTRODUCTIONIS EXEGETICAE IN S. S.

APPENDIX I.

SPECIMEN INTERPRETATIONIS

N. 1. Expositio Psalmi XXI. (Hebr. XXII.). . . » 427
N. 2. Canticum Zachariae Luc. I. 68.-79. Adnotationes cum paraphrasi . . . . . » 453

APPENDIX II.

DE LECTIONE S. SCRIPTURAE IN LINGUIS VULGARIBUS

Art. I. *Brevis* historia *controversiae* . . . . . » 460
Antiqua Ecclesiae disciplina - Prima vestigia controversiae in Dioecesi Metensi Saec. XII. Epistola Innocentii III. - Valdenses - Albigenses: Synodus Tolosana a. 1229 - Wicleffitae: Synodus Oxoniensis a. 1408 - Turbae in Hispania: Iacobus I. Rex -

Reformatores Saec. XVI. - Versio Germanica S. Scripturae a Luthero adornata - Versio Genevensis - aliae versiones Protestantium - Regulae Indicis a Pio IV promulgatae - Iansenistae Saec. XVIII. Quesnellus-Bulla Unigenitus *Clementis XI. a. 1713- Synodus Pistoriensis: Bulla* Auctorem Fidei *Pii VI.- Societates Biblicae - Agendi ratio S. Sedis - Plures quaestiones distinguuntur aliae dogmaticae, aliae disciplinares, aliae historicae - Divisio tractationis* . . . . . pag. ib.

Art. II. Doctrina *Ecclesiae circa lectionem Scripturae in linguis vulgaribus* . . . . . » 465

THESIS I. (XXII) - *Omnibus indiscriminatim fidelibus S. Scripturae lectio minime necessaria est ad salutem: eadem vero, licet per se et absolute utilis dicenda sit, consideratis tamen individualibus hominum adiunctis ac dispositionibus, non semper utilis, saepe etiam periculosa, aut perniciosa esse potest* . . . . . » 466

Probatur Pars I. contra Protestantes.

Lectio S. Scripturae 1. non necessaria ex rei natura - 2. neque ex positiva lege - 3. Solvuntur obiectiones. . . . . . » ib.

Probatur Pars II. De utilitate lectionis S. Scripturae. 1. Testimonium Scripturae - 2. Experientia - 3. Solutio obiectionum - Corollarium de officio pastorum fideles in hac re moderandi . . . . . » 475

Art. III. *Ecclesiae* praxis, *ac* legislatio *circa lectionem Scripturae in linguis vulgaribus* . . . . . » 479

THESIS II. (XXIII) - *Nunquam Ecclesia* absolute *et* universim *prohibuit fidelibus S. Scripturae lectionem in lingua vernacula, sed pro variis temporum, locorum ac personarum adiunctis modo probavit, modo improbavit, aut coercuit eamdem lectionem, idque unice ut ipsorum fidelium bono, ac utilitati prospiceret: in praesenti vero Ecclesiae disciplina, de iure communi, omnes omnino fideles,*

servatis tantum quibusdam conditionibus, Scripturam in sua lingua legere possunt . . . . pag. 480
Probatur pars prima - *ubi in specie de regulis III. et IV. Indicis* . . . . . » ib.
Probatur pars secunda - *de fine legislationis Ecclesiasticae secundum diversa adiuncta* . . . . . » 483
Probatur pars tertia - *de actuali Ecclesiae disciplina* . . . . . » 485
ART. IV. *De Societatibus Biblicis, earumque damnatione.* . » 487
Origo societatis Biblicae Anglicanae - Societates adiutrices - *expunctio librorum deuterocanonicorum V. T. a. 1826. - Progressus Societatum Biblicarum* . . . . . » 488
THESIS III. (XXIV.) - *Iure ac merito RR. Pontifices Societates Biblicas a Protestantibus institutas iteratis decretis improbarunt.*
Probatur 1. ex principiis quibus innituntur - 2. ex earum scopo - 3. ex pravis effectibus, quos in fidelibus pariunt - 4. ex corruptione puritatis fidei - 5. ex corruptione ipsius verbi Dei - 6. confirmatur ex verbis Rom. Pontificum, et ipsorum Protestantium. . . . . . » ib.
ART. V. *De praecipuis vulgaribus lectionibus S. Scripturae* » 499
I. *Praecipuae versiones* Italicae . . . . . » ib.
II. *Versiones* Hispanicae *orthodoxae et eterodoxae, antiquae et recentiores.* . . . . . » 500
III. *Versiones* Gallicae *Catholicae et Protestanticae* » 501
IV. *Versiones* Belgicae *et* Hollandicae. . . . . » 503
V. *Versiones* Anglicae . . . . . » 504
VI. *Versiones* Germanicae. . . . . » 506
VII. *Versiones* Polonicae. *et* Hungaricae . . . . . » 507
VIII. *De versionibus in linguis barbaris.* . . . . » 508
Scholion. *De versionum vulgarium approbatione* . » 509

ADUMBRATIO ARCHEOLOGIAE BIBLICAE

Prolegomena. *De Archaeologiae Biblicae obiecto, historia, fontibus, et partitione.*

I. *Archaeologiae Biblicae notio et definitio - eius utilitas ad studia S. Scripturae.* . . . . . pag. 513

II. *Archaeologiae Biblicae initia, incrementa - perfectio-praecipuae quaedam Archaeologiae tractationes* » 514

III. *Fontes communes alibi indicati: hic vero de quibusdam in specie - 1. viatorum itineraria et narrationes - horum valor - monita de horum usu.* » 516

2. *Monumenta Palaestinae, Aegypti et Assyriae.* . » 517

A. *De monumentis Palaestinensibus* . . . . . » ib.

B. *De monumentis Aegypti - Explorationes occasione expeditionis militaris Napoleonis I. - Sequentes explorationes - inventio clavis Scripturae Hieroglyphicae - Methodus, qua Champollion ad id pervenit - recentiorum studia* . . . . . » 518

C. *De monumentis Assyriis et Babyloniis - Recentiorum explorationes in valle Tigris et Euphratis - praecipua monumenta - opera et tractatus virorum doctorum - scriptura cuneiformis, eius indoles - tentamina ad eius clavim inveniendam - laborum successus - variae huius scripturae species, et variae linguae* . . . . . » 523

IV. *Divisio tractationis* . . . . . » 533

SECTIO I.

DE GEOGRAPHIA ET CHRONOLOGIA BIBLICA

Cap. I. *De Geographia Biblica.* . . . . . » 534

Art. I. *Notiones praeliminares Geographiae Biblicae.* . . » 535

Art. II. *De regionibus, ac populis Palaestinae vicinis. I. Phoenice; II. Syria seu Aramaea; III. Assyria, Mesopotamia et Chaldea; IV. Media; V. Persia, Su-*

siana, Elymais; VI. Arabia, cum Amalec, Ammon, Moab, Edom etc. VII. Aegyptus, terra Gessen, Aethyopia . . . . . pag. 536
Art. III. *De Palaestina, et primum de eius Geographia Physica.* . . . . . » 557
§. I. *Palaestinae facies generatim inspecta* . . . . . » 558
I. *Praecipui montes Palaestinae.* . . . . . » 559
II. *Celebriores Palaestinae valles.* . . . . . » 561
§. II. *Flumina, torrentes, lacus et maria* . . . . . » 562
§. III. *Clima Palaestinae, tempestates anni, fertilitas, calamitates* . . . . . » 567
Art. IV. *Geographia politica, et historica Palaestinae* . . » 572
§. I. *De variis Palaestinae divisionibus* . . . . . » ib.
I. *Palaestina, seu Chanaan ante Hebraeorum occupationem* . . . . . » ib.
II. *Divisio Palaestinae inter XII tribus* . . . . . » 573
III. *Divisio Palaestinae aetate Christi, et Apostolorum* . . . . . » 574
IV. *Divisio Palaestinae in primis Ecclesiae saeculis* » 577
§. II. *De Palaestinae incolis, eiusque praecipuis urbibus* » ib.
I. *De incolarum numero pro variis aetatibus* . . » ib.
II. *Praecipuae Palaestinae urbes cis et trans Iordanem* . . . . . » 578
§. III. *Descriptio Ierosolymae, et eius viciniarum* . . . » 583
Cap. II. *De Biblica Chronologia* . . . . . » 592
Art. I. *De temporis divisione in S. Scripturis* . . . . . » ib.
Art. II. *De variis Chronologiae Sacrae aeris, atque epochis* » 596
Art. III. *Prospectus Chronologicus praecipuorum eventuum Biblicorum.* . . . . . » 603

SECTIO II.

DE SCRIPTURAE ANTIQUITATIBUS SACRIS

Cap. I. *De Locis Sacris* . . . . . » 610
Art. I. *De Tabernaculo Foederis* . . . . . » ib.
Art. II. *De Templo, eique adnexis* . . . . . » 614
I. *Templum primum, seu Salomonicum.* . . . . » 615

II. *Templum secundum, seu Zorobabelicum* . pag. 618
III. *Templum Herodianum* . . . . . » 619
Art. III. *De Synagogis earumque usu* . . . . . » 621
Cap. II. *De temporibus sacris* . . . . . » 625
Art. I. *De praecipuis festis Hebraeorum.* . . . . . » ib.
Cap. III. *De personis sacris.* . . . . . » 635
Art. I. *De ministris ordinariis ex tribu Levi* . . . . . » ib.
§. I. *De Levitis, eorumque officiis* . . . . . » 636
§. II. *De Sacerdotibus, eorumque muniis.* . . . . . » 637
§. III. *De Summo Pontifice - ubi de sacris vestibus.* . . » 638
Art. II. *De reliquis ministris.*
I. *Servi Sanctuarii - Nathinaei - Stationarii.* . . » 644
Art. III. *De Prophetis aliisque personis Deo Sacratis - Prophetae - Assidaei - Nazaraei - Rechabitae.* . . . . » 645
Art. IV. *De religiosis Hebraeorum sectis* . . . . . » 647
Pharisaei - Sadducaei - Essenii - Therapeutae - Herodiani - Hemerobaptistae. . . . . . » ib.
Cap. IV. *De rebus Sacris.*
Art. I. *De Sacrificiis Veteris Legis.* . . . . . » 650
§. I. *De Sacrificiis Mosaicis generatim inspectis* . . . » ib.
§. II. *De Sacrificiis, et oblationibus in specie.* . . . . » 652
Art. II. *De primitiis, decimis et votis.* . . . . . » 654

SECTIO III.

DE ANTIQUITATIBUS POLITICIS

Cap. I. *De Hebraeorum republica.* . . . . . » 656
Art. I. *De varia regiminis forma apud Hebraeos* . . . . » 657
Cap. II. *De potestate iudiciaria, et coactiva* . . . . . » 660
Art. I. *De iudicibus, ac tribunalibus Hebraeorum.* . . . » 661
Art. II. *De iudiciis, eorumque forma* . . . . . » 663
Art. III. *De delictis, ac poenis* . . . . . » 665
§. I. *De criminibus, poenisque capitalibus.* . . . . . » ib.
§. II. *De aliis poenis corporalibus minoribus* . . . . . » 669
§. III. *De aliis diversi generis poenis.* . . . . . » 672
Cap. III. *De re militavi Hebraeorum* . . . . . » 673
Art. I. *De ipsis militibus, eorumque ordinibus* . . . . . » 674

§. I. *De militum delectu, ac conditione.* . . . . pag. 674
§. II. *De militum divisione, ordinibus, ducibus.* . . . . » 675
Art. II. *De armis, et bellico apparatu.* . . . . . » 677
Art. III. *De bello, ceterisque militaribus factis* . . . . . » 680
Cap. IV. *De ponderibus, nummis, ac mensuris.* . . . . . » 683
Art. I. *De ponderibus, ac monetis* . . . . . » ib.
I. *Pondera et nummi Hebraeorum* . . . . . » 684
II. *Nummi aliarum gentium in Scripturis nominati* . . . . . » 685
Art. II. *De mensuris longis, et cavis* . . . . . » 686
I. *Mensurae longitudinis.* . . . . . » ib.
II. *Mensurae cavae aridorum ad litrum exactae.* » 687
III. *Mensurae cavae liquidorum* . . . . . » ib.

SECTIO IV.

DE ANTIQUITATIBUS DOMESTICIS

Cap. I. *De societate domestica.* . . . . . » 689
Art. I. *De matrimonio apud Hebraeos.* . . . . . » ib.
Art. II. *De filiis, eorumque officiis ac iuribus.* . . . . . » 695
Art. III. *De servis, eorumque conditione* . . . . . » 697
Cap. II. *De artibus, et scientiis, et de varia hominum conditione* . . . . . » 698
Art. I. *De artibus, et scientiis Hebraeorum* . . . . . » ib.
Art. II. *De variis hominum conditionibus.* . . . . . » 704
Pauperes et mendici - Immundi - Proselyti - Hellenistae - Publicani. . . . . . » ib.
Cap. III. *De moribus, et conversatione* . . . . . » 707
I. *Mores proprie dicti - praecipua vitia* . . . . . » ib.
II. *Morum elegantia, et urbanitas* . . . . . » ib.
Cap. IV. *De domibus, et habitatione.* . . . . . » 711
I. *Prima hominum habitacula* - II. *Tentoria.* . . » ib.
III. *Domus proprie dictae, earum forma, et partes.* » 712
Cap. V. *De vestibus, ornamentis et luxu.* . . . . . » 715
I. *Materia vestium Hebraeorum* . . . . . » ib.
II. *Singulae vestes.* . . . . . » ib.
III. *Capitis tegumentum - Capilli - barba* . . . . » 717

IV. *Ornamenta varia, et luxus* . . . . . pag. 718
Cap. VI. *De animalibus, et plantis* . . . . . » 720
Art. I. *De praecipuis animalibus biblicis* . . . . . » ib.
I. *Animalia terrestria domestica, et silvestria.* . » ib.
II. *Animalia volatilia - munda - immunda.* . . . » 725
III. *Animalia aquatica - Piscis Ionae, Tobiae, Leviathan* . . . . . » 726
Art. II. *De arboribus et plantis* . . . . . » ib.
I. *Arbores, et arbusta* . . . . . » 727
II. *Plantae - flores - Linum - byssus - planta Ionae* » 728
Cap. VII. *De cibo, potu, et conviviis.* . . . . . » 730
I. *Ciborum ratio* . . . . . » ib.
II. *De variis potus generibns* . . . . . » 732
III. *Convivia - tempus - modus - leges - Symbolica significatio* . . . . . » ib.
Cap. VIII. *De morbis ac medicina* . . . . . » 734
I. *De morbis in genere.* . . . . . » ib.
II. *De quibusdam morbis in specie - Lepra - pestis - paralysis - morbus Saulis - morbus Nabuchodonosor* . . . . . » ib.
III. *Medicina, et medici* . . . . . » 736
Cap. IX. *De morte, funere, sepultura et luctu.* . . . . . » 737
I. *Quae in morte propinquorum fieri solebant* . . » ib.
II. *Funerum ratio* . . . . . » 738
III. *Sepulturae tempus - locis - sepulchrorum forma* » 739
IV. *Luctus - eius indoles - duratio* . . . . . » 742

FINIS

ASIA CITERIOR

PONTUS EUXINUS

MARE LYCIUM

MARE CYPRIUM

MARE PHOENICIUM

INTERNUM MARE

ARABIA DESERTA

Miliaria Germanica, 15 = 1°.

Milia passuum Romana, 75 = 1°.

Stadia Olympica, 600 = 1°.

Miliaria Anglica, 69½ = 1°.

Nomina oppidorum à Romanis additis latinis literis, locorum nomina e monumentis asiaticis desumpta quorum nulla apud graecos et latinos auctores fit mentio, rectioribus literis scripta sunt

... Cyri minoris et Xm. Graecorum itinera secundum Xenophontem

RUINAE NINIVE

RUINAE BABYLONIS

Greenwich

Foto-litografia Martelli Roma

PALAESTINA

ANTE CAPTIVITATEM

Sedes XII Tribuum.

Stadien
Geogr. Meilen

Urbes Levitarum

Civitates liberae

Jerusalem (nach Robinson)

CANAAN

AETATE PATRIARCHARUM

Hebron et Mamre

Königreich Davids u. Salomos

Fotolitografia Martelli Roma

Ex Kiepert tav III cum Menke tab V VI mutatis mutandis et auctis

PALAESTINA

EJUSQUE

VICINIAE AETATE CRISTI

Milia passuum
Miliaria Germanica
Stadia Olympica
Miliaria Anglica
Myriometra
Chiliometra

Greenwich
Paris
32
33
34
35

GALILAEA

ex Menke tab VI

PALAESTINA, ET ARABIA

Exscripta V. post Christum ex notitia Imperii Imp.

PALAESTINA ET ARABIA

Exscripta V. post Christum

HIEROSOLYMA

1:40,000 1000 2 3 4 5000 pedes


Moenia a Regibus Davide et Salomone extructa
Moenia a R. Jotham, Hiskia, Manasse extructa

Civitatum Graecanicarum sub imperio Rom. liberarum (Decapoleos) nomina subductis lineolis distinguuntur

Ferro



RT. REV. EUGENE O'CONNELL,
LOS ANGELES,
CAL.


70

220
U1

Ubaldi, U.

AUTHOR

Introductio in S. Scripturam

TITLE

70